Digitized by Google

Racc. Villarosa E:1

HOMERI ILIAS

LATINIS VERSIBUS EXPRESSA.

523938

HOMERI ILIAS

LATINIS VERSIBUS EXPRESSA

A RAYMUNDO CUNICHIO

RAGUSINO

PROFESSORE ELOQUENTIAE ET LINGUAE GRAECAE
IN COLLEGIO ROMANO

AD AMPLISSIMUM VIRUM

BALTHASSAREM ODESCALCHIUM



ROMAE CIↃ·IↃCC. LXXVI.

EXCUDEBAT JOANNES ZEMPEL.

PRAESIDUM PERMISSU.

Digitized by Google



AD

BALTHASSAREM ODESCALCHIUM

LIVII II. BRACHIANI

DUCIS FILIUM

SS. CAESS. RR. AA. MM. CUBICULARIUM ET COMMENDATARIUM INCLYTI ORDINIS
S. STEPHANI HUNGARIAE REGIS APOSTOLICI

ILIADIS LATINO CARMINE VERTENDAE

AUCTOREM ATQUE AUSPICEM

RAYMUNDI CUNICHII

ELEGIA.

MAgnanime hortator vatum duƈtorq; tuis qui (1)
Clam populo carmen ludimus in laribus,
Quo nunc me, horrentem fluƈtus mergique timentem,
Parva jubes vaſto pandere vela mari;

Im-

(1) Eſt enim princeps Occultorum, qui ejus in aedibus, longe a populari ſtrepitu, atque ab omni ambitione, ſua interdum carmina recitant, *exigui numero, ſed bello vivida virtus*. Hunc ego in coetum cooptatus, atque Iliadem poëtice vertere juſſus, haec ſcri-

Digitized by Google

Immenſa & valida ſulcat qui caerula puppi,
  Pone ſequi lembo Maeonidam exiguo?
Nil tibi ego poſſum, Balthassar magne, negare,
  Quem toto admirans pectore ſuſpicio,
Atque colo, eximiis clarum virtutibus (1), artes
  Complexum doctae Palladis omnigenas,
Muſarumque artes varias (2), comemque, bonumque,
  Acceſſu & facilem, ſuavis & alloquii
Haud parcum; utque brevi dicam ſimul omnia dicto,
  Patrique & matri moribus aſſimilem.
Quos, verum cupiam ſi ponere nomen utrique,
  Urbis jure queam dicere delicias;
Foeminei hanc generis rarum decus, hunc decus ingens,
  Jactat queis ſeſe Romula terra, virûm;
Conſpicuos proavûm claro fulgore ſuorum,
  Ambo luce ſua ſed mage conſpicuos;
Exemplar gnatis geminum virtutis avitae.
  Quod tu, avida inſpectum mente oculoque, refers.
Haec tibi ego propter dulci devinctus amore,
  Quid ni me praeſtem morigerum & docilem;

Ac

ſcribo. quorum ſumma eſt: me operis magnitudine perterrefieri, ſed tamen Virgilianis opibus confiſum de eo aliqua cum laude conficiendo nequaquam deſperare.

(1) In quibus quidem virtutibus ineſt etiam illa ſingularis Modeſtia animi longiorem ſuorum decorum commemorationem non ferentis. quae mihi, multa dicere, atque, ut in libris dicandis fieri ſolet, liberius in omnes clariſſimi viri laudes excurrere cupienti, manum quodammodo injicit, atque invitum in his paucis, quae vix attingo, conſiſtere cogit.

(2) Utraſque ille artes ac diſciplinas, tum ſeveriores, quibus Minerva, tum hilariores, quibus Muſae praeeſſe dicuntur, a puero adamavit; multam utriſque operam dedit; complevit pectus optimarum rerum ſcientia; linguam procudit, atque ad omnem orationis elegantiam ſedulo exercuit. quibus rebus eſt aſſequutus, ut, quae ſcribit, mirifice pro-

Ac ſubeam juſſus duri quodcumque laboris;
Vel ſi me pennis carpere praepetibus
Aëriosque velis tractus & nubila caeli,
Tentantem Icarias ſidera ad alta vias?
Te tamen eſt aequum tam duris parcere juſſis,
Nec velle id, vates quod tuus, ingenium
Omne licet promam ſolers, atque impiger omnes
Contendam nervos, efficere haud valeam;
Ut certe haud valeo, quod mandas, dia Latinis
Maeonidae magni carmina carminibus
Vertere ſic, vates ſummo ut contendere vati
Ardore ac pulchris haud dubitem numeris:
Nec malus interpres faciam, fecere quod olim
Multi, qui, dictis omnia frigidulis
Complentes, verbum verbo ſunt reddere tantum
Conati; atque meram barbariem attulerunt
Pro cultu, obſcuras pura pro luce tenebras,
Stridorem cantu pro liquido horriſonum,
Sic, jure iraſci vatum ut queat optimus ille,
Si greſſum Elyſiis huc ferat e domibus,

probentur omnibus, qui aut rerum cognitione, aut verborum cultu delectantur; nec ejus carmina vel philoſophis inania, vel poëtis auſtera videantur. Hoc, qun ille praeſtat, ſcribendi genus, plenum gravitatis atque elegantiae, cujuſmodi ſit, facile perſpici poteſt, ut alia praeteream, vel ex eo carmine, quo hoc anno PII VI. providentiſſimi ac publicae utilitatis ſtudioſiſſimi Pontificis in Academia Eccleſiaſtica reſtituenda ſapientiam laudavit; vel ex eo, quo anno ſuperiore Octaviam ſororem praeſtantiſſimam foeminam, aeque praeſtanti viro Joſepho Roſpilioſio Zagaruoli duci nubentem, ſuaviſſimis atque optimis verſibus eſt alloquutus; nec, uſitato more poetarum hymenaeos canentium, nugas egit: ſed copioſe ac graviter de conjugio diſſerens, docuit, virtutem unam eſſe, quá adjuncta conjuges feliciſſimi, qua remota miſerrimi atque aerumnoſiſſimi evadant.

Et Venere adſpiciat ſeſe omni, omnique lepore
Exutum, & Graji floribus eloquii,
Horrentem foede, balbumque, & verba ſonantem
Vilia, quae ſpernat vel puer e trivio,
Mirari & ſoli poſſint, queis nulla venuſtas,
Nulla & ineſt fatuo in pectore mica ſalis;
Literulas docti venari, nilque puſillum
Negligere; obliti tot bona, Maeonides
Queis valet, ac mira complet dulcedine mentes,
Imaque flexanimo carmine corda ſubit.
His tu me ſimilem non vis, nec verba Latine
Sola jubes, cultum vatis at eximii
Exprimere, ingenteſque animos, ſacrumque furorem.
Verum id quam durum ſit, reor, ipſe vides,
Quamque alias vires, nervoſque in carmine poſcat,
Quam mihi Caſtaliae quos tribuere deae.
Quippe etenim, ut rebus, lingua ſic praeſtat Homerus;
Verbaque mirifice, mirifice numeros
Contribuens, formas pulchri ſe vertit in omnes;
Qualis, qui Nerei per vada ſalſa gregem
Caeruleum paſcit Proteus, & nunc fluit undae
Aſſimilis, flammas nunc abit in rapidas.
Nam modo ſedatus fertur, velut amnis in alveo
Ingenti ſeſe cum tacito evoluit
Ingentem curſu placidus, ripamque virentem
Illimi tardus lambere gaudet aqua:
Hinc atque hinc teneras errant armenta per herbas,
Et

Et Zephyri arboreas vix ciet aura comas:
In medio ſternit late ſe vitreus humor,
Inque udis ludunt Naiades thalamis.
Sic vates leni fundit ſe carmine, mentes
Et blando illectas irrigat eloquio.
Nunc ruit, idem auctus multo velut imbre, ſoluta
Et nive, mugitu cum fremit horriſono,
Et ripam ſuper exundat, moleſque ſuperbus
Proruit, everſis amnis & aggeribus
It campo ſpumanſque tumenſque, & pinguia culta
Turbidus immani diluit eluvie,
Et nemora & celſas annoſo robore ſilvas
Contorquet rapidis in mare vorticibus:
Jamque greges tulit & paſtorum agreſtia ſepta.
Flent moeſti attonitis mentibus agricolae,
Et pavidi fugere micanti pectore Fauni,
Atque altis abdunt ſe Dryades latebris.
Talis: talem ajo? multo pol grandior ille,
Amplior & multo, viribus & validis
Auctior, exſultatque fremens, & corda legentum
Miſcetque & variis turbat agens numeris,
Ac partes raptans quo vult contorquet in omnes.
Me certe, Phoebo tactus ut incaluit
Praeſenti vates, divini & pectoris alto
Exprompſit carmen grandiloquum ex adyto,
Sic agit, attonitumque animi ſibi vindicat, aures
Sic mi concentu complet Apollineo,

Sic mi omnes alto miſcet ſub pectore ſenſus,
Cuncta mihi ut videar non legere, aſt oculis
Uſurpare ipſis manifeſta in luce diei.
Bellantum in denſos abripior cuneos,
Ardet ubi ſaevus medio in certamine Mavors,
Atque virûm atque alti cornipedum fremitus,
Et galeae, clypeique, horrendum & tela fragorem
Dant late: nigro in pulvere ſemianimes,
Flos juvenum, duro confoſſi pectus ab aere,
Languidulo extremos ore cient gemitus;
It multo largus paſſim de vulnere ſanguis,
Purpureo & ſubter flumine terra madet:
Seu Troum furit in turmas acer Diomedes (1),
Palladia & divûm numina fretus ope
Haud dubitat ſaeviſque minax inceſſere dictis,
Atque haſta impavidus figere vulnifica:
Sive aciem rapit in Danaos male turbidus Hector (2),
Urere deprenſas & parat igne rates,
Spem reditus dulcem injectis & perdere flammis;
In nocte Argivam fumifera & ſobolem
Mactare extremum jam ponti ad litus adactam,
Incertam rerum conſiliique inopem,
Et Jovis adverſi pulſam, domitamque flagello;
Ajax ni magnus praeſidio ſubeat,
Fortiaque adverſis opponens pectora telis
Extremum ſociis arceat exitium:

Seu

(1) Iliad. lib. V. (2) Lib. XV.

Seu Phrygiam Xanthi pubem conturbat in alveo (1),
  Fulmineoque virûm milia multa neci
Dat ferro Aeacides, trepidoque, & rauca frementi
  Praepedit aggeſta caede vias fluvio;
Virque deum, toto ſupra caput impendentem
  Amne, celer campo ſuſtinet in viridi;
Excitus Aetnaeo ripas dum corripit igni,
  Atque nemus flammis Mulciber involuit
Circum omne, ac tumidum veſano gurgite flumen
  Siſtitque, in mediis & ferus urit aquis.
Victor at exſultans animis ingentibus heros
  Verſa fuga curru proterit aeriſono
Corpora cornipedumque virûmque, ac turribus ardet
  Sub Phrygiis leto ſternere Priamiden (2)
Inviſum, ſaeva Patrocli caede madentem.
  Quem muris miſerum proſpicit e patriis
Infelix genitor, viſuque exterrita mater
  Heu volvi foedo in pulvere ſeminecem!
Heu celeri exſtinctum raptari ad litora curru!
  Attoniti &, ſciſſis veſtibus, exululant,
Canitiem & manibus foedant: circum omnia planctu
  Foemineo, atque virûm queſtubus anxiferis
Inſonuere; alto ceu ſi de culmine Troja
  Igni uſta extremos corruat in cineres.
Agmina quid Grajûm variis cum fortia ludis (3),
  Juſta ubi Patroclo reddita ſunt, hilarat;

 At-

(1) Iliad. lib. XXI. (2) Lib. XXII. (3) Lib. XXIII.

Atque inter ſeſe committit prima virorum,
Caeſtu, arcu, lucta, curſibus & rapidis,
Fulmineaque haſta, veſani & pondere diſci
Ferre avidos magno munus ab Aeacida?
Quid coetu in populi cum ſuſcitat alta ſonantem
Nunc Laërtiaden grandiloquum, Pylium (1)
Neſtora nunc, placido cui ſe vox fundit ab ore
Et melle & dulci dulcior ambroſia?
Quid cum alto vates infert ſe magnus Olympo,
Et divûm haud dubitat pingere concilia (2)?
Jupiter in medio ſedet arduus, omnipotenti
Nutu orbem & genitor concutit aſtriferum,
Et maria, & terras omnes, altique profundam
Noctem Erebi. ſantem caelicolae attoniti
Mirantur, gelido perculſi corda pavore:
Auguſto ille graves intonat ore minas:
Divûm audax quicunque ſuo ſine numine Troum
Gentem, vel gentem juverit Argolicam,
Dejecturum infra Titanas Tartara in ima
Supremo caeli e vertice praecipitem,
Horret ubi obſcuro longe depreſſior Orco
Immani carcer ferreus in barathro.
Haec ut ego aggrediar verſu tentare Latino?
Haec ut ego poſſim vertere ſic, facies
Rerum aeque ut maneat clara & manifeſta, colorem
Quidque ſuum & ſervet, mentem animi & penitam
Illa-

(1) Iliad. lib. II. (2) Lib. VIII.

Illabens, aeque capiat teneatque legentem
Cantu & Muſeis implicitum illecebris?
Id nec ego, quiſquam nec poſſit, ni pater alta
Ipſe virum Phoebus Pegaſidum in nemora
Ducat, & Aonii ſupremo in vertice montis
Tingere Hyantheo labra ſinat latice
Fontibus ex îſdem, multo ſe proluit amni
Unde ſacer vena e divite Maeonides.
Hoc ſibi ſed nemo ſperet; quod Muſa Maroni,
Divinam ut Latio conderet Aeneida,
Poſſe dedit ſoli, potu dignatus eodem,
Carminis ut ſumma par quoque laude foret.
Salve magne Maro, vatum exaequare parentem
Cui dedit heroa Calliopea tuba;
Quem docuit ſolum numeroſque & verba, referri
Queis poſſet pulchri Graecia quidquid habet.
Salve iterum vates, vatum & pater. unus Homerum
Tu poteras dignis vertere carminibus,
Atque ſui ſimilem Romano oſtendere cultu.
Id quando haud placuit, verba mihi, ac numeros,
Vimque tuam, & clarum clara mage luce nitorem
Suffice; ſi cultor te tuus a puero
Dilexi multis vatum prae milibus unum;
Si tua pervigili ſcripta lego ſtudio;
Aurea ſi cupido tua dicta in pectore condo,
Oblito ne quid defluat ex animo.
Audior? an ſpernit vates mea grandia vota?

Au-

Audior: en votis annuit ille meis.
Balthassar, renuo jam nil tentare pericli;
Nec metus eſt vires ne grave frangat onus,
Hic mihi ſi facilem det ſeſe, ac praebeat omnes
Linguae, quas docto in carmine condit, opes.
Ut Juno, captum forma ſopire Tonantem [1]
Vellet in Idaeis cum dea verticibus,
Blanditias, molleſque jocos, omneſque popoſcit
Verborum Idaliam delicias Venerem.
Illa, ubi cuncta inerant, ceſton dedit: haec, ubi cepit,
Continuo aethereis digrediens domibus
Inque Idam venit, praeſtanti & munere compos
Difficilis facta eſt, haud mora, propoſiti:
Sic mihi Mantous ſua det ſi philtra poëta,
Linguae cultus ubi mirus ineſt, lepidi
Verborum & flores, aurique & mentibus apti
Concentus; philtra haec ni modo defuerint;
Mens quod avet, mandas quod tu mihi, dulcis amice,
Quod pote vix fieri, forſitan efficiam:
Felicemque operis, functum & mea munera pulchre
Fors erit ut tu aliquo captus amore legas;
Tuque, tuus tecum & frater [2], ſpes altera magnae
Magna domus. fratrem dicere, proh ſuperi!

Co-

(1) Graecam vocem Graeco flexu extuli Martialem ſequutus. ea vox ſi cui minus placet, legat *zonam*, aut *lorum*. eſt enim ceſtus lorum, ſeu cingulum acu pictum: in quo inerat, ut eſt apud Homerum Iliad. lib. XIV. amor blandiloquentia, cetera quibus animi hominum amore inflammantur. quae hujuſmodi vim habent, a Graecis, itemque a Latinis Graecò vocabulo, *philtra* dicuntur.

(2) Antonius eques Hieroſolymitanus; in quo ego adoleſcentulo non ſolam ſpem, atque in-

Cogor enim, geminos licuit nec dicere fratres,
Ut volui infelix, dicere ut inſtiteram.
Quippe alter fratrum [1] triſti, haec dum ſcribimus ipſa,
Ereptus fato, proh dolor! occubuit.
Et caros luctu nec opina morte parentes,
Germanos luctu & perdidit unanimos,
Et fidum attonitae perculſa mente ſorori
Obruit immenſa pectus amaritie.
Queis mite ingenium juvenis, formaeque leporem,
Et verba Hyblaeo dulcia melle magis,
Doctrina & cultum pectus, mentemque ſagacem,
Suetam & res miro expendere judicio,
Innocuum & vitae conſtanti lege tenorem,
Virtutiſque ardens eximiae ſtudium,
Dignaque tot bene dicta omni bene factaque laude
Res nulla oblito diluet ex animo,
Quin, deſiderio fixi acri, in flore juventae
Exſtinctum leto nocte dieque vocent.
Exſtinctum leto? veſano haec ille dolori
Ignoſcat felix triſtia verba precor.
Exſtinctum nec enim leto eſt fas dicere, dulci
Compoſitum ſomno ſuſtulit aſtriferas
Quem divûm ad ſedes Virtus, celſoque locavit

Ipſa

indolem virtutis ineſſe video, ſed multa alia praeterea, quae etiam in viris ſolent laudari.

(1) Joſephus Abbas Claravallenſis, qui annum duodeviceſimum vix ingreſſus, in ipſo aetatis flore jam caelo maturus, obiit ſuo magis, quam reipublicae tempore; cui praeſtantiſſimum adoleſcentem propter excellens ingenium, & eximiam virtutem, cum primum aetate ſe corroboraſſet, magno uſui; ac praeſidio futurum nemo dubitabat. Natus eſt XIII. Calendas Apriles MDCCLIX. exceſſit e vita XIII. Calendas Majas MDCCLXXVI.

Ipſa novum gaudens caelicolam in ſolio;
Regnat ubi, fruiturque ſua jam ſorte, procellas
Nec triſtes metuit, nec mare naviſragum
Vitae hoc, quo miſeri jactamur, nocte ſub atra
Inſanis acti per vada turbinibus.
Aequius eſt noſtro quos certe horrere periclo,
Illi quam fletus fundere luctificos,
Qui tenuit portum, tuta & ſtatione receptus
Aeternae gaudet gaudia laetitiae.
Parcite jam lacrimis, clamo, neu triſtia moeſto
Quis fletu faxit funera caelicolae.
Clamo iterum: lacrimis non fas violare beatum
Eſt juvenem, caeli quem tenet alta domus;
Pulchrior & melior cui parta eſt vita. ſuprema
Rurſum naſcuntur luce boni, haud pereunt.
Hactenus haec, dulci nimium provectus amore.
Nunc magnum accingor vertere Maeonidam.
En age, jam da lora: feror quo mittis, & audax,
Ut res cunque cadet, juſſum opus aggredior.

OPERIS RATIO

EIDEM CL. V. AB INTERPRETE REDDITA.

TRia ſunt, Balthassar optime, atque optimarum artium amantiſſime, (te enim unum iterum affari, tibi uni hujus tuo juſſu elucubratae interpretationis rationem reddere placet) tria, inquam, omnino ſunt, quae ad omne opus, ut recte ac laudabiliter fiat, neceſſario requiruntur. Primum ut vere judicemus quid fieri oporteat, deinde ut id facere poſſimus, poſtremo ut velimus. Quorum trium, quanquam duo illa priora, ſi forte deſint, nobis merito exprobrari non poſſunt, tertium poteſt; utpote quod in noſtra manu, ac poteſtate ſit poſitum: tamen ex omni ſcriptorum numero multo plures reperias, qui dicant ſibi voluntatem, quam qui aut judicium, aut facultatem defuiſſe. Qui tamen ipſe, quem fatentur, atque adeo interdum profitentur, voluntatis defectus, ut omni culpa vacare putetur, alii alias cauſſas plerumque parum probabiles afferre conſueverunt. Poëtis quidem illud imprimis uſitatum eſſe animadverti, ut languoris, ac deſidiae ſuae hanc potiſſimum cauſſam fuiſſe dicant, quod illis defuerit patronus aliquis priſco illi Maecenati non abſimilis, cujus ope ſe humo attollere, atque ad laudem eniti poſſent. Scitum eſt enim ingenii culpam fortunae tribuere, & comminiſci aliquid, unde id, quod aſſequi non potueris, alieno potius, quam tuo vitio nequaquam ſequutus eſſe videare. Hanc ego excuſationis latebram, in qua multi poëtae vel mediocres, vel etiam mali ſaepenumero deliteſcunt, mihi omnino praecluſam eſſe video; cui ad hanc Homericae Iliadis interpretationem rite conficiendam, ut ce-

tera omnia deſuerint, patronus certe non defuit. Eum enim huic operi meo in te patronum, eum hortatorem, adjutoremque ſum nactus, quo, ſi optio data eſſet, nullum potuiſſem optare, mihique ex omni copia deligere meliorem; virum ſumma nobilitate, ſummis opibus, ſummo ingenio, ſumma in re poëtica intelligentia; qui me tua ſponte poſt verſa Anthologica, tibique dicata, ut eodem modo Iliadem verterem humaniſſimis, graviſſimiſque verbis es cohortatus; qui ſemel impulſum urgere ad extremum, & currentem, quod ajunt, incitare non deſtitiſti; qui opus ubi eſſet confectum, tua id impenſa in lucem edere liberaliſſime, munificentiſſimeque juſſiſti, non multa exemplaria, quibus amicos munerares, tibi reſervare, cetera omnia magno numero mihi habere, tuae in me, quam ego omnibus muneribus antepono, benevolentiae monumentum. Hujuſmodi patronus cui obtigerit, non eſt credibile me in ſcribendo minus quam potuerim contendiſſe, ac non potius dediſſe operam diligenter, ut te talem virum tui de me judicii, tuaeque in me liberalitatis minime poeniteret. Quamobrem ſi quid peccavi, imo vero ubi aliquid peccavi; multa enim in opere tam longo, ac tam difficili peccaſſe minime dubito; nolo me quiſquam defendat hoc modo: Potuit melius, verum hunc locum neglexit. quidni, quod Homero conceſſum eſt, ut interdum dormitaret, id Homerico etiam interpreti concedatur? Homero enim ſuo arbitratu illa canenti, ſi uſpiam negligentior fuit, quod non facile adducor ut Horatio concedam, ſine flagitio eſſe negligenti licebat: mihi tuo juſſu, a quo ſingulari benevolentia & liberalitate eſſem provocatus, eadem interpretanti, certe non licebat. Itaque ſi quis defendere volet, alia me quavis potius quam iſta ratione defendat. Dicat nimio ejus rei, quae mandata erat, exequendae ſtudio plus aequo feſtinaſſe; dicat graviſſimo, ac laborioſiſſimo inſtituendae ju-

ven-

ventutis muneri addictum, ac verentem, ne quid privatis ſtudiis de opera publica detraherem, ad omnia, quemadmodum cupiebam, limanda & perpolienda non ſatis otii habuiſſe; dicat carmina, quae ab Ovidio non niſi animo ſereno deducta provenire dicuntur, ſcripſiſſe temporibus turbulentis, animo anxio, atque ſollicito; dicat poſtremo, quidquid libuerit, modo hoc firmum, fixumque maneat, me non oſcitanter meo munere functum eſſe, atque ibi etiam, ubi quod agebam parum ſucceſſit, tamen ſedulo feciſſe, quod potuerim. Satis, opinor, intelligis ex his, quae dixi, me adhuc non tam de verſibus, quam de moribus meis tibi probandis eſſe ſollicitum, nec tam laborare, ut bonus interpres, quam ut bonus vir eſſe exiſtimer. Boni enim viri officium definitur hac una, quam mihi praeſto fuiſſe dico, ſedula ſtudioſaque voluntate; boni interpretis, non item. Affert quidem voluntas, ut ad alia magna atque praeclara, ſic etiam ad bene interpretandum permultum momenti. opus enim natura ſua implexum, ac perdifficile bene fieri non poteſt, niſi fiat ſedulo, ac diligenter: verumtamen omnis ſedulitas, quantacunque fuerit, ac diligentia fruſtra erit, niſi interpres adhibuerit praeterea illa duo, quae a me initio ſunt poſita, judicium, quo vere ſtatuerit, quid fieri opus eſſet, ac facultatem, qua id efficere potuerit, quod optimum eſſe judicarit. Quamobrem, ſiquidem tibi non modo me, ſed opus etiam meum probari velim, oſtendam neceſſe eſt, horum neutrum mihi defuiſſe. Quod quidem facere conabor, ſed ita, ut ad judicium quod attinet, fidenter, & ſine ullo erroris metu affirmare non dubitem, genus interpretandi, quo ſum uſus, optimum eſſe: quod autem pertinet ad meam in eo genere facultatem, dicam aliquid timide, ac pedetentim, nihil tam metuens, quam arrogantiae reprehenſionem, a quo me vitio cum in omni vita, tum in iis, quae ſcribo, profiteor abeſ-

 ſe

ſe quam longiſſime. Primum igitur ſic habeto: duo eſſe interpretandi genera, duas veluti ſcholas, ſectaſque interpretum. altera eſt eorum, qui verbum e verbo convertunt, ſingulas voces religioſe, atque adeo ſuperſtitioſe adnumerant, nihil eo, quo poſitum eſt loco, mutare audent, qui denique, ſola, quam unam in ore habent, atque aſſidue depraedicant, fidei ratione contenti, omne praeterea ornamentum, omnem Latinae linguae concinnitatem, omnem aptae verborum collocationis venuſtatem aſpernantur. Hi, ſi eos vertant ſcriptores, qui rerum, non verborum, gratia expetuntur, poſſunt profecto non ſolum ferri, ſed etiam probari, & conſequi primum hanc laudem, ut ejus linguae, ex qua verterint, periti, ejus, in quam verterint, non imperiti fuiſſe exiſtimentur; deinde etiam illam, quae multo eſt major, ut putentur minime aberraſſe a veritate, & rerum notitias, quae fere unae in hujuſmodi ſcriptoribus quaeruntur, maxime ſinceras, atque incorruptas ſuo illo ſimplici, quamvis inculto, atque horrido ſermone conſervaſſe. Verumtamen hoc vertendi genus, quo in aliis pleriſque contenti eſſe poſſumus, ſi quis transferat ad oratores, aut ad poëtas, qui non magis rerum pondere, quam verborum ſplendore commendantur, neceſſe eſt, injucundum, ineptum, omni ex parte vitioſiſſimum inveniri. Quum enim potiſſima, vel ſola potius laus interpretis haec ſit, ut eum, quem exprimit, & cujus quandam velut imaginem ſpectandam proponit, ſcriptorem ſui quam ſimillimum repraeſentet; qui hoc genere utetur, repraeſentabit profecto ſui diſſimillimum. Quis enim Demoſthenem, aut Homerum inquinate, quis frigide, quis hiulce, atque aſpere loquentes poſſit agnoſcere? alterum ſine oratorio, alterum ſine poëtico illo concentu, quo aures hominum capiuntur, ac mentes ipſae mirandum in modum demulcentur, ac percelluntur. Homero quidem verſum qui adi-

adimunt, mihi propemodum Herculi clavam, Jovi fulmen adimere videntur. id enim eripiunt, quo ille plurimum valet; quo ſublato, poëtae fortaſſe nomen retinere poteſt, propterea quod in illa ipſa tam abſurda, atque abſona verborum congerie, tamen, quod Flaccus de diſſolutis Ennii verſibus aſſirmabat, etiam disjecti poëtae membra inveniantur; at ſummi certe poëtae, & patris ac principis poëtarum decus retinere non poteſt. Me quidem miſeret divini hominis, quum eum audio ſine cantu, ac prope ſine voce aliena lingua balbutientem, rudem, inconditum, enervem, nihil venuſte, nihil ſuaviter, nihil ſublate, ut ſolet, ac granditer efferentem. Itaque & ſtomachari ſoleo interdum, & dicere, parum fortaſſe probabiliter, ſed, ut arbitror, vere: nullos mihi interpretes minus fideles videri, quam eos, qui in oratoribus, ac poëtis de ſua fide maxime gloriantur, eamque ſibi, non ſua ſcribentibus, ſed aliena vertentibus, non ſolum praecipue, ſed etiam unice cordi fuiſſe affirmant. Quae enim, malum, eſt iſta fides, quae poëtam exhibet ſui diſſimillimum, omni poëtico inſtrumento, ac ſupellectili ſpoliatum, ex grandi exilem, ex numeroſo abſonum, ex puro inquinatum, ex dulci inſuavem, ex vehementi & concitato, ſegnem ac remiſſum; poëtam denique, ut brevi omnia complectar, non ſuo, ſed alieno more loquentem? Ut volet quiſque ſentiat: mihi profecto is erit maxime fidus interpres, qui ab archetypi virtutibus minime aberrarit; qui ſive oratorem, ſive poëtam ita fuerit interpretatus, ut non ſolum eadem, ſed etiam eodem modo dixerit, Demoſthenica, ut ita loquar, Demoſthenice, Homerica Homerice. Atque hoc eſt alterum ex duobus illis, quae ſupra dixi, genus interpretandi, praeclarum ſane, atque magnificum, verum adeo difficile, atque impeditum, ut multo ſit minus operoſum ſua ſcribere, quam aliena hoc pacto interpretari. Veruntamen ſic judico, aut abſtinendum ab huj-

juſmodi ſcriptoribus aliena lingua explicandis, aut, ſi eos explicare volumus, hoc omnino genere utendum eſſe, quod unum eſt illorum ſplendori, granditati, ſuaviloquentiae accommodatum. Quod genus qui repudiant, ac, ne aliquam voculam, interdum nullius pretii, Greci ſermonis propriam, Latino parum aptam, deperdant, ſuperius illud genus exile, atque horridum amplectuntur, nec eorum quos vertunt dignitati ſatis conſulunt, nec ſuae: quippe qui ob eam rem a minuto aliquo litteratore, & graeculo fortaſſe laudantur, ab hominibus non ineptis, vereque litteratis magnopere vituperantur, & optimorum ſcriptorum non illuſtratores, ſed corruptores eſſe dicuntur: quibus jure objici poſſit illud idem, quod Terentius, approbante, ut mihi perſuadeo, ac plaudente populo Romano, objecit aemulo poëtae nimis anxie, ſed parum eleganter Graecas fabulas vertenti:

. . . bene vertendo, & eaſdem ſcribendo male, ex
Grecis bonis Latinas fecit non bonas.

Itaque dum inconſulto, ac praeter modum boni interpretes haberi volunt, hoc aſſequuntur, ut mali ſcriptores, ac de pulcherrimis aliorum ſcriptorum, quae corruperint, operibus, male omnino meriti deprehendantur. Quanto rectius, quantoque conſultius facerent, ſi ejus operae, quam totam in bene vertendo, hoc eſt in verbis Latinis ad verba Graeca accommodandis conſumunt, partem ſeponerent, atque in bene ſcribendo, hoc eſt in omnibus, quibus praeſtat is quem interpretantur, virtutibus aemulandis, ac repraeſentandis collocarent? ſi recentiorum quorundam, nihil ſani hac in re praecipientium, fatuitatem, atque ineptias contemnerent, veteres illius aurei faeculi ſcriptores audirent, atque imitarentur? quos, quum & utriuſque linguae naturam haberent plane perſpectam atque cognitam, & judicio eſſent acerrimo, profecto credibile eſt, ut in ceteris artibus, quae ad huma-

ni-

nitatem pertinent, ſic etiam in hoc interpretandi negotio, vidiſſe omnium optime quid fieri oporteret. Verum hoc tempore tantum eſt faſtidium vetuſtatis, tanta novitatis veluti prurigo, ut multi a propoſito ſibi fine aberrare turpiter malint, quam uſitatis antiquorum itineribus eodem pervenire. Qui hoc morbo, atque adeo hac inſania laborant, ſua inſtituta, ſuaque commenta ſibi habeant, me hominem e veteri diſciplina veterum inſtitutis uti patiantur. Hos ego, optime BALTHASSAR, qui mihi in humanioribus ſtudiis, quod de Tireſia etiam apud inferos Homerus ait; *ſoli ſapere videntur, ceteri umbrarum vagari modo*, hos, inquam, habui auctores, & magiſtros; hi mihi facem quodammodo praetulerunt, meque eodem, quo ratio impellebat, auctoritate, exemploque ſuo deduxerunt. Nec vero ipſum tantummodo genus indicaverunt, ſed etiam eo genere quemadmodum utendum eſſet quaſi intento digito commonſtrarunt. Mitto Plautum, Terentium, Catullum, Horatium, Virgilium, quorum multa ſunt converſa e Graecis, nihil ſervili illa ratione, quam improbo, omnia liberali hac, ut ita dicam, & generoſa, quam nemo ſanus poſſit non probare. In uno M. Tullio placet conſiſtere, diſertiſſimo illo, ut ait Catullus, Romuli nepotum, ac digno praeter ceteros, unde in omni dicendi ratione & praecepta, & exempla petantur. Utinam divini hominis praeſtantiſſima hoc in genere monumenta extarent, duae illae orationes inter ſe contrariae Aeſchinis, ac Demonſthenis, quas, ut Romanos quoſdam oratores, Atticorum nomine abutentes, doceret quid eſſet Attice dicere, ex Graecis fecit Latinas. Extaret profecto optimae interpretandi rationis exemplar abſolutiſſimum; atque ad illud liceret, quaſi ad quandam formulam, revocare omnes quicunque eloquentium virorum ſcripta interpretantur. Nunc illae, neſcio quo malo rei litterariae fato, vel hominum potius, a quibus eas diligentiſſi-

tiſſime ſervari oportebat; incuria, vel periere, vel, quod ſperare fas eſt, alicubi abditae in pulvere, atque in tenebris delitefcunt. Cujus tamen jacturae incommodum ſarciunt aliqua ex parte pauca illa verba, quibus idem ipſe Tullius exponit rationem, qua eſt uſus in iis convertendis. Quae ſane verba ſi rite intelligantur, omnem mihi videntur hujus rei doctrinam continere. CONVERTI, inquit, NON UT INTERPRES, SED UT ORATOR. Quid ais, M. Tulli? convertiſſe te illas orationes affirmas, ut interpretem convertiſſe negas? quid eſt aliud convertere, quam interpretari? qui porro interpretantur, quo eos alio, quam interpretum, nomine verum eſt appellari? Ego vero, inquit, etiam cum meas orationes ſcribo, utor ſcientia litterarum, quam qui ſolam profitentur, grammatici vocantur; ſed, quod huic eloquentiae quaſi fundamento ampliſſimum totius eloquentiae velut aedificium impono, atque ſuperſtruo, eas ſine ulla controverſia ſcribo non ut grammaticus, ſed ut orator. Eſt hoc nimirum in omni opere uſitatum, ut ex eo, quod ibi potiſſimum eſt, artifices nominentur. Audio, atque, ut mihi videor, intelligo, quid dicat. Duas nobiliſſimas orationes convertit non illo genere exili, & ſtrigoſo, quo qui utuntur, ſatis habent, ſi utcunque Latine loquantur, ſed illo altero amplo, atque opimo, pleno ſucci, atque nervorum, quod qui adhibent, omnes explicant divitias orationis. duos ſummos oratores ſic eſt interpretatus, ut eos ad ſummam dicendi laudem non ſerviliter ſubſequi, ſed socialiter comitari videretur; ut non ſolum indicaret, quid illi admirabiliter Graece dixiſſent, ſed etiam oſtenderet, illa eadem quam aeque admirabiliter ipſe Latine poſſet dicere. Id qua ratione aſſequi ſit conatus operae pretium eſt conſiderare. Et quoniam omnis oratio conſtat ſententiis, & verbis, in utraque re quid ſibi faciendum putarit attente inſpiciamus. SENTENTIIS IISDEM, ET EARUM FORMIS TANQUAM FIGURIS. In ſententiis nihil

hil arbitrio loci eſſe credidit . Jure id quidem . non enim aliae ſententiae verae ſunt apud Graecos , aliae apud Latinos; non aliae ſententiarum formae , quibus Athenis , aliae quibus Romae , vel res demonſtretur , vel animi hominum aut concitentur , aut leniantur ; ut quae Atticus orator , exempli gratia , interrogando extulerit , ea Romanum oratorem efferre oporteat affirmando . nec vero, mutatis ſententiis , illa jam converſa ex Aeſchine , atque ex Demoſthene , ſed ab ipſo potius Tullio excogitata , jure dicerentur . Age , qui in ſententiis conſervandis fuit ſumma religione , qualis fuerit in verbis audiamus . VERBIS AD NOSTRAM CONSUETUDINEM APTIS : quae videlicet , vel ſingula , vel plura inter ſe nexa & copulata , nihil haberent inſolens , & odioſum, ſed eſſent haec Romanorum , aeque ac illa erant Atticorum auribus accommodata . IN QUIBUS NON VERBUM PRO VERBO NECESSE HABUI REDDERE . Imo vero id nequaquam facere neceſſe habuiſti , ſiquidem inſolentiam orationis , quam ambo illi oratores , ſed Demoſthenes praeſertim, omni opere vitabant , effugere volebas, eaque afferre , quae tuorum civium conſuetudo minime repudiaret . Vidit hoc ſane vir prudentiſſimus, atque omnis ad orationem pertinentis artificii ſcientiſſimus . Quid ergo fecit ? ſingula verba ſervare non potuit : SED GENUS , inquit , OMNIUM VERBORUM VIMQUE SERVAVI . Uſus ſum verbis , quorum , ſi minus forma , certe genus ac natura eſſet eadem , aeque propriis , aeque agentibus , eodem modo rem demonſtrantibus , atque in animos hominum influentibus . Addit cauſſam , cur id fecerit : NON ENIM EA ME ADNUMERARE LECTORI PUTAVI OPORTERE , SED TANQUAM APPENDERE . Praeclare , nihil enim refert , totidem ne , an pluribus , an paucioribus verbis Graeca verba converteris ; neque id quaerunt lectores, ſi modo aliquid ſapiunt ; ſed illud potius : quae Latine ſcripta ſunt , Graeciſne ſint leviora , an vero pari , ut ita dicam ,

 mo-

momento, & iis, quarum in oratoria dictione ratio habetur, virtutibus aeque ponderoſa. Atque hoc quidem de numero verborum ab iis velim diligenter animadverti, qui, ubi aliquid ſerviliter, ſive, ut ipſi ajunt, fideliter verterint, quaſi magnum aliquid fecerint, gloriantur totidem ſe illa verſibus, aut etiam, ſi ſuperis placet, totidem verbis tranſtuliſſe. Apage iſtas ineptias. *Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis, Quiſquis erit*, ait apud Ennium ſummus ille imperator: ſic mihi, eximii aut oratoris, aut poëtae optimas ſententias, optimis verbis, ſive multis, ſive paucis, qui expreſſerit, is erit optimus interpres; nec merus modo interpres, ſed etiam, ſi ita appellari volet, vel orator, vel poëta. Multa hoc loco exempla afferri poſſunt, ex quibus manifeſto appareat, Latinos ſcriptores, dum Graeca interpretarentur, nequaquam ſollicitos fuiſſe de verbis numerandis, ſed contraxiſſe interdum orationem, ſaepe autem produxiſſe, ita ut eſt viſum, atque ut res poſtulabat; nec ob eam rem minori laude eſſe dignatos. Equidem Catulli elegiam de coma Berenices quum lego, eam ſic probo, ut valde ſuſpicer Graecum poëtam eſſe a Latino ſuperatum. In qua tamen video ſummum interpretem hunc, quem dico, verborum ac verſuum numerum, in quo minutuli interpretes magnopere occupantur, uſque eo non curaſſe, ut illos verſus, qui fere ſoli ex tota, quae intercidit, Callimachi elegia ſuperſunt, atque apud Arati ſcholiaſten leguntur, quatuor ille verſibus convertere non dubitarit. Quum enim Graecus ſcripſiſſet:

> Ἠ δὲ Κόνων μ᾽ ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
> Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς,

noſter convertit,

> *Idem me ille Conon caeleſti in lumine vidit,*
> *E Beroniceo vertice caeſariem*
> *Fulgentem clare; quam multis illa deorum*

Le-

Levia protendens brachia pollicita eſt.

Quanto hoc rectius, quanto venuſtius, & magnificentius, quam ſi duobus itidem verſibus ſic extuliſſet:

Meque Conon caelo vidit flavum Berenices
Cirrum, quem cunctis obtulit illa deis.

In quibus ipſis *flavum* illud addidi, vel ut verſum explerem, vel ut ille cirrus lectori minus diſpliceret. Sed hunc omitto: redeo ad Tullium; cujus ratio in Graecis convertendis qualis fuerit, ſatis arbitror ex iis, quae dixi, perſpici potuiſſe. Summus videlicet dicendi, & interpretandi magiſter duas Aeſchinis & Demoſthenis contrarias orationes, quod etiam Hieronymus, qui eas legerat, in epiſtola ad Pammachium teſtatur, ſic tranſtulit, *ut multa in illis praetermiſerit, multa addiderit, multa mutaverit, ut proprietates alterius linguae ſuis proprietatibus explicaret*. Haec igitur ſit nobis veluti norma, qua oratoriam interpretationem dirigamus; hanc eandem ſine ullo erroris metu ad poëticam interpretationem, ubi opus fuerit, transferamus. Eſt enim finitimus, ut ait idem Tullius, oratori poëta; in quo etiam venuſtiorem orationis cultum, & ornamenta floridiora, & numeros accuratiores eſſe decet. Quarum rerum cauſſa quum oratori concedatur illa, quam dixi, libertas in verbis ſuo more deligendis, atque ad omnem rerum varietatem, ita ut linguae ratio poſtulat, accommodandis, multo eſt aequius eandem poëtae concedi. Quae quidem libertas nec anxia ſit, nec meticuloſa, ſed juſta, ſed legitima, ſed moderata; quae id, quod erit viſum, addat, detrahat, mutet, faciat denique omnia quae velit, ſed nihil velit non conſentaneum rationi. Nam ſi ultra legem, ultra morem, ultra omne rationis praeſcriptum progredi coeperit, illa jam erit, non libertas, ſed, inani ſpecie, falſoque nomine libertatis abutens, licentia; qua nullum eſt in interprete vitium majus, & quo animi hominum magis offendantur.

 Uti-

Digitized by Google

Utinam ego eſſem ejuſmodi, ut moderatae illius libertatis exempla ex me peti poſſent. Ea certe paſſim in toto opere mihi uſus eſſe videor, non temere & inconſulto, ſed ita ut ratio vel poſtulabat, vel, ut leviſſime dicam, patiebatur. Nec vero dubito, ut hoc etiam adjungam quod valde ad rem pertinet, multa eſſe loca, in quibus hoc jus legitimae libertatis uſurpaſſe putabor, quum tamen minime uſurparim, ac potius Homero ſervierim voluntariam quidem, ſed fideliſſimam ſervitutem. Exemplo eſſe poteſt vel primus ille verſus,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος

Iram cane dea Pelidae Achillis,

in quo convertendo, vocem μῆνιν expreſſi, non uno verbo *iram*, ſed duobus *iram trucem*. ſcripſi enim:

Iram, diva, trucem Pelidae concine Achillei,

non ut inani vocabulo verſus quaſi lacunam explerem; quod aeque facile alia ratione aſſequi potuiſſem, ſed ut Homero preſſius haererem, ac ſervarem illud Tullianum de verbis lectori non annumerandis, ſed appendendis. Vocem enim μῆνιν; quaecunque demum ejus vocis origo ſit, quod grammaticis, de illa inter ſe digladiantibus, quaerendum ac ſtatuendum relinquo, equidem didici ex Phocyllide, majus quiddam, quam ὀργὴν, id eſt ſimplicem iram, ſignificare. Ait enim:

Ὀργὴ δ᾽ ἐστιν ὄρεξις· ὑπερβαίνουσα δὲ, μῆνις

Ira eſt appetitus; at modum ſupergreſſa μῆνις.

Quum ergo vox Latina levior eſſet, quam Graeca, adjeci illud ponderis veluti complementum, ut ex utraque parte quaſi momenta eſſent aequalia. Id mihi Horatius itidem feciſſe videtur (lib. 1. O. 6.) quum, eandem Homericam vocem intuens atque exprimens, (quod & Bentleius animadvertit, & cuilibet eum locum legenti facile apparet), non ſatis habuit ſcribere *Pelidae* STOMACHUM, ſed ſcripſit, GRAVEM *Pelidae* STOMACHUM *cedere neſcii*. Eodem pertinet illud Virgilii

de

de ira Junonis, huic Achillis irae quamſimillima: *Junonis* GRAVIS IRA *& inexſaturabile pectus*. Irae videlicet magnitudinem, quae propter Latinae linguae egeſtatem uno verbo exprimi non poterat, pluribus verbis expreſſit. Vides igitur, me in primo Homeri verſu, atque adeo in prima voce, nequaquam nimis liberum, ſed fortaſſe nimis anxium fuiſſe. Eundem hunc verſum Helius Eobanus Heſſus ita convertit, ut mihi videatur, quaſi dedita opera, in ipſo aditu ſui operis immoderatae libertatis exemplum poſuiſſe. Scripſit enim:

Dic mihi magnanimi Pelidae, Muſa, furorem.

quem verſum, non inelegantem, nec ſimilem multorum, qui apud eum occurrunt inculti & invenuſti, ne forte videar improbare ſine cauſſa, ſingula verba cum Homericis collata cujuſmodi ſint conſideremus. DIC. atqui Homerus *canendi* verbo eſt uſus in Iliade, quam, ut rei dignitas poſtulabat, exordiri voluit magnificentius: *dicendi* verbum ad Odyſſeam, poëma ſubmiſſius ac pacatius, reſervavit. MIHI. etiam hoc pronomen peti ex Odyſſea, atque huc obtrudi non oportuit; in quo ineſt fortaſſe quaedam ſuavitas, granditas non ineſt. id ſentimus ita eſſe, quum legimus aut illud Theocriteum, Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; aut illud Virgilianum, *Dic mihi, Dameta, cujum pecus?* quorum utrunque ipſa tenuitate commendatur, & eſt paſtoritio ſermoni ordiendo valde accommodatum. MAGNANIMI. qui vir fuerit Achilles docet Homerus (*l.* 20. *v.* 467.) hiſce verbis:

Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ' ἀγανόφρων,
Ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς.

Haud etenim vir mitis erat leniſque, ſed ultra
Morem acer.

eundem, Homeri veſtigiis inſiſtens, Horatius in epiſtola ad Piſones talem jubet induci, ut

Im-

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Jura neget ſibi data, nihil non arroget armis;

eumque ipſe idcirco alibi vocat *pervicacem*, *ſuperbum*, *inſolentem*. Qui hujuſmodi ſit, eum poſt Ariſtotelem philoſophi omnes, quotquot de moribus ſcripſere, ſi rogentur, *magnanimum* eſſe negabunt; ac dicent longe eſſe tranſgreſſum eos fines, intra quos magnanimitas continetur. Ego magnanimum, ſi minus ſapientum, certe vulgi judicio, a quo non abhorrent poëtae, fuiſſe concedam: praeſertim quum meminerim ab ipſo Homero, ſemel ut opinor, μεγάθυμον appellari. Quid ergo diſplicet? hoc nimirum, quod nemini ſano placere poſſit: quum Homerus in re proponenda nullam magnanimitatis mentionem fecerit, eam ab interprete apponi de ſuo; quum Homerus de Achillis ira ſe acturum profiteatur, interpretem quiddam amplius profiteri: ſe videlicet acturum de ira Achillis *magnanimi*, id eſt, ita acturum, ut illum in ira exercenda nuſquam non magnanimum eſſe appareat. hoc enim ſuſcipere ac polliceri videtur, ſi quidem illa vox *magnanimi* non eſt ſupervacanea, ſed neceſſaria, cujuſmodi eſſe debent omnes omnino voces, quae in rei, de qua dicturi ſumus, propoſitione adhibentur. Quod ſi ita ſe res habet, neceſſe eſt unius voculae adjectione, facta eo loco, in quo nihil adjici fas erat, totam Homeri Iliadem mirifice corrumpi: quippe quum in ea multa occurrant, quae ad magnanimitatem referri non poſſunt, quaeque idcirco reticeri oportuiſſet ab illo, qui eam laudem, in poëmate exordiendo, heroi ſuo tanquam propriam tribuiſſet. PELIDAE: cujus Pelidae? nam etiam Pyrrhus, is, qui apud Trojam Neoptolemi nomen invenit, atque ob eximiam virtutem cantari potuit, eſt *Pelides*; quae vox non magis Pelei filium, quam Pelei nepotem ſignificat. Hanc ob cauſſam Homerus Achillis non modo genus, verum etiam nomen declarandum putavit. interpres cur ge-

genus expreſſit, nomen diſſimulavit? cur ſcripſit *Pelidae*, non, ut Homerus, *Pelidae Achillis*? MUSA. Homerus Calliopen, epici carminis praeſidem, in Odyſſea vocat *muſam*, heic in Iliade *deam*; quo nomine honor magis ſignificatur. mihi has voces inter ſe commutari, ac muſam in Iliadem ſine ulla cauſſa interpretis arbitratu transferri non placet. FUROREM. Initio carminis, ubi rem proponimus, verbis maxime proprijs utendum eſt, atque omnis ambiguitas fugienda. nihil enim anteceſſit, ex quo poſſit id quod eſt anceps dignoſci, atque id quod eſt obſcurum illuſtrari. Jam ſi *furor* hoc loco proprie dicitur, quid aliud poſſumus intelligere, quam dementiam, ſive, ut Tullius definit, *mentis ad omnia caecitatem*, qua qui laborant, mente capti perhibentur: ſin autem *furor* non proprie dicitur, quaero qua ratione aut ego, aut alius quiſquam poſſit divinare, quem potiſſimum furorem, poëta, vel interpres velit intelligi. nulla eſt enim animi cupiditas impotens & effraenata, quae non aliquam habeat cum furore ſimilitudinem, atque ob eam rem non interdum furor nominetur. multi enim mortales, quod Cicerones pueri (Att. lib. 6. epiſt. 1.) de magiſtro ſuo Dionyſio dicebant, furenter iraſcuntur; multi furenter amant; ſunt qui furenter aut doleant, aut laetentur. Quid vaticinatores, ac poëtae, qui etiam ipſi ſuo modo furere dicuntur, nec unquam plus ſapere, quam quum ſacro illo furore inflammantur? Animadverti alia quoque ratione furoris vocem a Virgilio uſurpari, atque illos, qui perdite amantur, amatorum ſuorum *furorem* appellari. Itaque Gallum (Eclog. 10. v. 37.) ſic loquentem inducit:

Certe ſive mihi Phyllis, ſive eſſet Amyntas,
Seu quicunque furor.

quo modo Achillis *furorem* quum audimus, quid vetat quominus Briſeidem ſignificari ſuſpicemur? In his, inquam, tot furoribus, quaero quis poſſit diſpicere, aut divinare, quem po-

potiſſimum furorem interpres velit intelligi? Notum eſt, inquit, in Iliade agi de ira. Unde notum? nempe, ut opinor, ex hoc ipſo verſu Homeri, quem tu, Heli, interpretaris; cui te lucem affundere, non lucem ab eo mutuari oportebat. Eſt enim alienum a rei natura, & prorſus ridiculum, quum interpres poëtam explicandum ſuſceperit, mutatis partibus, non poëtam ab interprete, ſed interpretem a poëta explicari. Nec vero plus ages, ſi ad ἔτυμον confugias, ac dicas te vocem μῆνιν duxiſſe a μαίνεσθαι, quod eſt *furere*. primum enim, id ἔτυμον falſum eſſe, docet Euſtathius ex doctrina veterum grammaticorum; atque affirmat, quod res eſt, a verbo μαίνεσθαι non μῆνιν, ſed μανίαν derivari. deinde, quaecunque eſſet hujus vocabuli origo, Latinae linguae rationem haberi oportebat, neque in re, de qua eſſet agendum, proponenda, eam vocem adhiberi, quae ſi proprie diceretur, falſa eſſet; ſi non proprie, ambigua & perobſcura. Satis, ut arbitror, oſtendi Eobanum ea libertate, quae poëtae interpretanti conceditur, licenter abuſum eſſe in primo verſu. in quo quidem conſiſto, nec poſtulo, ut ex eo fiat conjectura de ceteris; nec uſurpo illa Ovidii (Faſt. 1.)

principiis omen ineſſe ſolet.
Ad primam vocem timidas advertimus aures,
Et primum viſam conſulit augur avem.

Haec, inquam, non uſurpo: praeſertim quum videam, me quoque, ſi minus in primo verſu, certe in iis, qui primum proxime conſequuntur, non quidem egreſſum eſſe fines legitimae libertatis; ſed tamen fuiſſe aliquanto liberiorem, quam vellem; ac deinde, in opere progredientem, ipſa exercitatione aſſequutum eſſe ut Homero arctius adhaererem. Sed haec omitto, in quibus fui aliquanto fortaſſe verboſior, nec tamen, ut mihi videor, exceſſi e via, neque aberravi a propoſito, verum hoc egi, quod in optimo interpretandi genere

re conſtituendo magni momenti eſt, ut, prolato aliquo exemplo, licentiam a libertate ſegregarem, quaſique fraenum injicerem interpreti ab auctore ſuo longius, quam par eſt, abſcedenti. Redeo jam ad Tullium, quem mihi unum hujus itineris, lubrici ſane, atque infeſti periculis, ducem ac demonſtratorem eſſe volui; cui quid placeret perquam diligenter exquiſivi, cujus auctoritate graviſſimoque judicio ſi me tueri potuero, aliorum, ſi qui erunt, qui contra ſentiant, judicia non magni facienda eſſe arbitrabor. Hic igitur tantus vir, quem mihi in his, quas tracto, diſciplinis unum omnium inſtar eſſe profiteor, in oratoribus quod genus interpretandi optimum putarit, oſtendi; atque id quale eſſet, ipſius verbis cum propoſitis, tum etiam expoſitis, declaravi; idemque genus ob eaſdem cauſſas dixi adhibendum eſſe multo etiam magis in poëtis. Nec vero arbitror Tullium, ſi voluiſſet exponere quomodo convertiſſet aut Aratea, aut alia Graecorum carmina, quae in ejus libris leguntur, non aeque de his ſcripturum fuiſſe, quod ſcripſit de illis duabus a ſe converſis duorum Atticae eloquentiae principum orationibus: ſe videlicet ea convertiſſe, non ut interpretem, ſed ut poëtam, ſervantem eaſdem ſententias & earum formas; verba eo, quo ſupra demonſtratum eſt, modo, ad Latini ſermonis conſuetudinem accommodantem. Haec in poëtis ita, ut dico, ab illo eſſe facta, qui Graece ſciunt facile perſpicient, ſi ejus carmina cum eorum, quos interpretatus eſt, carminibus comparabunt: qui autem Graece neſciunt, idem tamen aſſequentur, ſi ea conferent cum interpretamentis, quae ſuo illo more, verbum verbo exprimentes, ac nullam literam, aut apicem negligentes, grammatici elaboraverunt. Id porro ubi fecerint, genus Tullianum, vel priſcum potius; eo enim ſunt uſi omnes, qui aliquid ſunt interpretati, priſci illi aurei ſaeculi ſcriptores, atque, ut me illos, eorum ſingularem eloquentiam, atque acerrimum

in his humaniſſimarum artium ſtudiis judicium, non ſine cauſſa admirantem, ſcripſiſſe memini, heroës

nati melioribus annis,
Cum nondum ingenium miſeris mortalibus, acre
Judicium nondum abſtulerat, ſenſumque decori
Jupiter, offundens noctem caliginis atrae.

hoc inquam, genus, ubi Latina cum Graecis contulerint, quale ſit, certius judicabunt; mihique erunt, quemadmodum ſpero, multo aequiores, quum viderint, quorum veſtigia preſſerim, quae mihi exempla propoſita duxerim ad imitandum. Horum ego exemplorum, ne ſim longior, cetera quidem, Balthaſſar eruditiſſime, tibi, atque aliis, ſi qui erunt tui ſimiles, qui laborem minime fugiant, quaerenda, ubi ſunt, & contemplanda relinquo. unum eſſe video, quod ab Homerico interprete, de optima, & uſitata veteribus interpretandi ratione agente, ſine flagitio, certe ſine legentium querela, diſſimulari, ac praetermitti non poſſit. Is eſt Homeri locus, ubi (Iliad. lib. 2. v. 298.) Ulyſſem inducit, oſtentum decem paſſerum, a ſerpente devoratorum, & Calchantis ea de re vaticinationem, commemorantem. quem locum noſter ſe converſum exhibuit in libro ſecundo de divinatione. Hunc nos contueamur ſane diligenter, atque in eo quantum opus erit immoremur. Ac primum quidem proferantur

VERSUS HOMERI

Τλῆτε, φίλοι, καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνον, ὄφρα δαῶμεν
Εἰ ἐτεὸν Κάλχας μαντεύεται, ἠὲ καὶ οὐκί.
Εὖ γὰρ δὴ τόγε ἴδμεν ἐνὶ φρεσὶν, ἐστὲ δὲ πάντες
Μάρτυροι, οὓς μὴ κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι·
Χθιζά τε καὶ πρώϊζ', ὅτ' ἐς Αὐλίδα νῆες Ἀχαιῶν
Ἠγερέθοντο, κακὰ Πριάμῳ καὶ Τρωσὶ φέρουσαι,
Ἡμεῖς δ' ἀμφὶ περὶ κρήνην, ἱεροὺς κατὰ βωμοὺς

Ἕρδο-

Ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας,
Καλῇ ὑπὸ πλατανίςῳ, ὅθεν ῥέεν ἀγλαὸν ὕδωρ·
Ἔνθ' ἐφάνη μέγα σῆμα· δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς,
Σμερδαλέος, τόν ῥ' αὐτὸς Ὀλύμπιος ἧκε φόωσδε,
Βωμοῦ ὑπαΐξας, πρός ῥα πλατάνιςον ὄρουσεν·
Ἔνθα δ' ἔσαν ςρουθοῖο νεοσσοὶ, νήπια τέκνα,
Ὄζῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ, πετάλοις ὑποπεπτηῶτες,
Ὀκτώ· ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ἔνθ' ὅγε τοὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας·
Μήτηρ δ' ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα·
Τὴν δ' ἐλελιξάμενος πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ τέκν' ἔφαγε ςρουθοῖο, καὶ αὐτὴν,
Τὸν μὲν ἀρίζηλον θῆκεν θεὸς, ὅσπερ ἔφηνε·
Λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω·
Ἡμεῖς δ' ἑςαότες θαυμάζομεν οἷον ἐτύχθη·
Ὡς οὖν δεινὰ πέλωρα θεῶν εἰσῆλθ' ἑκατόμβας,
Κάλχας δ' αὐτίκ' ἔπειτα θεοπροπέων ἀγόρευε,
Τίπτ' ἄνεῳ ἐγένεσθε καρηκομόωντες Ἀχαιοί;
Ἡμῖν μὲν τόδ' ἔφηνε τέρας μέγα μητίετα Ζεὺς,
Ὄψιμον, ὀψιτέλεςον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
Ὡς οὗτος κατὰ τέκν' ἔφαγε ςρουθοῖο, καὶ αὐτὴν,
Ὀκτὼ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ὣς ἡμεῖς τοσσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι,
Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.
Κεῖνος θ' ὣς ἀγόρευε· τὰ δὴ νῦν πάντα τελεῖται.
Ἀλλ' ἄγε μίμνετε πάντες, ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοί,
Αὐτοῦ, εἰσόκεν ἄςυ μέγα Πριάμοιο ἕλωμεν.

his Homeri verſibus addatur, eorum gratia qui Graece neſciunt,

INTERPRETATIO TOTIDEM VERBIS

Tolerate, amici, & manete aliquandiu; ut ſciamus
An verum Calchas vaticinetur, an & non.
Probe enim hoc ſcimus animo; eſtis autem omnes

 Te-

Teſtes, quos non Parcae inceſſerunt mortis auferentes;
Herique & nudius tertius, quando in Aulidem naves Achivorum
Congregabantur, mala Priamo & Trojanis ferentes,
Nos autem circumjecti circa fontem, ſacris in altaribus
Faciebamus immortalibus perfectas hecatombas,
Pulchra ſub platano, unde fluebat limpida aqua:
Illic apparuit magnum ſignum: draco rubris maculis dorſo diſtinctus,
Horribilis, quem ipſe Olympius miſit in lucem,
Ex imo altari prolapſus, ad platanum concitatus perrexit:
Ibi erant paſſeris pulli puſilli nati,
Ramum ſuper ſummum ſub foliis latentes,
Octo: verum mater nona erat, quae pepererat natos:
Ibi ille hos miſerabiliter voravit ſtridentes:
Mater vero circumvolabat lugens dilectos natos:
Hanc autem implicans ala prehendit valde clamitantem.
Sed poſtquam natos devoraverat paſſeris, & ipſam,
Hunc quidem mirabilem fecit deus, qui oſtenderat:
Lapidem enim ipſum fecit Saturni filius verſuti:
Nos autem ſtantes admirabamur quale factum eſſet.
Sic igitur terribilia portenta deorum ſubiere hecatombas,
Calchas vero ſtatim deinde vaticinans concionabatur,
Cur muti facti eſtis comantes Achivi?
Nobis quidem hoc oſtendit ſignum magnum providus Jupiter,
Serum, ſeri exitus, cujus gloria nunquam peribit.
Ut hic natos devoravit paſſeris & ipſam,
Octo, ac mater nona erat, quae pepererat natos:
Sic nos tot annos bellabimus ibi;
Decimo autem urbem capiemus ſpatioſas vias habentem.
Et ille quidem ſic concionatus eſt: quae nunc omnia complentur.
Verum age, manete omnes, bene ocreati Achivi,
Heic, quouſque urbem magnam Priami ceperimus..

Haec

Haec deſcripſi ex interpretatione Samuelis Clarkii, quam ipſe, in operis praefatione, ait, eſſe, *non elegantem nec venuſtam*, ſed ita confectam, ut *verbis verba*, *ſingulis ſingula reſpondeant*, *Graecis Latina*. Age jam proferatur ea, quam laudavi.

INTERPRETATIO M. TULLII

Ferte viri, & duros animo tolerate labores;
Auguris ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratos ne habeant, an vanos pectoris orſus:
Nanque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut veſtita eſt claſſibus Aulis,
Quae Priamo cladem, & Trojae, peſtemque ferebant:
Nos circum latices gelidos, fumantibus aris,
Aurigeris divûm placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani ſpecie, tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulſu penetrabat ab ara.
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſeptos
Corripuit pullos: quos cum conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat.
Cui ferus immani laniavit viſcera morſu.
Hunc, ubi jam teneros volucres, matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmavit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in mediis divûm verſarier aris.
Tum Calchas haec eſt fidenti voce locutus:
Quidnam torpentes ſubito obſtupuiſtis Achivi?
Nobis haec portenta deûm dedit ipſe creator,
Tarda, & fera nimis, ſed fama ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,

Tot

Tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos;
Quae decimo cadet, & poena ſatiabit Achivos.
Edidit haec Calchas; quae jam matura videtis.
. . . .
. . . .

Vides inter ſuperiora illa & haec proxima quantum interſit: illa eſſe rudia & incondita, contexta, vel potius congeſta verbis cuicuimodi, ita ut caſus tulit, ſine ullo artificio conjectis; haec levia, & numeroſa, coagmentata lectiſſimis verbis, certa lege, ac ſolertia non mediocri diſpoſitis & collocatis: ibi interpretem ita loqui, ut putes, Graecum hominem, quum ſingulas tantummodo Latinas voces didicerit, Latine loquendi rationem, id eſt proprias Latinorum formulas ignoret, in aliena lingua patriae linguae conſuetudine utentem, ita orationem conformare, nihil ut in ea non appareat inſolens & peregrinum; heic alterum interpretem, vel magis poëtam, illa eadem ſic effari, ut credas te audire civem Romanum, in media urbe natum & educatum, illi advenae praecipientem, & oſtendentem, ea, quae dixerit inſolenter & perabſurde, quemadmodum dici oportuerit, ut Latinis auribus apta eſſent. id ut praeſtet, uti ſcienter praeclara illa & generoſa libertate, quam ſaepe jam laudavi, & oratori oratorem, poëtae poëtam interpretanti neceſſariam eſſe dixi; ſententias eaſdem retinere, verba, ita ut res poſtulat ac ratio praeſcribit, commutare, addere, omittere, contrahere, dilatare; eorum vim ac pondus conſervare, de multitudine vel paucitate nihil omnino laborare; poſtremo id aſſequi, ut, quae ſcribit, non advecta e Graecia, ſed in Latio nata videantur; nec vero, niſi aliunde id conſtet, facile ſtatui poſſit, ille ne Homerum, an eum Homerus converterit. Haec igitur carmina mihi decrevi optimi generis interpretandi tanquam exemplar & formam eſſe debere; haec quaſi re-

gu-

gulam, ad quam referrem ea, quae ipſe facerem; haec veluti menſuram, qua adhibita, intelligerem, conceſſa interpreti libertas quo impune progredi poſſit, quem ad finem, ſine ulla reprehenſione prudentium hoc in genere virorum, pervenire. Quem ego finem, errore atque inſcientia, fortaſſe non raro ſum tranſgreſſus, verum ut ſciens & prudens non dico tranſilirem ſed attingerem, meumque jus omne uſurparem, a me ipſe impetrare vix unquam potui; atque id quod Tullius praeclare feciſſet admirans, tamen ipſe facere non ſum auſus. Grammaticorum enim calumniam, quam ille vir ſummus, ſumma dignitate & auctoritate praeditus, non metuebat, mihi tanto minori, non ſine cauſſa, metuendam eſſe putavi. Hoc ita eſſe facile intelligi poterit, ſi cum Tulliana interpretatione conferatur eorundem Homeri verſuum

MEA INTERPRETATIO

O ſocii, durate, atque heic ſubſiſtite paullum,
Ipſa dum pateat re tandem, verane Calchas
Vaticinans, an falſa canat. res cognita cunctis,
Quam memoro; teſtes cuncti, fatalia vitae
Queis nondum triſtes ruperunt ſtamina Parcae.
Quippe olim, atque adeo nuper, cum ſe Aulide Grajae
Denſarent puppes Priamo, Phrygibuſque ferentes
Exitium; ad fontem fierent cum ſacra virenti
Sub platano, purae qua ſeſe illimis agebat
Rivus aquae; monſtrum confeſtim apparuit ingens,
Convertitque oculos ad ſe, tremefactaque corda.
Nanque draco horrendus, magni quem rector Olympi
Miſerat in lucem, ſquama fulgente, cruentis
Et dorſum inſignis maculis, prorepſit ab ara;
Tum celeri platanum lapſu petit efferus. illic
Paſſeris, in ſummo ramorum vertice, pulli

Im-

Implumes octo ſub denſa fronde latebant,
Nona parens nidum ſervabat. protinus atro
Stridentes querula nequidquam voce voravit
Ore draco: mater circumvolitabat acutum
Lugens. lugentem trepida ferus arripit ala,
Poſtremamque vorat. poſt haec, mirabile viſu,
Immanem durum in lapidem Saturnius anguem
Induit. obriguit mutatis artubus ille:
Nos animi attonitos circum ſtupor altus habebat.
Haec ſacris viſa in mediis portenta deorum.
Tum Calchas prompſit veraci has pectore voces
Vaticinans: Nam cur muti ſic ſtatis, Achivi?
Hoc Jovis augurium, ſerum, ſeroque futurum
Eventu; at cunctis clarum, & memorabile in oris.
Paſſeris ut pullos octo, nonamque voravit
Ipſam etiam ſerpens matrem, ſic Pergama circum
Et nobis totidem bellandum haec monſtra per annos
Portendunt: urbem decimo vaſtabimus anno.
Haec vates: matura ſuo quae tempore jam jam
Omnia complentur, tantum perſtate volenti
Heic alacres animo, bello quaſſata biluſtri
Pergama dum noſter ſubvertat denique Mavors.

Mea haec ſi conferas cum Tullianis, majore illum, ut par eſt, fiducia ſcribere animadvertes: at genus, quo utimur, eſſe idem; idem utrique propoſitum eſſe, ut Homerum videlicet ſui quam ſimillimum repraeſentet, utrunque, id ut efficiat, ſententias eaſdem ſervare, verba, eadem vi, atque pondere, ad Latinae linguae conſuetudinem ſic aptare, ut ſatiſfacere poſſint lectori non fatuo, illa expendenti potius, quam numeranti. Satis multa mihi videor dixiſſe, cur hoc genus interpretandi, quo me judicavi uti oportere, optimum debeat

exi-

exiſtimari. Reliquum eſt ut dicam aliquid de mea hoc in genere facultate, quod & partitio illa poſtulat, a qua ſum exorſus, & vero ſupra ego me factürum eſſe promiſi, parum fortaſſe conſiderate: ſed initio videndum fuit, quid pollicerer; nunc, re promiſſa, fides aliquo modo liberanda eſt. Hoc ut paucis tranſigam, nec diu conſiſtam in eo ſermone, in quem veni oppido non libenter, ſic equidem ſtatuo: facultatem, qua de agimus, tribus rebus definiri; utriuſque linguae, Graecae ac Latinae, & poëtici artificii ſcientia: haec quanta ſint in interprete, tantam eſſe interpretandi optimo illo genere facultatem. Jam de me ipſe quid dicam? hoc primum, quod mihi videor ſine ullius offenſione poſſe dicere: me in illis, quae poſui, quid poſſim neſcire; ſcire hoc unum, ut poſſem aliquid, magnis meis laboribus, & diuturna multorum annorum exercitatione contendiſſe: deinde hoc etiam (quid enim loquens cum homine amiciſſimo quidquam diſſimulem?) meam hoc in genere facultatem, quantulacunque eſt, mihi videri aliquanto majorem, quam, quantam ad idem opus conficiendum olim attulit, ſcriptor ſaeculi XVI., Helius Eobanus Heſſus; a quo uno, quod ſciam, ante me, non pars aliqua Iliadis, ut ab aliis, ſed tota Ilias Latino carmine fuit reddita. Cui, laborioſiſſimi operis conſorti & ſocio, ne parvo pravoque animo videar obtrectare; & ne quis mihi objiciat illud Heſiodeum

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

ſive, ut ego meo more converti,

Fictori fictor, fabro faber invidet; odit
Mendicus mendicum, oditque poëta poëtam:

haec ne quis mihi objectet, quid inter me & Eobanum interſit, quanta ſit utriuſque eodem in genere facultas, tibi atque aliis idoneis lectoribus, ut conſideretis, ac ſtatuatis, permitto;

to; meque polliceor de me, deque illo, non aliud judicaturum, quam quod a vobis ſenſero judicari. Id judicium ut poſſit fieri, erit profecto non inopportunum, ſi eorumdem, quos ſupra recitavi, Homeri verſuum, poſt Tullianam, & meam, afferatur etiam haec

HELII EOBANI HESSI INTERPRETATIO.

Quare agite, o ſocii, reliquum durate, breveſque
Temporis expectate moras, dum ſcire queamus,
Verane vaticinans praedixerit omnia Calchas,
Aulidis in portum piſcoſae quando ſubiſtis
Navibus Argivi, Priamo Trojaeque ferentes
Exitium. quia vos illic ad ſacra fuiſtis
Exta deûm teſtes, praeter quam, quos mala fato
Parca tulit. meminiſſe poteſtis tempore ab illo,
Quo nos ad poſitam dîs immortalibus aram
Sacra parabamus, denſis qua plurima ramis
Umbrabat platanus, ſubter quam frigida puro
Unda reſultabat rivo; quo tempore viſum
Eſt ingens nobis monſtrum. draco terga cruentis
Diſtinctus maculis, arae ſublapſus ab imo
Proſiluit pede; ſic Saturnius ipſe volebat.
Ipſe vago lapſu ramos amplexus in altam
Evaſit platanum, tetigitque cacumina, quorum
Nidus in arce fuit, numero bis quatuor intus
Paſſeris includens pullos; qui frondibus altis
Haerentes exſultabant implumibus alis.
Quos omnes, vano matrem ſtridore vocantes,
Cum draco peſtifero depaſtus dente fuiſſet,
Ipſam etiam matrem, circum ſua pignora fruſtra
Sollicitas querulis quatientem vocibus alas,
Corripuit, nonamque avidam demiſit in alvum.

Pro-

Protinus in ſaxum mutatum Jupiter ipſum
Conſpicuum poſuit: ſed nos horrenda deorum
Conſtitimus ſtupido mirantes omina viſu,
Praecipue quanam ratione ad ſacra deorum
Tam dirum veniſſet opus, monſtrumque nefandum.
Tum Calchas, divina tenens miracula, fatur:
Cur vos tanta novi ſubit admiratio monſtri,
Crine graves Danai? prudens nam Jupiter iſtud
Prodigium immiſit, veniet quo gloria nobis
Sera & tarda quidem, ſed fama & laude perenni.
Sicut enim ſerpens avido crudelis hiatu
Octonos pullos nona cum matre voravit,
Sic nos fata novem mittunt in bella per annos
Saeva, gerenda manu ſpatioſae ante inclyta Trojae
Moenia, quae decimo tandem capiemus in anno,
Atque everſa ſolo dabimus. fore talia Calchas
Praedixit, quae nos nunc omnia perficiemus.
Quare, agite, obdurate, ſupremum & ferte laborem,
O fortes Danai, donec victricibus armis
Evertamus opes Trojae, Priameia regna.

In his ego verſibus meum judicium non interpono; nec dico, quid mihi videatur ſcriptum heic eſſe contorte ac perturbate, quid frigide, quid parum numeroſe, atque etiam parum Latine; horum, inquam, nihil dico, ac tantumodo volo eos verſus conferri cum meis; &, ſi mei forte, quemadmodum ſpero, meliores, vel, ut verius loquar, tolerabiliores videbuntur, hoc poſtulo, ut Homeri amatores habeant mihi aliquam gratiam, quod Iliadem Latino carmine ſic expreſſerim, ut aequiore animo legi poſſit; optent autem, quod ego me, non tam de mea laude, quam de operis perfectione, ac de communi utilitate cogitantem, optare profi-

 teor,

teor, ut poſt me exiſtat aliquis, qui, meis hiſce minime contentus, ſcribat ipſe multo meliora, quae poſſint homines Latinae linguae ſtudioſi non modo ferre, ſed etiam admirari. Equidem arbitrabor, me laboris mei fructum cepiſſe non poenitendum, ſi multorum ſtudia commovero, meoque exemplo, aut heic Romae, aut uſpiam terrarum, excitaro aliquem interpretem tanta facultate, quantam rei magnitudo requirit; qui efficiat id, quod ego, hac ingenii, & doctrinae tenuitate, atque his occupationibus, efficere non potuerim; qui denique Homerum exhibeat Latine loquentem non modo eodem carminis genere, quo ille uſus eſt, verum etiam eadem vi, & eadem ſuavitate orationis. Hunc ego jam nunc animo proſpicio, hunc admiror, huic faveo, hujus veluti formam mihi effingens, excellentiam & magnitudinem contemplans, me ipſe contemno, & meam hanc interpretationem prorſus deſpicio. Quae tamen, dum expectabitur is, quem dixi, Homero dignus interpres, & erit nemo praeter Eobanum, qui Latino carmine Iliadem converterit, niſi omnia me fallunt, non eſt profecto cur debeat omnino repudiari. Habes jam ea omnia, quae mihi hoc in ſermone dicenda eſſe conſtitueram; de cura non mediocri, qua tua mandata ſum exſequutus, de optimo interpretandi genere, quo ſum uſus, de mea in eo genere facultate. quam tu ſi parem operi difficillimo fuiſſe judicabis, tuam ego agnoſcam in me benignitatem, qui mihi plus tribuas, quam quantum veritas patiatur: ſin autem imparem, meam tu agnoſces in te obſervantiam, qua fit, ut tuae voluntati obſequi coner non ſolum in iis, quae praeſtare atque efficere poſſum, ſed etiam in iis, quae non poſſum.

IM-

I M P R I M A T U R,
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.
F. A. Epiſcopus Montis Altis ac Viceſgerens.

APPROBATIONES.

Quod literati homines bene multi, ſed in Graecis literis non admodum verſati jamdiu vehementer optabant; tandem aliquando repertus eſt, qui cum Graece Latineque optime ſciret, tum poetarum omnium facile principem Homerum ita verteret, ut non illius modo ſententiam utcumque adumbraret, ſed latinis verſibus elegantiſſime exprimeret. Is enim eſt ſtili nitor atque elegantia, ea latini carminis majeſtas ac dignitas, ut hic unus veteres omnes interpretes, qui magno numero idem conati ſunt, longe anteceſſerit, primuſque omnium mihi effeciſſe videatur, ut Homerus latine legi cum voluptate poſſit. Hanc ob cauſam ago equidem gratias Reverendiſſimo S. Palatii Magiſtro, qui hanc pulcherrimam verſionem legendam mihi, probandamque tradiderit. Cui etiam ſancte affirmo, atque teſtificor nihil in ea eſſe, quod ſanctiſſimae Religionis puritati, optimaeque morum diſciplinae adverſetur.

Datum ex Aedibus Quirinalibus die 20. Auguſti 1776.

Philippus Bonamicius
SS. D. N. ab epiſtolis latinis.

Quamquam Homericae Iliados Poëma, aetatum ac nationum omnium plauſu atque admiratione celebratum, jam inde ab literarum in Italia reſtauratione, ſapientiſſimorum Principum cura latinis verſibus reddi coeperit; conſtat tamen, nullam ad hanc uſque diem Epici incomparabilis verſionem prodiiſſe, quae aut germano latini ſermonis nitore, aut exacta Homericarum venuſtatum repraeſentatione, aut denique numeroſa quadam ac ſublimi verſuum magnitudine delicatis harum rerum aeſtimatoribus undecumque ſatisfaciat. Dolendum quidem eſt, viros aliquot eruditiſſimos, qui ſuperioribus ſaeculis ad hanc ſcriptionem animum appulerant, Philelphos ſcilicet, Politianos, Floridos, ſive morte interceptos, ſive aliis lucubrationibus diſtentos, incoeptum opus urgere, atque ad umbilicum perducere minime potuiſſe. Nam, qua erant ingenii praeſtantia, & graecarum latinarumque literarum ſcientia, fortaſſe difficilem hanc, quam animo praeceperant, metam feliciter attigiſſent. Philelphus quidem maximis a Nicolao V. propoſitis praemiis hanc provinciam incredibili ardore ſuſceperat; Pontifex enim doctiſſimus idem ac munificentiſſimus, praeter aedes in urbe pulcherrimas, & lautiſſimum praedium in agro Romano, decem millia aureorum nummum eidem dare conſtituerat, ſi Iliada atque Ulyſſeam latine vertiſſet. At inopinata tanti Pontificis mors effecit, ut Philelphus ſpe ingentium praemiorum fruſtratus, alio induſtriam ſuam, cogitationeſque converteret. Politianus autem non tam Magni Laurentii Medicis liberalitate & patrocinio illectus, quam, ut ipſe de ſe fatetur, natura atque aetate ad Homeri blandimenta proclivior, quum Homericam tubam jam inde ab adoleſcentia latinis verſibus tractare coepiſſet, incredibilem in Italia univerſa de ſe expectationem excitaverat. Neque dubium erat, quin in difficillimo opere perficiendo caeteris omnibus palmam eſſet praerepturus. Inerat enim ei praeter admirabile ingenium, judicium etiam acerrimum, & tanta rerum cognitio, atque ubertas verborum, ut ſolus ad graecas veneres pro dignitate ex-

exprimendas comparatus videretur. Equidem Cardinalis Papienſis, cui ſuae verſionis partem Politianus legendam tradiderat, ſplendidiſſimam ait ſibi viſam eſſe, & ad omne venuſtatis genus compoſitam; orationem latinam in primis & illuſtrem, plenos etiam verſus, & ſuis numeris magnifice auribus ſervientes. Sed tantam expectationem Mediceae Gentis calamitas primum, mox immaturus ipſiuſmet Politiani interitus miſerabilem in modum corrupit, ſexto vixdum Iliados libro abſoluto. Quod idem fatum ſubiiſſe viſus eſt etiam Franciſci Floridi Sabini viri eruditiſſimi in Homero vertendo conatus. Nam quum octo Odyſſeae libros latinis carminibus elegantiſſime redditos immortali illi omnium optimarum artium Maecenati Franciſco I. Galliarum Regi dedicaſſet tanquam ſpecimen quoddam reliquorum Homeri operum, quae latine interpretari conſtituerat, Rexque ipſe Graecarum literarum ſcientiſſimus hominem humaniſſimis & verbis & pollicitationibus in propoſito confirmaſſet, vix uno aut altero elapſo anno, & Rex beneficentiſſimus interiit, & Poeta ſingulari doctrina atque induſtria praeditus florente etiamnum aetate inimicorum fraude ſublatus eſt. Verum haec literariae Reipublicae incommoda longo nunc intervallo compenſat V. Cl. Raymundus Cunichius excellenti hac & abſolutiſſima Iliados verſione: quam cum juſſu Reverendiſſimi Patris S. Palatii Apoſtolici Magiſtri accurate diligenterque perlegerim, ita elegantem eſſe deprehendi, ita numeroſam, totque verborum & ſententiarum luminibus ornatam, ut Graecum Epicorum principem Virgilianis coloribus egregie depictum, exactiſſimeque expreſſum intueri mihi viſus fuerim. Nam, quod ad interpretationem attinet, ea quidem fidelis eſt in primis, & Graeco textui penitus adherens, niſi quando latinae linguae genius ſententias aliquot redundantes contrahere, aut in verbis compoſitis epithetiſque exprimendis quodam quaſi temperamento uti ſuaſerit. Conſtat enim, latinas Muſas Graecis multo ſeveriores pleraque reſpuere, venuſta illa quidem apud Graecos atque elegantia, ſed quae frigidum quippiam in latino carmine & plane inſacetum ſonarent. Equidem arbitror in hoc praecipue optimorum interpretum induſtriam verſari oportere, ut non ſemper verba verbis, ſed ſententias ſententiis, quantum utriuſque linguae ratio patitur, reddendas curent, ſtudeantque iis potiſſimum & verbis & ſententiis uti, quibus Poeta Graecus uſus eſſet, ſi latine ſcribere inſtituiſſet. Quod quidem Interpreti noſtro ita feliciter ceſſiſſe comperio, ut haec ſua lucubratio ſuperiores omnes verſiones, atque adeo celeberrimam illam Helii Eobani Heſſi multis nominibus ſuperaſſe videatur. Quamobrem & doctiſſimo Auctori vehementer gratulandum arbitror, & immortales habendas gratias Principi praeſtantiſſimo BALTHASSARI ODESCHALCHIO, qui, ut eſt flagrantiſſimus optimarum artium & cultor & fautor, non prius apud Auctorem, hominem ſibi omni officiorum genere devinctum, inſtare deſtitit, quam praeclaram hanc Homericae Iliados verſionem perfectam, atque omni ex parte expolitam haberemus. Quo quidem factum eſt, ut quod ſummos potentiſſimoſque Principes nequicquam exoptaſſe intelleximus, id ipſe praecipuo quodam privilegio, & ſingulari felicitate obtinuerit. Quae cum ita ſint, cumque in opere egregio nihil omnino deprehenderim, quod aut Religioni Chriſtianae, aut bonis moribus officere poſſit, e re publica eſſe cenſeo, ut elegantibus typis quam citiſſime in lucem proferatur. Romae Cal. Septemb. MDCCLXXVI.

Petrus Antonius Seraſſius.

I M P R I M A T U R,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praed. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

AR-

ARGUMENTA

SINGULORUM LIBRORUM SINGULIS VERSIBUS AB INTERPRETE COMPREHENSA.

I. *Iratus bello ſociali abſiſtit Achilles.*
II. *Falſa Mycenaeum ludunt inſomnia regem.*
B. *Quo duce, qui populi, quotnam venere carinis.*
III. *Ergo Helenae ſoli pugnant Paris & Menelaus.*
IV. *Confundit foedus Pallas, pugna aſpera ſurgit.*
V. *Tydides Venerem, dehinc Martem vulnerat haſta.*
VI. *Urbem adit, Andromachen affatur Martius Hector.*
VII. *Stant acies: medii confligunt Hector, & Ajax.*
VIII. *Jupiter Argivos premit: Hector laude ſuperbit.*
IX. *Peliden orant reges, nec flectere poſſunt.*
X. *Tydides ſocio Troas ſpeculatur Ulyſſe.*
XI. *Pugna, ubi primores Danaum ſunt vulnere laeſi.*
XII. *Grajorum ad murum pugnant: intro irruit Hector.*
XIII. *Neptunus Danais vires clam fratre miniſtrat.*
XIV. *Illicit, & ſomno componit Juno Tonantem.*
XV. *Jupiter evigilat; fratrem fugat; Hectora firmat.*
XVI. *Patroclum leto victorem dejicit Hector.*
XVII. *Ingens Patrocli ad gelidum fit pugna cadaver.*
XVIII. *Arma parat ſolers dio Vulcanus Achilli.*
XIX. *Definit irarum, belloque armatur Achilles.*
XX. *Divi inter ſeſe magno certamine pugnant.*
XXI. *Aeacidae labor ad Xantum, pugnaeque deorum.*
XXII. *Hectora perſequitur, caeſoque inſultat Achilles.*
XXIII. *Patrocli funus, vario & certamine ludi.*
XXIV. *Redditur Hectoreum corpus, fletumque crematur.*

Digitized by Google



HOMERI ILIADOS
LIBER PRIMUS.

IRam, diva, trucem Pelidae concine Achillei,
Innumeris horrenda olim quae preſſit Achivos
Luctibus; obſcuro multas & compulit Orco
Heroum ſortes animas; ac frigida leto
Membra feris canibus praedam, alitibuſq; reliquit
Omnigenis; (magni certo Jovis omnia nutu
Ibant) ex quo, acres ad jurgia ſaeva coorti,
Regnatorque virûm Atrides, & dius Achilles
Ruperunt pactamque fidem, & ſocialia vincla.
Immani geminos reges, duo lumina Grajûm,

Quis divûm inter ſe rixa commiſit, & alto
Indomitos acuit primum ſub corde furores?
Candida quem ſuperûm genuit Latona parenti,
Arcitenens. regi offenſus vulgo intulit atram
Ille luem; totis paſſim quae didita caſtris
Argivam leto pubem ſternebat acerbo
Unius Atridae ob culpam, Chryſenque ſuperbis
Exceptum dictis; Chryſen, cui prima ſacrorum
Cura, & Apollinei cuſtodia credita templi.
Venerat hic Danaûm ad naves ingentia ſecum
Dona ferens, gnatae pretium, vittamque ſacerdos
Aurato implicitam ſceptro geſtabat, & omnes
Ambibat precibus Grajos; geminoſque rogabat
Praecipue Atridas, rerum queis tradita ſumma:
Magnanimi Atridae, Grajûm & gens fortibus armis
Incluta; ſic divi, quotquot fulgentia caeli
Templa colunt, vobis Priameïa vertere fundo
Moenia dent, ventiſque domum remeare ſecundis;
Solvite ſervitio mihi dulcem & reddite natam.
Reddite; neu pretium, neve haec inſignia, dextra
Quae geſto, & longe jaculantem ſpernite Phoebum.
Talibus orabat ſenior; cunctique favebant
Grajugenae aſſenſu haud dubio, ſacrique verendam
Canitiem capitis, capiendaque dona fremebant.
Non tamen his flexit verbis Agamemnona: ſaevus
Ille virum totis actutum excedere caſtris
Imperat, ac flentem dictis inceſſit amaris:
Ocyus hinc abſcede, ſenex; ne, ſive manentem,
Seu puppes fuero redeuntem nactus ad altas,
Nil tibi jam proſit ſceptrumve, aut inſula Phoebi.
Quam poſcis, gnatam certum eſt dimittere nuſquam,
Dum procul abductam patria tellure ſenectus

v. 30.

Oc-

Occupet Argivas inter, noſtrumque cubile
Ornantem, & gracili texentem ſtamine telas.
At tu, dum ſalvo licet, hinc te proripe; nec me
Incaſſum precibus, longaque incende querela.
  Sic ait: ille metu mutus nihil hiſcere contra
Eſt auſus; taciturſque dolenſque in litore curvo,
Spumea qua rauco frangunt ſe caerula fluctu,
Ibat; &, ad caelum tollens manantia fletu
Lumina, ſollicito dedit has de pectore voces:
  Audi haec, arcitenens, cujus ſub numine Chryſa eſt,
Quo Cilla & Tenedos circumflua rege ſuperbit,
Sminteu: ſi qua tuus templo tibi grata ſacerdos
Serta tuli, impoſui ſi quando viſcera flammis
Caprarumque, boumque; unum hoc da, magne, precanti,
Phoebe: luat miſeri lacrimas, luctumque parentis
Foeda clade tuis Danaûm gens icta ſagittis.
  Talibus orantem Phoebus, fletuſque cientem
Audiit, & ſummi celſo de vertice Olympi,
Obſcuro faciem nimbo circumdatus almam,
Deſcendit; non ille arcus, pharetramque decoram
Oblitus, non tela; humero quae mota ſonabant,
Turbidus obſtantes lapſu dum trajicit auras.
  Ut venit, claſſi adverſus conſedit, & acrem
Contenditque arcum torvus, celeremque ſagittam
Expulit; inde aliam atque aliam. ſtriduntque, volantque
Tela Dei, horrendumque argenteus inſonat arcus.
  Principio celereſque canes, montanaque ſtravit
Jumenta; hinc ipſos jaculis inceſſit acutis,
Funera funeribus cumulans; ſemperque recenti
Igne pyrae latos paſſim fulſere per agros.
  Tela novem cecidere dies: lux extulit ortum
Ut decima, in coetum vocat omni a litore Grajos

v. 54.

 Peli-

Digitized by Google

Pelides, magnae monitu Junonis: Achivûm
Quippe vicem curans morientum diva dolebat.
Nulla mora; Aeacidae juſſu venere frequentes
Argolici proceres, Danaûmque exercitus omnis.
Quos inter ſurgens heros ita ſarier orſus:
Atrida, ut video, Troja Phrygibuſque relictis,
Errandum rurſus pelago, vitandaque fata;
Si qua tamen feſſis dederit fortuna regreſſum.
Nam ſimul heic bellumque lueſque abſumit Achivos.
Verum age, nunc aliquem, ſeu vates ille, ſacerdos
Sive fuat, ſomnive interpres, (ſomnia namque
Ipſe deûm caelo genitor demittit ab alto)
Oremus pandat, cur ſaevit Phoebus Apollo?
Num prece, neglectus, ſacro aut ſuccenſet omiſſo?
Num pingui nidore ovium, pecoriſque piatus
Caprigeni, triſtes ponet placabilis iras?
Talia Pelides: contra cui talibus infit
Calchas Theſtorides; quo non praeſtantior alter
Augurio divûm mentes, atque abdita rerum
Pandere. ſcit vates fato quaecumque trahuntur,
Quae ſunt, quae fuerunt; Phoeboque acceptus & idem
Lectus, ad Iliacas claſſem qui duceret oras,
Captaretque auras augur, curſumque doceret:
Nempe jubes, regi ſuperûm gratiſſime Achilleu,
Fatidicis iram Phoebi me pandere dictis.
Pando equidem: divûm ſed tu mihi numina ſancta
Jura, quidquid erit, verbis, dextraque futurum
Auxilio. Grajis qui maximus imperat, unum
Quem populi obſervant regem, non auribus aequis
Audiet haec. capiti exitium, rebuſque ruinam
Comparat ille ſuis, regum qui concitat iram
Deterior; regum ira latet ſub pectore, donec

v. 81. Erum-

Digitized by Google

Erumpat ſe, nacta locum, tempuſque nocendi.
Ergo age, dic, num quis me laedet vera loquentem,
Parentemque tuis, Danaûm fortiſſime, juſſis?
Aeacides contra; Fide, inquit, pelle timorem,
Quiſquis ineſt animo; fretus me vindice, noſti
Augurium quodcumque, refer. teſtis mihi Phoebus;
Quem tibi rite vocas; Grajis quo afflante futuros
Eventus aperis, mentemque, & fata deorum;
Donec ero, veſcarque auris vitalibus uſquam,
Nullus erit, qui te violet, dextramque ſceleſtus
Impune attollat contra: non, dixeris ipſum
Si regem, imperio cunctis qui praeſtat, Atriden.
Sic animo eſt vatis pulſus timor. ergo ita fatur:
Non prece, non ſacro ſuccenſet Phoebus omiſſo.
Ille ſacerdotem propter furit; his Agamemnon,
Quem foede caſtris exegit, nec dedit orbo
Dilectam patri gnatam; nec dona recepit
Ferreus. hunc propter ſaevit deus, & magis idem
Saeviet, ille luem nunquam, nec funera feſſus
Mittere, ni patrios repetat formoſa penates
Chryſeïs, doniſque auctus, nataque recepta
Placatus genitor, taurorum ſanguine multo
Ipſe deum exoret, coeptas ne proferat iras.
Talibus orantem torvo Pelopeïus heros
Lumine ſpectabat: mens ira exaeſtuat, acres
Horrendum micuere oculi, turbataque frons eſt.
Tum vatem increpuit, rupitque has pectore voces:
Terrorum infelix vates, laetabile nunquam
Quidquam ego te audiero, ſemper ſed voce canentem
Dira triſte aliquid? nam me ſaevis tua dictis
Perpetuo immeritum laedunt reſponſa, nec unquam
Meve, meoſve juvas vel verbo, perdite, vel re.

v. 109.

Et

Et nunc vaticinans irato haec ſunera Phoebo
Miſſa canis genti Danaûm, dimittere captam
Quod non ſuſtinui Chryſeïda. quippe Mycenis
Optabam noſtros coleret captiva penates;
Illa Clytemneſtra melior, quam corpore, mente
Quam celeri longe praeſtat, manuumque labore.
Nec tamen abnuero, ſi rerum pendet ab illa
Certa ſalus, Chryſam duci, reddique parenti:
Nec populi exitio laetor, diriſque meorum
Funeribus: contra ſed vos mihi digna parate
Praemia confeſtim, donis ego ſolus Achivûm
Ne caream. nam quod mihi muneris obtigit, ecce
Dilapſum fluit e manibus longeque recedit.
  Vix ea fatus erat, paribus cum dius Achilles
It contra dictis, & magno haec pectore fatur:
  Inclute rex Atride, animo qui tantus habendi
Gliſcit amor? praedae non ulla intacta Pelaſgis
Pars ſuperat. victis quae capta ex urbibus olim,
Partiti ad naves tulimus, ſua quiſque, laboris
Exiguum ingentis pretium; nec didita caſtris
Cogi iterum, partemque tibi deducier aequum eſt.
Verum, age, poſcenti Phoebo concede puellam:
At nos tergeminis aequi penſabimus olim
Jacturam donis, ſi quando Jupiter urbe
Annuat Iliaca tandem, gazaque potiri.
  Tum ſic Atrides: Nequidquam vana per artem
Moliris, Pelida, dolis & cuncta videntem
Fallere vis tectis. partis tu nempe fruare
Dives? ego famula doleam fraudatus adempta:
Audi ergo, & mea dicta memor ſub pectore conde.
Vel mihi pro rapta dignum Chryſeïde munus
Sponte dabunt Graji, dare vel ſi forte recuſent

v. 137.

Spon-

Sponte ſua, veniens alta ad tentoria, dona
Vel tua, vel Telamoniadae, vel fortis Ulyſſei,
Ipſe abigam. quoquo veniam, contendere nemo
Audebit, metuenſque mali muſſabit inultus.
Attamen haec alias diſquiri praeſtat: in aequor
Nunc potius curvo deductam litore puppim
Remigio aptemus: conſcendat gnataque, gnatae
Et quas adventu laetus, doniſque ſacerdos,
Mactet oves Phoebo, peſtemque avertat Achivis.
Dux eat Idomeneus, Ajaxve, aut dius Ulyſſes;
Vel tu, ſi cordi eſt, rerum ſaeviſſime Achilleu,
Duc ipſe; atque, deo ſacris de more ſolutis,
Exora pacem Danais, rebuſque ſalutem.
  Talibus ille: tuens quem dudum lumine torvo
Pelides: Nam quis, rerum foediſſime, poſthac
Te Danaûm regem ferat, ac tua juſſa capeſſat;
Sive iter indugredi jubeas, ſeu tendere in hoſtem?
Non etenim huc veni Teucrorum laeſus ab ullo;
Nec mihi Dardania quiſquam de gente juvencos,
Paſcenteſve avertit equos, vel tempore in ullo
Frugiferos Phthiae viduavit fructibus agros.
Iliacis namque a muris Phthiotica longe
Regna jacent: medii montes, immenſaque ponti
Aequora. te propter patriam, caroſque penates
Liqui amens; quaeroque meo tibi ſanguine laudem
Veſanus, fratrique tuo. tu, cuncta ferentem
Vos propter, quidquam nec curas, nec facis hili:
Quaeque labor longus peperit mihi, quaeque dedere
Grajugenae merito, rapturum dona minaris.
Dona tuis non aequa tuli; nec dives abibo
Aeque olim, tandem captae cum moenia Trojae
Vaſtarint Danai. duri pars maxima belli

v. 165.

Uſque meis geritur manibus : cum denique laeti
Congeſtas partimur opes , tibi maxima praedae
Pars cedit ; magnis ego quae mihi parta periclis
Obvenit merces , abeo parvamque , meoque
Gratam animo portans ad naves , membra labore
Fractus adhuc , ſaevi longo & certamine Martis .
At nunc , quod ſatius multo eſt , te , ingrate , relicto ,
Cum ſociis , armiſque , aerata & claſſe per altum
Vela dabo ; nec me indecorem tua caſtra videbunt
Digna , indigna pati , fruſtra & bellare rapacis
Ludibrium Atridae . Quae poſtquam talia fatus
Pelides , contra tumido Pelopeïus ore :

I , claſſem committe auris , ventoque ferente
Carpe fugam quavis ; nec te moror , aut prece mens eſt
Ambire ut maneas . qui me obſerventque , juventque
Sunt alii mecum fortes , praeque omnibus aequus
Jupiter . I ; mihi te nemo eſt infenſior unus
Regibus e cunctis : cui ſemper jurgia cordi ,
Rixaeque , pugnaeque . acer quod Marte feroci
Praeſtas , parce tumere ; Dei ſunt omnia munus .
I , puppeſque tuas tecum , pubemque tuorum
Duc ſedes longe ad patrias , regnaque per urbes
Myrmidonum : nec te curo jam ſcilicet hilum ,
Nec metuo iratum . quin hoc ambage ſine ulla
Praedico : mihi formoſam Chryſeïda Phoebus
Quando aufert ; puppique mea deducta , meoque
Remige mittetur : verum Briſeïda pulchram
Ipſe , tuum munus , per vim tentoria ad alta
Rapturus veniam ; noſcas ut denique , Achille
Atrides quanto melior ſim ; nec minus alter
Horreat aequalem mihi ſeſe attollere contra .

Sic ait : indoluit Pelides , atque ſub hirto

v. 188.

Pe-

Pectore conſilium partes verſabat in ambas.
Num femori haerentem gladium diſtringat, & acer
Diſturbetque viros circum, regemque trucidet;
An premat indomito gliſcentem corde furorem.
  Talia verſanti ſecum, magnaque trahenti
Fulmineum vagina enſem; delapſa per auras
Advenit caelo Pallas, quam regia Juno
Miſit, amanſque ambos, & curans diva; retroque
Adſtitit, injecitque manum flavaque prehendit
Caeſarie, mediis manifeſta in millibus uni.
Horruit, intremuitque artus, & lumina flexit
Verſa retro admirans Pelides; nec mora, divam
Agnovit fulgentem oculos; ac talia fatur.
O Jovis aegiſoni proles, dea, cur mihi, cur nam
Veniſti? an dantem ut videas jura omnia peſſum
Atriden? ſibi qui factis (non irrita jacto
Verba) ſibi exitium factis ſtruit ipſe ſuperbis.
  Haec heros; blandis cui ſic Tritonia verbis.
Diva modum poſitura tuo, Pelida, furori,
Si parere voles, veni huc delapſa deorum
Sedibus e ſuperis, miſſu Junonis, amore
Quae vos aequa pari ſpectatque, & curat utrumque.
Ergo age, parce gravi rixae; neve extrahe ferrum:
Dic potius, quot erunt, ſaevis convicia verbis.
Hoc tibi praedico vates non vana; futurum
Tripla tibi ut quondam pro tali praemia noxa
Ultro adſint: nunc parce, meis neve abnue dictis.
  Sic dea; ſic placidis reſpondit vocibus heros:
Veſtra quidem, ſuperi, faciendum eſt juſſa: caleſcant
Corda licet furiis, praeſtat parere tamen dîs.
Qui divos audit, divis auditur & ipſe.
  Talibus ille deam alloquitur, pulchroque tenebat

Homer. v. 218.

Ingentem in capulo dextram : dein impulit enſem
Horrendum retro , vaginaque abdidit alte ,
Praeſenti nequaquam auſus non cedere divae.
Ergo tecta Jovis Pallas , divûmque petivit
Concilium : Atridae rurſus maledicere coepit
Pelides , ſuditque irato haec turbidus ore :
Vino plene , caniſque oculos , cervique fugacis
Corda gerens , nunquam cum pube ad praelia , nunquam es
Auſus ad inſidias cum primis ire virorum .
Quippe putas mortem , belli tentare pericla .
Multo etenim praeſtat Danaûm per caſtra , vel uno
Si quis te laeſit verbo , mutireque contra
Eſt auſus , graſſari odiis , pretiumque laboris
Eripere , & praedae quidquid virtute paravit .
Rex populi haud paſtor , ſed foede vorator . inertes
Inter enim regnas : quod ni foret , haec foret hercle
Nunc illata tuae poſtrema injuria genti .
Sed tibi praedico , regum & violabile nulli
Jusjurandum addo . ſceptrum hoc regale , quod umbras
Et virgulta unquam non fundet , ſtirpe reciſum
Ut ſemel eſt , poſuitque comas , & brachia ferro ,
Olim arbos , auro incluſum geſtamen Achivi
Nunc manibus verſant reges , queis Jupiter auctor
Servandaſque dedit leges , dicendaque jura :
Hoc ego nunc teſtor ſceptrum regale , futurum
Tempus , cum Danaûm nemo non optet Achillem ;
Cum nequeas rebus lapſis , Atrida , levamen
Ferre ullum , fruſtra moerens , ubi milia paſſim
Leto multa dabit ferus Hector , ſtrataque ferro
Corpora acervatim campis confuſa jacebunt .
Tunc triſtes tibi diſcerpent praecordia curae ,
Tunc te damnabis fruſtra , ſeroque pigebit

v. 245.

Con-

Contempſiſſe virum, qui, Mars ubi praelia miſcet,
Optimus in cunctis pugnat bellator Achivis.
Sic ait; eque manu auratis fulgentia bullis
Sceptra ſolo iratus projecit; ſedit at ipſe
Turbidus. Atrides contra furit aſper, acerbus,
Dira fremens. Horum medius tum, ſede relicta,
Exſurgit Neſtor, Pyliae rex gentis, & auctor
Conſilii ſapiens, cui vox manabat ab ore
Suaviloquo jucunda, ipſo dulcis mage melle.
Huic duo ſecla virûm, quos inter natus & altus
Ille Pylo in ſacra fuerat, jam condita dudum
Deſierant, aetas haec ibat tertia regi.
Qui bonus ambobus prudenti haec pectore fatur:
Pro ſuperi! tibi quantus adeſt jam Graecia luctus!
Gaudebit certe Priamus, natique, Phrygumque
Turba omnis tota exſultans laetabitur urbe,
Audierit ſi vos, Grajûm duo lumina, primos
Conſilioque manuque, odia exercere, moleſta
Et rixa implicitos jurgari mutua: verum
Audite, atque ſeni laeta parete minores
Mente ambo. verſatus ego ſum nanque virorum
In coetu quondam virtute ac robore vobis
Praeſtantum longe, nec me ſprevere monentem.
Nullum quippe virum vidi, nullumque videbo,
Qualem Pirithoum regem, regemque Dryanta,
Caeneaque, Exadiumque, deoque parem Polyphemum,
Theſeaque Aegiden formaque, & viribus aequum
Caelitibus. nemo his fuit uſquam fortior omni
Terrigenum in numero. fortes cum fortibus arma
Contulerunt, fretique animis bella aſpera contra
Montanas geſſere feras, & Pelio in alto
Nubigenas dira ſtraverunt caede bimembres.

His ego tunc; ipſi nanque ultro in bella vocarunt;
Ex Apia, atque Pylo veni comes; atque virili
Pugnabam pro parte hoſti, non audeat ullus
Cui pugnare hominum, veſtra haec quos extulit aetas.
Ille virûm me flos audibat ſaepe, meiſque
Parebat monitis. hortanti, & vera monenti
Vos quoque nunc parete, oro; quod proſit utrique.
Nec tu, Atrida, potens quamvis magnuſque, puellam
Eripe, donarunt olli quod munus Achivi:
Nec tu, Pelide, regi contende; parem rex
Sceptrifer haud etenim eſt aliis ſortitus honorem;
Cui decus ipſe dedit magni regnator Olympi.
Si te diva parens genuit, ſi Marte feroci
Hunc vincis, regno vincit, plureſque coercet
Imperio ille tamen. dirum at compeſce furorem
Tu prior, Atride. Peliden, ponat ut iram,
Ipſe orans flectam precibus; qui murus Achivûm
Eſt genti ſaevi contra diſcrimina belli.
  Haec ſenior. tum ſic Atrides: Vera, nec ulli
Non laudanda, ſenex, dicis; verum efferus iſte
Exſultatque animis, vultque omnibus altior unus
Ire aliis, fraenare omnes, ac ducere quovis,
Regna tenens. fruſtra ſperat ſed talia Grajos
Poſſe pati. duri fortem ad certamina belli
Quod fecere illum faciles dî, ſaeva profari
Idcircone ſinunt ſtulta convicia lingua?
  Jactantem haec celer eſt ſic interfatus Achilles:
Imbellis fuerim, & nihili, quaecunque loquare,
Servorum in morem tua ſi praecepta faceſſam.
Quaere alios, quibus imperites, faciendaque mandes
Ore minax torvo. tua jam nec juſſa veretur
Pelides, regique negat parere ſuperbo.

v. 296.

Hoc

Hoc tibi praeterea dico, tu pectore dictum
Conde memor. certum eſt pro ſola nolle puella
Vel te, vel quenquam contra pugnare, dediſtis
Quandoquidem quae dona, eadem nunc tollitis ipſi.
Sed, quae multa mihi congeſta in puppibus altis
Sunt alia, invito ne quis me attingere, clamo,
Audeat. aut agedum conare, Atrida, periclum
Et facito, ut noſcas rem tuque, & cetera Grajûm
Turba omnis. mora nulla, tibi latus hauriet imum,
Atque tuo tepefacta fluet mea ſanguine cuſpis.
  Haec ubi jactarunt ſaevis mala jurgia dictis,
Surrexere ambo, coetuque abiere ſoluto.
  Pelides graditur celſa ad tentoria, regem
Patroclo ac denſa comitum ſtipante caterva.
Atrides celerem deducit litore puppim,
Remigioque legit biſdenos, robora pubis
Argivae: tum dona deo portanda carinae
Imponit, pulchramque una Chryſeïda ducens
Ipſe locat. prudens dux puppim ſcandit Ulyſſes.
  Illi alacres pellunt certantibus aequora remis;
At juſſu Atridae luſtrat ſe cetera pubes,
In ſalſum & ſordes abſtergens dejicit aequor.
Tum Phoebo mactant procurvo in litore paſſim
Caprigenumque pecus, praeſtanti & corpore tauros,
Imponuntque aris. late ſe fumida nubes
Attollit, mixtuſque altas it nidor ad auras.
  Talia dum celerat caſtris Argiva juventus,
Atrides, nondum pacato corde minarum
Immemor, Eurybaten compellans, Talthybiumque,
Praecones ambo, celereſque ad juſſa miniſtros;
Ite, ait, actutum celſa ad tentoria ſaevi
Aeacidae, atque manu Briſeïda ducite. juſſus

v. 323.

Nam

Nam dare ſi renuat, fuerit quod acerbius, ipſe
Majori veniam numero comitante meorum.
Sic ait: hi regis non mollia juſſa faceſſunt;
Moerenteſque ibant propter mare, donec ad altas
Myrmidonum puppes, & ſepta ingentia magni
Pelidae venere. illic videre ſedentem
Pro foribus juvenem tentoria ad ipſa, ſuaque
Non longe a puppi. venientes vidit Achilles,
Agnovitque, animoque haud eſt laetatus. at illi
Magnanimum veriti regem, & formidine mentem
Suſpenſi, effari nihil auſi, nilque rogare,
Stabant. his, gelido perculſos nanque pavore
Senſit, Pelides haec miti pectore fatur:
Praecones ſalvete deûmque hominumque ſequeſtres;
Huc propius me ferte pedem. non veſtra, tyranni
Culpa ſed eſt, duci ſibi qui Briſeïda ſaevus
Imperat. En age, quam poſcit, Patrocle, puellam
Educ ipſe foras, ducendam & tradito: at eſte
Ipſi olim teſtes coram dîs, quidquid & uſquam
Eſt hominum, coramque immiti rege; cruentam
Grajorum ob cladem noſtri ſi venerit uſus.
Demens quippe ruit veſana mente, nec ante
Quid fuerit, nec quid venturum proſpicit, olli
Salva rates juxta pubes ut pugnet Achivûm.
Sic ait: at dicto paret Patroclus amici,
Formoſamque foras ducens Briſeïda, tradit.
Illi abeunt rurſum ad naves: invitaque flenſque
It mulier, lento figens veſtigia greſſu.
Tum vero moerens lacrimaſque effudit Achilles,
Et longe a ſociis digreſſus litore in ipſo
Conſedit pontum adſpectans, palmaſque tetendit,
Et caram tali eſt affatus voce parentem:

v. 351.

Ma-

Mater, ad anguſti ſpatium cui ſcilicet aevi
Sum genitus, claro ſaltem decoraſſet honore
Me pater altitonans: miſerum nunc deſpicit, ullam
Nec tribuit partem decoris. majoris Atridae
Ludibrium heic jaceo; mea praemia rapta ſuperbus
Ille habet. Hos alto rumpebat pectore queſtus,
Perque genas ibant lacrimae ſine more fluentes.
At mater, ſpecubus quae tunc, ut ſueta, ſedebat
In patriis, gemituque audito exterrita ſurgit;
Et ſummo, nebulae ſimilis, tenuique vapori,
Emerſit fluctu, ſeditque in litore gnati
Ad latus, atque manu flentem permulſit amica.
Tum roſeo, blande compellans, ore locuta eſt:
Quid fles? quis menti ſubitus dolor incidit aegrae?
Dic age, dic, caram nec cela, nate, parentem.
Ille refert, imo gemitum de pectore ducens:
Scis, mater, ſcis ipſa. jubes quid nota profari
Nequidquam? Thebas, ſacram ſedem Eetionis,
Venimus, & captam bello vaſtavimus urbem.
Praeda ingens, vecta huc ad naves, inter Achivos
Rite fuit diviſa omnis. Chryſeïda ſorti
Exemptam dedimus majori munus Atridae.
Dein Chryſes, Phoebi curat qui templa ſacerdos,
Advenit Grajûm ad naves ingentia ſecum
Dona ferens, natae pretium, vittamque precantum
De more implicitam ſceptro geſtabat, & omnes
Ambibat precibus Grajos; geminoſque rogabat
Praecipue Atridas, rerum queis tradita ſumma eſt,
Dicta ſenis Grajos flexere; ſacrique verendam
Canitiem capitis, capiendaque dona fremebant.
At non Atriden precibus, non vincere fletu
Evaluit. miſeri lacrimas ferus ille parentis

v. 378. In-

Increpuit; caſtriſque actutum excedere juſſit
Multa minans. triſti ſenior tum percitus ira
Retro abiit: Phoebus Danais quem dira precantem
Audiit, atque luem fatali turbidus arcu
Immiſit foedam populis. condenſa jacebant
Corpora acervatim nigro manantia tabo;
Saeva dei totis volitabant ſpicula caſtris.
Inde, malae ut cladis veraci pectore cauſſam
Fatidicus vates, Phoebo monſtrante, retexit;
Primus ego coetu in Danaûm, quem rite vocaram,
Placarique deum juſſi, reddique puellam.
Atrides dirum infremuit, ſurgenſque minatus
Eſt mihi, quae doleo nunc jam perfecta. parenti
Puppe cava Chryſae gnatam delecta juventus
Argivûm ponto ducit, mactandaque Phoebo
Dona vehit: noſtrum gemini, Briſeïda, munus
Praecones duxere modo ad tentoria regis.
Verum age nunc, ſiquod potis es, tu ſedula proli
Auxilium fer diva tuae. caeleſtia ſcandens
Tecta Jovem exora ſupplex; tibi Jupiter unquam
Si dicto eſt ullo, factove adjutus. in aede
Jactantem patria nam ſaepe audiſſe recordor,
Te ſolam e ſuperis dirum avertiſſe Tonanti
Exitium, cum vincla olli dî, vimque pararent,
Neptunus pater, & Juno, & Tritonia Pallas:
Solam atrox turbaſſe nefas, ſubitoque vocaſſe
Centimanum, divi Briareum quem nomine dicunt,
Aegeona homines. advenit, robore patrem
Ille ſuum praeſtans, multo qui laetus honore
Caelicolas inter magna in Jovis aede ſedebat.
Hunc veriti abſtiterunt coepto dî; vincla trementum
Excuſſa e manibus, libertas parta Tonanti eſt.

v. 406.

Haec

Haec memorat juxtaque ſedens, amplexaque ſupplex
Genua dei; ſi forte velit Troaſque juvare,
Et Danaûm ad celſas pubem compellere puppes
Litus in extremum, caeſam, foedeque fugatam;
Cui parent, omnes praeclaro ut rege fruantur;
Utque malo ingenti doctus jam noſcat Atrides,
Et doleat noxam; laeva quod ſprevit iniquus
Mente virum, in cunctis cui par non ullus Achivis.
  Haec ille: haec lacrimis contra Thetis alma profuſis:
Cur laevo genitum te, gnate, miſerrima fato
Eduxi? cura vacuus, nec laeſus ab ullo
Saltem ageres heic ad naves, cui tam prope vitae
Dî finem poſuere. brevi nunc, o miſer, aevo es,
Moeſtior & cunctis, curiſque infeſtior aevi
Hoc quodcunque trahis, Parcis heu natus iniquis.
Ibo equidem aetherei praecelſum ad culmen Olympi,
Atque Jovi, quae vis, fabor, ſi flectere poſſim.
Interea tu, nate, cavis ne abſcede carinis,
Iratuſque ſede Grajis, nec proelia tenta.
Heſternus, divûm coetu ſtipante, remotos
Oceani ad fines abiit conviva bonorum
Jupiter Aethiopum: biſſena luce redibit
Sidereas caeli ad ſedes. tunc ardua ſcandam
Tecta Jovis, genibuſque advolvar: verba precantis
Irrita nec cedent, ni ſpes me ludit inanis.
  Sic ait, eque oculis dilapſa evanuit, aegrum,
Iratumque animi linquens, demptumque furentem
Ob decus, & raptam forma praeſtante puellam.
  Interea Laërtiades mactanda ferebat
Dona deo, & Chryſae ad ſacras pervenerat oras.
Curva ubi ſe portu primum ratis intulit alto,
Vela legunt, mediaque locant compoſta carina:

Homer. v. 435.

Funibus hinc malum demittunt, atque paratam
Reclinant apte in ſedem; celerique per undas
Remigio tuta ſeſe ſtatione recondunt.
Anchora tum jacitur, firmant retinacula puppim.
Optatum in litus juvenum manus emicat: inde
Exponunt laeti pecudes, Phoebeïa dona,
Et pulchram ad patrias ducunt Chryſeïda ſedes:
Ipſe manu ſacram Phoebi quam ſiſtit ad aram,
Atque patri, ut juſſus, tradens haec fatur Ulyſſes:
  Huc me, Chryſa, virûm regnator miſit Atrides,
Et juſſit gnatamque tuam tibi ducere, Phoebo
Et ſacere, ac placare deum, qui concitus ira
Saevit, & ingenti luctu demergit Achivos.
  Sic ait; inque manus patri dat: ſuſcipit ille
Gaudens, ac tremulis oblatam amplectitur ulnis.
  Interea pulchram juvenes ex ordine ad aram
Mactandas ſtatuunt pecudes, & flumine puro
Perfudere manus, ſpargendaque farra tenebant,
Atque ſalem. Chryſes ambas ad ſidera palmas
Suſtulit, ac ſenior ſic magna eſt voce precatus:
  Audi haec arcitenens, praeſenti numine Chryſam
Qui regis, ac Tenedum, Cillamque. haud vana precantem
Et prius audiſti, mihi laudem, triſtia Grajis
Damna ferens; & nunc audi, finemque malorum
Da, pater, ac peſtem Danais averte nefandam.
  Sic ait; atque deum non caſſa in vota vocavit.
Graji etiam fudere preces, veniamque rogarunt.
Tum fruges jaciunt ſalſas; cervice reflexa
Dein ſacras jugulant pecudes, ac tergora coſtis
Deripiunt, ferroque ſecant femora, atque plicantes
Omento involunt pingui, ſupraque reſecta
Omnibus e membris imponunt fruſta: ſacerdos

v. 461.

Quae ſacris adolet flammis, rubicundaque fundit
Vina: gerunt juvenes hinc atque hinc viſcera quino
Fixa veru. poſtquam flammis femora uſta, frequentes
Toſta igni poſtquam guſtarunt viſcera ad aram;
Secta minutatim fixerunt cetera longis
In verubus, curantque dapes, laetique paratis
Veſcuntur, ſtructiſque agitant convivia menſis.
Poſtquam exempta fames, amor & compreſſus edendi eſt,
Crateras pueri ſtatuunt, & vina coronant,
Inque orbem cyathis hauſtum tribuere liquorem.
Pota dehinc pubes laetum paeana canebat,
Tota & luce ſacro celebrabat carmine Phoebum,
Placabatque iram certo jaculantis ab arcu.
Audibat, largoque deus gaudebat honore.
  Interea aequoreas currum Sol condit in undas,
Et nigris terram involvit Nox atra tenebris.
Somno illi ad curvam ſeſe ſtravere carinam.
Inde, ubi purpureo veniens proceſſit ab ortu
Aurora, excedunt portu, curſumque capeſſunt
Ad ſocios. auram Phoebus pater ipſe ferentem
Adſpirat. laeti malum arrexere, ſinuſque
Velorum niveos pandunt; tum carbaſus auſtro
Inflatur, proram ſubter fremit unda, liquentes
Uncta vias currit, fluctu cedente, carina.
Aſt ubi venere ad ſocios, Argivaque caſtra
Ingreſſi, curvo ſubducunt litore puppim,
Longaque ſupponunt firmo de robore fulcra,
Dilapſique abeunt ſua quiſque ad ſepta, rateſque.
  Magnus at ingenti Pelides turgidus ira
Myrmidonum ad naves ſecreta in parte ſedebat,
Non coetus Grajûm viſens, non praelia; triſti
Sed lacerans animum cura, pugnaeque videre

v. 493.

Implicitos durae cupiens diſcrimine Achivos.
Jamque adeo duodena Eos proceſſerat amne
Oceani. Aethiopum linquentes regna redibant
Sideream divi ad ſedem. rex Jupiter ante
Incedit, ſubeunt alii, patremque caterva
De more ingenti celſa intra limina ducunt.
Nec Thetis eſt oblita preces, mandataque gnati;
Caeruleo at fluctu emergens feſtina ſupremi
Aërium per iter culmen conſcendit Olympi
Mane novo. Heic coetu divûm ſecretus ab omni
Jupiter in ſumma caeli regione ſedebat.
Quem Thetis ut ſolum nacta eſt, contraque, profuſo
Ora madens fletu, ſedit, laevamque, precantum
More, manum appoſuit genibus, dextramque ſub imum
Suppliciter mentum admovit; dehinc talia fatur.
O pater, o divûm rex; inter numina juvi
Si te unquam verbo, vel re; da, magne, precanti,
Quod cupio, duruſque meos ne deſpice fletus.
Da, meus in Danais per te clareſcat Achilles,
Quem citus heu dulcis vitae manet exitus; omne
Cui ferus Atrides miſero decus abſtulit, &, quae
Pulchra viro dederant virtutis praemia Graji,
Eripuit, fas & contra ſibi vindicat omne.
At tu nunc, genitor, ſarci quod laudis ademptum eſt
Inſonti; atque favens Trojanis annue palmam
Uſque, meam donec prolem tot cladibus acti
Grajugenae donis cumulent; largoque rependant
Foenore, quod nunc flet raptum, decus. Haec ait alto
Cum gemitu. reddit nil contra Jupiter; haeret
Sed tacito immotus vultu. cunctatur & ipſa,
Genua tenens arcte, ſemel ut complexa, nec uſquam
Eſt potis avelli; roſeoque haec ſubjicit ore:

Jam mihi vel ſponde, pater, & bonus annue, contra
Abnue vel tandem, (nam quis metus?) hoc ego ſaltem
Infelix ut noſſe queam, quam gratia noſtra
Sit levis, inque deis quam negligar omnibus una.
Ingemuit pater; &, Cur me, dea, triſtia cogis
Moliri nunc facta, inquit, cum conjuge & iras
Exercere? malis quae me veſana laceſſet
Actutum verbis; mihi quae convicia divis
Saepe facit temere in mediis, queriturque juvare
Quod ſoleo immeritos dura inter praelia Teucros.
Quin tu, oro, has, videat ne te Saturnia, ſedes
Linque domum rediens: curae mihi ſcilicet iſta
Res erit: haud patiar fruſtra me, diva, rogatum.
Haec adeo, ne forte meis diffidere verbis
Incipias, moto firmabo vertice dicta.
Haec mihi nanque fides verborum eſt maxima ſanti
Caelicolas inter: moto quod vertice cunque
Annuero, immotum ſtat nec revocabile, donec
Pollicitum implerint maturo tempore Parcae.
Sic ait, & capite atque oculis pater annuit: almam
Ambroſius fluxit per frontem & regia crinis
Tempora: contremuere arces, & culmina Olympi.
His actis, ambo digreſſi. diva profundum
Deſilit in pontum: caeli de vertice ſummo
Jupiter ingreſſus tectum eſt regale. parenti
Aſſurgunt divi confeſtim e ſedibus omnes,
Nec quiſquam eſt auſus venienti haud obvius ire.
Tum ſolio medius conſedit. regia Juno
(Vidit enim furtim ſecreta in parte loquentem
Cum nympha quiddam Nereïde) talibus audax
Orſa Jovem dictis inceſſere: Nectere fraudes
Docte, deûm quiſnam tecum eſt congreſſus, & una

v. 540. Se-

Sedit ? quidve doli ſtruitis ? cur me omnia celas,
Conſiliumque capis ſemper ſine conjuge, nec, quas
Mente ſoves, rerum pateris me noſcere quidquam.
  Sic Juno : aſt hominum contra pater, atque deorum :
Diva, meo verſo quaecunque in pectore, pandi
Si vis cuncta tibi, ludet ſpes te irrita ; proſit
Nec tibi quod conjux mea diceris. omnia ſciri
Quae decet, haec prae te nemo divûmve, hominumve
Noverit : at divos quae celans molior, haec tu
Omnia nequidquam ſcitari & quaerere parce.
  Huic amplis veneranda oculis Saturnia : Nam quid
Eſt opus, o conjux, tam dura & ſaeva profari ?
Et nimium quidquam nec ſcitor, nec tua ſcrutor.
Moliris nullo contra pugnante, paraſque
Securus quodcunque lubet. ſed, candida blandis
Aequorei te nata ſenis ne ceperit actum
In fraudem verbis, metuo. nam vafra ſedenti
Aſſeditque, genu & flens eſt amplexa ; deaeque
Pollicitus, credo, es clarum decus addere Achilli,
Multa dare ad puppes Grajorum & milia leto.
  Huic genitor, nutu caeli qui nubila cogit :
Juno, nihil non tu conjectas ; fallere nuſquam
Te poſſum. at quid ages aliud tamen, improba, ni te
Ut magis averſer ? triſte ut tibi ſtulta periclum
Arceſſas ? nam, ſi vera iſtaec fare, voluntas
Quod mea fert, facio non ulli obnoxius. at tu
Jurgari jam parce, ſedens & comprime vocem,
Atque meis pare dictis, ne quotquot Olympum
Divi habitant miſerae nil proſint, ſi tibi ſaevas
Injiciam gliſcente manus male percitus ira.
  Haec pater : illa metu pectus conterrita ſedit,
Nil contra mutire audens, iramque ſub alto

v. 569. In-

Ingentem, & ſaevos compeſcens corde furores.
Cuncti una patriam divi ingemuere per aedem.
At matri cupiens Vulcanus demere curam,
Caelicolis haec in mediis ita farier orſus:
Quis probet haec autem? vel quis ferat eſſe deorum
Hanc tantam primis rixam pro gente puſilla
Terrigenum, & ſubito miſceri cuncta tumultu?
Haec inter quem laeta juvent convivia, largae
Atque dapes; quando vincunt pejora? parentem,
Illa quidem per ſe quanquam ſapit, attamen ipſe
Hoc moneo: patrem contra ne pugnet, at iram
Obſequio vincat; verbis ne rurſus acerbis
Saeviat, ac nobis epulas & gaudia turbet.
Quippe etenim, ſi forte velit, nos ſedibus altis
Deturbare poli poſſit, qui vi anteit omnes
Horrendumque ciens tonitru, & flammantia torquens
Fulgura. Tu, genitrix, verbis placare minacem
Blanda para: facilis flecti eſt; placiduſque bonuſque
Continuo fiet, nec triſtes proferet iras
Longius. Haec dicens ſurgit de ſede, rotundum
Inque manus cyathum matri dedit, atque ita fatur.
Quidquid id eſt, mater, ferto aequa mente, moleſtum
Sit licet, heic videam ſciſſam ne forte pudendis
Verberibus, nec opem poſſim tibi ferre vocanti
Auxilium; fruſtra ſed cogar flere. Tonantem
Haud facile eſt magnum contra contendere vires.
Et quondam, memini, mater, tibi ferre volentem
Auxilium, arripuitque pede, & jaculatus ab alta eſt
Aede procul. tota, quam longa eſt, luce ferebar
In praeceps longe magnum per inane. cadente
Sole, ſuper Lemnum cecidi. excepere benigne
Sinties infractumque artus, animamque trahentem

v. 594.

Vix

Vix aegre tenuem . Sic ſanti maxima Juno
Arriſitque, oblata manu nec pocula ſprevit.
Tum dextra exorſus magno e cratere deabus,
Atque deis hauſtum miſcebat nectar : at ingens
Continuo riſus longi & ſonuere cachinni ,
Ut claudum videre deum fragrantia ferre
Pocula , feſtinumque amplas curſare per aedes .
 Sic tota pariter celebrant convivia luce
Solis ad occaſum laeti , dapibuſque fruentes ,
Auratae & ſtrepitu citharae , quam pulcher Apollo
Pulſabat , cantu & Muſarum alterna canentum .
 Verum ubi ſe clari ſolis jubar abdidit almum ,
Conſurgunt menſis, coetuque ad tecta ſoluto
Quiſque ſua abſcedit ſomno gravis , aurea cuique
Olim ſolerti quae fecit Mulciber arte .
Ipſe etiam ad thalamum , dulci laxare quiete
Membra ubi conſuerat , proceſſit Jupiter , & ſe
Compoſuit ſomno : cubuit prope regia Juno .

v. 611. HO-

HOMERI ILIADOS

LIBER SECUNDUS.

DI ſomno curas dulci, turmaeque virorum,
Et caelo, & terris, tacita ſub nocte levabant:
Jupiter inſomnis verſabat corde ſub alto,
Pelidae quonam decus ingens, triſtia quonam
Grajugenis ferret quamprimum funera pacto.
Omnia verſanti, haec animo ſententia ſedit,
Mittat ut Atridae Viſum exitiabile regi.
Hoc vocat ad ſeſe confeſtim, ac talia mandat.
Larva nocens, hominum ſopito illudere ſenſu
Docta, ito ad naves Danaûm; ac tentoria furtim
Ingredere; Atridenque meis Agamemnona verbis
Alloquere, haec portans, quae do, mandata: comatos
Inſtruat ad pugnam toto de litore Achivos.
Ampla etenim Trojae capiet jam moenia. diſcors
Ante, deûm nunc haud variat ſententia; cunctos
Flexit enim precibus tandem Saturnia Juno:
Trojanis & jam clades extrema parata eſt.
Sic ait: audivit ſummi ut mandata parentis,
Umbra levis rapido caeli per inania lapſu
Argolicas volat ad naves, majoris Atridae
Septum adiens; regemque intra tentoria nacta eſt
Membra toro ſtratum: ambroſius cui corpora late
Fundebat ſeſe circum languentia ſomnus.
Huic ſtetit ignaro ſupra caput, omnia dio
Nelidae ſimilis, quem reges inter Achivos
Eximio Atrides unum obſervabat honore.

Tum fatur: Dormis, Atrida invicte? ſupremum
Tota nocte ducem placido indulgere ſopori
Non decet, uni omnis rerum cui credita ſumma.
Ergo audi: venio Jovis huc tibi nuncius. ille
Aequus amat nam te, caelo & miſeratus ab alto eſt;
Ac jubet exorta feſtinum luce comatos
Inſtruere ad pugnam toto de litore Achivos.
Ampla etenim Trojae capies jam moenia. diſcors
Ante, deûm nunc haud variat ſententia; cunctos
Flexit enim precibus tandem Saturnia Juno:
Trojanis & jam clades extrema parata eſt
Ab Jove. dicta memor ſerva haec, oblivia mentem
Neu capiant, dulcis cum ſomnus deſeret artus.

Sic ait; inque auras fugit, regemque reliquit
Haec verſantem animo nunquam eventura. putavit
Nanque die vertenda illo ſibi moenia Trojae,
Neſcius heu ſtrueret magni quid rector Olympi,
Multos ille parans gemitus, luctumque, laboremque
Et Troum & Danaûm dura inter praelia genti.

Jamque adeo pulſus ceſſit ſopor: haeret in ipſis
Viſa tamen facies oculis, audita ſonat vox
Auribus in mediis. molli tum corpora ſtrato
Erigit, atque ſedens pexamque, & pulchra nitentem
Induitur tunicam, dehinc pallia longa ſuperne
Injicit, atque pedum circundat vincula plantis,
Eque humero bullis clarum ſuſpenderat enſem.
Tum veterum cepit ſceptrum immortale parentum.
Hoc geſtans Danaûm ad naves greſſum tulit heros.

Aurora interea celſum conſcendit Olympum,
Atque Jovi, atque aliis lucem dîs nuntiat almam.
Atrides magna praeconum voce vocari
Imperat in coetum Danaos: mora nulla, vocati

v. 52.

Adve-

Adveniunt, ſeque affundunt, denſantque frequentes.
Neſtoream primo ad navem conſidere juſſit
Maturos aevi proceres, dehinc talia fatur
Conſilium exorſus: Laetas advertite mentes,
O ſocii. placida ſtratus cum nocte jacerem,
Umbra levis caelo adveniens mihi viſa, decorum
Corpus, formam, habitum ſimilis tibi, maxime Neſtor:
Atque caput ſupra ſtetit, & mihi verba locuta eſt
Ipſa haec, quae refero: dormis Atrida? ſupremum
Tota nocte ducem placido indulgere ſopori
Non decet, uni omnis rerum cui credita ſumma.
Ergo audi: venio Jovis huc tibi nuncius; ille
Aequus amat nam te, caelo & miſeratus ab alto eſt.
Ac jubet exorta feſtinum luce comatos
Inſtruere ad pugnam toto de litore Achivos.
Ampla etenim Trojae capies jam moenia. diſcors
Ante, deûm nunc haud variat ſententia; cunctos
Flexit enim precibus tandem Saturnia Juno:
Trojanis & jam clades extrema parata eſt
Ab Jove. dicta memor fac ſerves. talia fata
Avolat umbra: ſopor dulcis mihi membra reliquit.
Ergo agite, Argolicas ſi forte armare phalanges
Contingat, ſaevoque animos incendere Marte.
Ipſe prior, qua fas, mentes tentare doloſis
Aggrediar cautus dictis; longoque jubebo
Defeſſos bello ad ſedes remeare paternas:
Vos aliunde alius verbis inhibete ruentes.
Haec poſtquam fatus, conſedit. Maximus aevo
Litoreae rex ille Pyli dehinc talia Neſtor
Subjecit: Socii, Danaûm regeſque duceſque,
Viſa ſibi caeca narraſſet ſomnia nocte
Si quicunque alius, vanus mendaxque putari

v. 81.

Quippe, nec immerito, poſſet, ſpernique. ſed ille
Dixit viſa ſibi, Grajos qui maximus inter
Sceptra gerit, regum longe optimus. ergo volenti,
Quod jubet, huc animo certatim impendite curam,
Argivae ut poſſint armari ad bella phalanges.
Sic ait; ac princeps coetu digreſſus abibat.
Conſurgunt pariter, concordi & pectore cuncti
Paſtori parent populorum, ac juſſa capeſſunt
Sceptriferi Danaûm reges. Ruit agmine magno
Interea toto condenſum litore vulgus.
Rupe cava ut quondam egrediens fluit ordine longo
Vulgus apum, ſupraque alias ſeſe uſque recentes
Agglomerant aliae, violaſque, & lilia circum
Verna catervatim fervent examine denſo:
Sic denſae in coetum celſis de navibus ibant
Caeruleos propter fluctus longo' ordine turmae.
Per medios ſe Fama Jovis fert nuncia, greſſum
Illa viros celerare jubens. ſpiſſum undique vulgus
Confluit, ac magno miſcent ſe infuſa tumultu
Agmina confertim: tum pondere preſſa ſedentum
Terra gemit. gliſcunt fremitus: at voce noveni
Curſantes magna praecones, parcere tandem
Clamori, ac dios reges audire jubebant.
Jamque adeo ſedere omnes, compreſſaque late
Murmura. tum ſurgens Agamemnon pectore coepit
Haec ficto; ſceptrum geſtans, quod Mulciber olim
Fecerat ipſe Jovi praebens venerabile donum.
Summus Mercurio donarat Jupiter, inde
Mercurius Pelopi, atque Pelops dehinc tradidit Atreo,
Diti Atreus liquit poſt fata extrema Thyeſtae.
Hic moriens geſtare dedit tibi, magne Agamemnon;
Et patriis regnare Argis, longeque remotis

v. 108.

Ur-

Urbibus in medio leges imponere ponto.
Hoc & tum nixus ſimulato haec pectore coepit:
  Heroes Danai, gens dura, invictaque bello,
Inſidiis & fraude mala Saturnius heu me
Jupiter implicuit fallens. promiſerat olim
Ille mihi laetos reditus poſt Pergama verſa.
Nunc jubet indecorem, tot poſt male perdita Grajûm
Milia, digreſſum ad ſedes hinc ire paternas.
Nempe Jovi hoc placitum; nutu qui cuncta potenti
Verſat agens; multas olim qui diruit urbes,
Diruet & multas rurſum volventibus annis.
Turpe ſed & ſeros hoc fando audire nepotes:
Totque viros, taleſque omni bellaſſe diu vi,
Nil egiſſe tamen; tanto cum Troïa pubes
Argiva inferior numero foret, omnibus actum,
Nil tamen impenſis operum, longoque labore.
Nam, placeat cunctos icto ſi foedere utrinque
Cenſere, hinc Danaos, hinc Troas, quotquot in urbe
Indigenae; ac deni pariter ſedeamus Achivi,
Vinaque Tros adſtet qui denis miſceat unus;
Grajugenum deſit multis, qui pocula ponat.
Uſque adeo Graji Troas praeſtamus, opinor,
Indigenas numero. ſocii ſed, milia multa,
Auxilio venere, haſtas quaſſare periti;
Atque moram injiciunt, nec bello imponere finem,
Et Phrygia nos urbe ſinunt, opibuſque potiri.
Quippe novem evolvit jam magnus Jupiter annos:
Robora jam ratibus putreſcunt, jamque rudentes
Solvuntur ſenio; interea deſertaque conjux,
Et flentes pueri ſolis nos uſque requirunt,
Credo equidem, in domibus; quos heic labor improbus uſque
Exercet miſeros nequidquam; caſſaque vota,

v. 137.

Speſ-

Speſque ferunt rapidi vanas per nubila venti:
Verum agite, ac dicto cuncti parete volentes:
Confeſtim ad patrios hinc demus vela penates,
Poſſe capi quando ſpes nulla eſt moenia Trojae.
Sic ait, incenditque animum ſub pectore cunctis,
Conſilium regis vafrum quoſcunque latebat.
Continuo immenſum coepit ferveſcere vulgus,
Concita ut Icarii tollunt ſe caerula ponti,
Cum Notus, atque altis de nubibus ingruit Eurus,
Ingenteſque cient veſano turbine fluctus.
Ac veluti denſam Zephyri cum flabra ſuperne
Impulerunt ſegetem, prono ſe vertice ſpicae
Inflexère, undat crebro ſeges horrida nutu.
Sic magno tot denſa urgent ſe milia motu.
It clamor caelo ad naves & curva ruentum
Litora: ſub pedibus denſa caligine pulvis
Tollitur: aura ſonat laetis hortatibus. altas
Arripiunt, certantque citi deducere puppes,
Atque cavas purgare vias, & fulcra carinis
Demere. late ingens confuſo murmure gliſcit
Vox inde ad patrias properantum ſolvere ſedes.
Tunc adeo fatum violans Argiva rediſſet
Pubes, Juno foret ni ſic affata Minervam:
Heu, Jovis aegiſoni proles Tritonia, ponto
Sic fugient nondum maturo tempore Graji?
Atque decus magnum Priamo, Phrygibuſque relinquent
Argivam defeſſi Helenam? quam propter Achivûm
Milia tot, patrio tam longe a limine, in atro
Strata ſub Iliacis jacuerunt pulvere muris.
En age tecta patris linquens pete caſtra, diſertis
Quemque virum & verbis inhibe dea, qua licet, altas
Nec ſinito a curvo deduci litore puppes.

v. 164.

Sic

Sic Juno ; paret cui Pallas , lapſaque caelo
Se celeri niſu naves prope ſiſtit Achaeas .
Heic Laërtiaden prudenti pectore , magno
Diva Jovi ſimilem nacta eſt . in litore ſtabat
Heros , nec puppim attigerat , ſed corde premebat
Sub tacito ingentes turbato pectore curas .
Quem prope ſtans dulci ſic voce affata Minerva eſt .

O Laërtiade ſolerti mirus Ulyſſe
Ingenio , placet ergo cavas conſcendere puppes ;
Molirique fugam ? Priamo , Phrygibuſque relinqui
Argivam placet ergo Helenam ? quam propter Achivûm
Milia tot , patrio tam longe a limine , in atro
Strata ſub Iliacis jacuerunt pulvere muris .
Quin age , rumpe moras : turbae te immitte , virûmque
Dulce loquens cohibe ſtudium , ſedaque pavorem ,
Nec ſinito a curvo deduci litore puppes .

Sic ait : ille deae vocemque & verba loquentis
Agnovit . rumpitque moras , mollemque reducens
Dejicit ex humeris laenam ; quam praeco jacentem
Suſtulit Eurybates Ithaceſius , atque ferebat
Pone ſequens . curſu rapido ſed concitus heros
Obvius Atridae venit , ſceptrumque paternum ,
Geſtamen populis ſacrum & venerabile , cepit
Ipſius e manibus . quod geſtans inter Achaeas
Hac illac agilis curſat per litora puppes .
Tum ſi quem turba in magna regemve , ducemve
Nactus erat , blandus verbis retinebat amicis .

O bone , quid trepidas ? non te , decet eſſe paventi
Aſſimilem : tacitus paullum conſide , tuique
Fac tecum ſedeant . nondum ſcis , magnus Atrides
Quid velit , ac tacito volvat ſub pectore : tentat
Nunc ille , iratus mox idem laedet Achivos .

v. 193.

Con-

Conſilio ignotum eſt multis quid dixerit ante
In procerum ; & metuo ne quid ſtruat ille malorum.
Regis enim furit ira gravis praecordia circum,
Cui decus eximium ſummus dat Jupiter omnes
Inter Grajugenas, miroque indulget amore.
His blandus, mitiſque affatur prima virorum.
Nactus at ex humili quoſcunque eſt plebe cientes
Clamorem inſanum, torvus ſceptroque retrorſum
Pellebat, verbiſque minax terrebat acerbis.
Quin tacitus, maleſane, ſedes ; audiſque loquantur
Quidnam alii, tibi qui praeſtant? ignave, nec ulli
Apte rei ; non conſilio, non utilis armis.
At non hic omnes regno potiemur Achivi.
Fraena malum imperii multos tractare, potiri
Et rerum: cunctis unus qui conſulat eſto ;
Rex unus, cui ſceptra dedit Saturnia proles
Jupiter, & rerum ſoli permiſit habenas.
Sic heros ibat per litus, milia perque
Denſa virûm imperitans. parent, magnaque frequentes
In coetum rurſus turba fremituque feruntur.
Magna fremunt veluti cum vaſti ad litora fluctus,
Alliſaeque ſonant undae, pontuſque remugit.
Jamque adeo vulgus late conſederat omne,
Quiſque ſuam & poſito ſedem clamore tenebat.
Solus adhuc magno jactabat verba tumultu,
Neſcius ille modi, Therſites ; dicta proterve
Multa & foeda levi ſolitus profundere lingua,
Quae poſſent cauſſam riſus praebere, jocique.
Hic Grajos inter longe foediſſimus omnes
Venerat ad Trojam ; ſtrabus, pede claudus & uno,
Contractis anguſta humeris in pectora gibbus,
Crine caput raro leviter modo ſparſus acutum.

v. 218.

At Laërtiadae, magnoque inſenſus Achilli
Semper erat, contraque ambos convicia ſaepe
Fuderat. Hic foedis & tunc Agamemnona dium
Laedere gaudebat probris clamoſus: Achivi
Circum indignantes irata mente fremebant.
Ille autem regem dictis inceſſere acerbis
Ut ſemel incoepit, nunquam ceſſabat, acutum
Vociferans: Quid abeſt, quidnam tibi deſit, Atrida?
Cur fruſtra incuſas Danaos nil tale merentes?
Aere tibi jam plena intus tentoria; matrum [1]
Turba ingens intus lectiſſima, quas tibi Graji
Largimur primo, ſi quam vi cepimus urbem.
Multum etiam huc aliquis Troum viſne afferat aurum,
Detque tibi, gnati pretium; quem ſcilicet olim
Aut ego captivum, aut alius ſibi duxit Achivûm?
An tibi adhuc aliam Phrygia de gente puellam,
Quae placuit, duci tua vis ad ſepta; libido
Necdum etiam ſatiata mala eſt, nec rector in omnem
Nequitiam exemplo ceſſas inducere Grajos?
O fatui, o molles, o Achaides (ecquis Achaeos
Nam vocet?) hinc patrias cuncti ſolvamus ad oras
Ocyus in celſis digreſſi puppibus. ipſe
Congeſtas ſibi ſolus opes, ac ditia dona
Concoquat heic: noſcat re tandem ut doctus ab ipſa.
Anne opera ſoleat noſtra, manibuſque juvari;
Ipſum, deterior multo, qui ſprevit Achillem,
Vique duci eripuit, dederant quae praemia Graji.
Bile caret ſed enim piger atque ignavus Achilles.
Ni foret id, poſtrema tibi, noxiſque fuiſſet
Illa dies, Atrida, tuis. Convicia regem
Talia Therſites contra jactabat: Ulyſſes
Adſtitit at fanti ſubitus; torvoque protervum

[1] *Homer. v. 245.*

Ore tuens tales rupit de pectore voces.
Stultiloque, argutum clames licet, improbe, demens,
Deſine jam, magnis unus nec regibus aude
Certare; haud ullus quo Trojae ad moenia venit
Nequior in populis, qui Atridas cunque ſequuti.
Ten' maledicta decet talem tam foeda profari?
Te reditum patrias Grajis praeſcribere ad oras?
Quoſnam fata parent reditus, qualiſque futurus
Sit longi finis belli, res ardua dictu eſt,
Nota & adhuc nulli: magno maledicere Atridae
Tu tamen idcirco perſtas, nec plurima ceſſas
Objectare, viro tribuunt quae munera Graji
Heroes merito: ſolus tu, perdite, nunquam
Deſinis immeritum foedis proſcindere dictis.
Haec adeo tibi nunc praedico; (verba ſequetur,
Atque fidem faciet jam res non tarda) furentem
Iſto ſicubi erit rurſus deprendere pacto,
Hoc humeris mihi ne carum caput haereat ultra,
Ultra Telemachi genitor nec dicar, in ipſo
Te Grajûm coetu arripiens ni pallia demam,
Et tunicam, & quidquid veſtis circumtegit artus;
Verberibus caeſum & foedis, ac multa gementem
Ad naves inter riſumque & ſibila mittam.
Sic ait, & ſceptro dorſumque, humeroſque nitenti
Perculit. ille autem curvo ſe corpore flexit,
Effuſaeque genis lacrimae, tumuitque cruenta
Liventi vibex tergo; tum membra pavore
Contremuit, tacituſque reſedit, & ore fluentem
Abſterſit moeſto, vultum foediſſimus, imbrem.
At Graji, quamvis curis ingentibus aegri,
Corda tamen dulci ſolverunt anxia riſu.
Atque aliquis ſocium compellans talia fatur:

v. 271.

Pro

Pro ſuperi! Laërtiadae benefacta feruntur
Innumera. ille, manu fortis bellator, & idem
Conſilii ſapiens auctor, rem juvit Achaeam
Ut nemo: at geſtis hoc anteit omnibus unum,
Quod foedum caput, inſana convicia lingua
Ingerere adſuetum, coetu ſubmovit Achaeo.
Non erit ut rurſum fatuus clamator iniqua
Audeat in magnos opprobria fundere reges.
Haec vulgus: vafer at murorum everſor Ulyſſes
In coetu ſurgit medio, fulgentia magna
Sceptra manu geſtans. quem juxta glauca Minerva
Praeconi ſimilis ſtetit, atque ſilentia late
Indixit clamans populis; ut ſcilicet omnes
Primique, extremique & verba audire loquentis,
Conſilium & placida quirent expendere mente.
Ille autem haec fari prudenti e pectore coepit.
Infelix Atrida, omnem cui demere laudem
Feſtinant Graji; nemo ut probroſior uſquam
Rex te uno vivat poſthac. non pacta, fidemque
Exſolvunt, dederunt concordi foedere cuncti
Quam tibi, linquebant Argos cum fertile quondam,
Jurati ad patrios nunquam remeare penates
Ante, ſolo ſtraſſent captae quam moenia Trojae.
Nam, veluti molles pueri, viduaeve puellae,
Mutua ploratu indulgent, orantque reverti
Poſſe domum. Et, fateor, durum eſt procul eſſe paternis
Aedibus, atque angi tam longo tempore fruſtra
Optantes reditum. triſtatur ſaepe vel uno
Menſe ſua longe vivens a conjuge, ſi quem
Incluſum portu, curvaque in puppe ſedentem
Triſtis hyems, ſaeviſque tenent infeſta procellis
Aequora: at hic nobis, externo in litore longo

v. 294.

Im-

Implicitis bello, nonus jam volvitur annus.
Ergo, quod patriam ſpectant, ictique ſuorum
Quod deſiderio moerent, nil miror Achaeos;
Nec cuiquam iraſcor. ſed turpe eſt tempore longo
Manſiſſe, & vacuum ad patrios rediiſſe penates.
O ſocii, durate, atque heic ſubſiſtite paullum,
Ipſa dum pateat re tandem verane Calchas
Vaticinans, an falſa canat. res cognita cunctis,
Quam memoro; teſtes cuncti, fatalia vitae
Queis nondum triſtes ruperunt ſtamina Parcae.
Quippe olim, atque adeo nuper; cum ſe Aulide Grajae
Denſarent puppes Priamo, Phrygibuſque ferentes
Exitium; ad fontem fierent cum ſacra virenti
Sub platano, purae qua ſeſe illimis agebat
Rivus aquae; monſtrum confeſtim apparuit ingens,
Convertitque oculos ad ſe, tremefactaque corda.
Nanque draco horrendus, magni quem rector Olympi
Miſerat in lucem, ſquama fulgente, cruentis
Et dorſum inſignis maculis, prorepſit ab ara;
Tum celeri platanum lapſu petit efferus. illic
Paſſeris in ſummo ramorum vertice pulli
Implumes octo ſub denſa fronde latebant,
Nona parens nidum ſervabat. protinus atro
Stridentes querula nequidquam voce voravit
Ore draco: mater circumvolitabat acutum
Lugens. lugentem trepida ferus arripit ala,
Poſtremamque vorat. poſt haec, mirabile viſu,
Immanem durum in lapidem Saturnius anguem
Induit. obriguit mutatis artubus ille:
Nos animi attonitos circum ſtupor altus habebat.
Haec ſacris viſa in mediis portenta deorum.
Tum Calchas prompſit veraci has pectore voces

v. 321.

Vati-

Vaticinans: Nam cur muti ſic ſtatis, Achivi?
Hoc Jovis augurium, ſerum, ſeroque futurum
Eventu; at cunctis clarum, & memorabile in oris.
Paſſeris ut pullos octo, nonamque voravit
Ipſam etiam ſerpens matrem, ſic Pergama circum
Et nobis totidem bellandum haec monſtra per annos
Portendunt: urbem decimo vaſtabimus anno.
Haec vates: matura ſuo quae tempore jam jam
Omnia complentur; tantum perſtate volenti
Heic alacres animo, bello quaſſata biluſtri
Pergama dum noſter ſubvertat denique Mavors.
Sic ait: ingenti verum clamore probarunt
Conſilium Danai; puppeſque & litora laeto
Laudantum fremituque virum, plauſuque reſultant.
Tum ſenior ſurgitque, ac fatur talia Neſtor.
Pro ſuperi! idne viris dignum? garrire ſedentes
Incaſſum, atque diem vanis conſumere verbis,
Mollibus aſſimiles pueris, queis ludicra cordi,
Nulla & adhuc mentes armorum cura fatigat?
Quo nobis jurata fides, quo foedera fuſo
Sancta mero, dextraeque datae, curaeque virorum,
Et conſulta ibunt? haec hauſerit omnia tandem,
Hauſerit, ac tenues in fumos verterit ignis?
Heic etenim clamore leves certamus inani,
Conſilii quidquam nec ſani extundimus. At tu
Propoſitumque urge conſtans, Atrida; jubeto
Ocyus & Grajos armari ad praelia. ſolus
Fruſtra tabeſcat ſinito, longeque remotus
Communi a coetu ſibi conſulat unus & alter.
Qui tamen efficient, faciant licet omnia, nunquam,
Ante domum ut patriam, natoſque petamus Achivi,
Quam pateat promiſſa, dedit quae Jupiter olim

v. 348.

Fal-

Falſa ne ſint, an vera magis. nanque annuit ipſe,
Cum puppes Danai ſcandebant fata ferentes
Trojugenis, dextra caeli e regione coruſcum
Fulgorem oſtendens, laetum ſolventibus omen.
Ergo, viri, patrias nemo feſtinet ad oras
Ante, aliquam Troum quam ſecum abducere nuptam
Contigerit victori; hoſti quam digna rependat,
Proque Helenae raptu, ac gemitu poenam irroget aequam.
Sin aliquem inſanus tamen ad ſua tecta reverti
Ardor agit, puppim tangat modo, corpus acuto
Confoſſus ferro prior omnibus ut petat Orcum.
Tu, rex, quid poſcat res per te conſule, & aequus
Audi alium ſi quid dicet. quod dicere mens eſt
Nunc mihi, & audiri dignum, dignumque probari eſt.
Cum primum aeratas mittes in praelia turmas,
Inſtrue ſic, ut quaeque tribus, & curia quaeque
Impermixta aliis, diſcretaque tendat in hoſtem.
Hoc tibi ſi fieri placeat, nec mente repugnet
Indocili, juſſiſque obſtet ſententia Grajûm,
Quis dux ignavo, ſeu miles pectore, contra
Quis forti, noſces: pugnabit nanque caterva
Per ſe quaeque: etiam noſces obſtantibus an dîs
Sterni Troja ſolo nequeat, male forte virorum
An pectus variique obſit mens inſcia belli.
Haec Neſtor: mirans cui talibus infit Atrides.
Magne ſenex, omnes & nunc, ut ſemper, Achivos
Eloquio dulci, prudenti & pectore vincis.
O utinam, divûm pater, & Tritonia Pallas,
Arcitenens & Phoebe, decem mihi Neſtoras omni
Argivûm in numero nanciſci fata dediſſent.
Quippe brevi manibus noſtris, & Marte ſecundo,
Urbs Priami regis capta, atque everſa jaceret.

v. 374.

Lu-

Luctibus implicuit ſed me Saturnius, inque
Impulit heu rixas & jurgia vana; puella
Qui ſuper, invicto coepi contendere Achilli,
Iratiſque prior verbis odia aſpera movi.
Quod ſi iterum ſentire eadem ſocialiter, & ſi
Conſpirare animis detur; non ulla ruinam
Res queat Iliacis praeſentem avertere muris.
Nunc ite, ac victu firmate ad praelia vires.
Haſtam acuat ſibi quiſque; tegat quo corpora, ſcutum
Aptet; pernices apponens hordea large
Curet equos, currumque ex omni parte volucrem
Sedulus exploret, ſaevo & paret omnia bello,
Tota ut luce acri pugnemus Marte. laborem
Nulla quies longum ſiſtet prius, atra cruentae
Quam finem pugnae multa nox afferat umbra.
Largifluo ingentis clypei ſudore madebunt
Lora udum circa pectus; quaſſata labore
Haſta manum longo gravis atteret; & juga ſubter
Spumaque, eruptoque fluent ſudore jugales.
Si quis erit quem ſe durae ſubducere pugnae,
Et videam ad naves lentum ceſſare, feriſque
Alitibus, canibuſque actutum praeda jacebit.
  Sic ait; at magnus laudantum clamor ad auras
Ibat: ceu ſtrepitu horriſono fremit unda furenti
Acta noto in ſcopulum, diſcordibus incita ventis
Proſtantem aſſiduo quem pulſant caerula fluctu.
  Conſurgunt, laetique meant per litora, curvas
Et puppes: paſſim fumus tentoria ſupra
Erigitur; properantque dapes, & corpora curant.
Nec minus & magnis, ut cuique eſt copia, divis
Sacra ferunt aliis alii, votiſque precantur,
Eripiant leto ſeſe bellique labori.

Interea ingentem taurum mactabat Atrides
Rite Jovi, pinguem, quinquenni aetate vigentem:
Et primos Danaûm, miſſo praecone, vocarat
Ad ſacrum proceres. ante omnes Neſtor, & altus
Idomeneus, poſt hos gemini, duo germina Martis,
Ajaces, quintus Tydides, ſextus Ulyſſes,
Conſiliis magno non impar ille Tonanti,
Acciti venere. bonus bello Menelaus
Adſuit ipſe ultro ſacrum ad commune, dapeſque.
Hi ſalſas manibus fruges cepere, juvencum
Et prope conſtiterunt hinc atque hinc. lumina caelo
Extulit, atque orans Agamemnon talibus inſit:
Jupiter altitonans, magni regnator Olympi,
Ne prius occiduas Titan ſe condat in undas,
Quam Priami vertamque ſolo regalia tecta,
Incendamque fores infeſtis ignibus altas,
Hectoreum & circa pectus thoraca rigentem
Aere ſecans ſcindam; praeceps & plurima circum
Regem turba ſuum terram petat ore cruento.
Sic ait: at voto Saturnius abnuit: ille
Sacra probans, luctumque tamen cladem que parabat.
Tum fruges jaciunt ſalſas, cervice reflexa
Ingentem & taurum jugulant, ac tergora coſtis
Deripiunt, ferroque ſecant femora, atque plicantes
Omento involvunt pingui, mox deinde reſecta
Omnibus e membris imponunt fruſta, ſacroque
Cuncta adolent igni. tum pinguia viſcera torrent
Fixa veru. Haec poſtquam guſtarunt rite frequentes,
Secta minutatim fixerunt cetera longis
In verubus, curantque dapes, laetique paratis
Veſcuntur, ſtructiſque agitant convivia menſis.
Poſtquam exempta fames epulis, & vina quierunt,

v. 432.

Ta-

Talia facundo Nelides incipit ore:
Non opus heic ſegnes longo ſermone morari,
Nec differre, deus quae ſpondet laeta, dabitque.
Surgamus: cogi praeconum voce frequentes
Tuque, Atrida, jube populos in litore, noſque
Ibimus hinc turmas hortari ad bella, moraſque
Tollere, & indomito mentes incendere Marte.
Sic ait: extemplo monitis at paruit ille;
Ingentique jubet Grajos per litora paſſim
Ocyus ad bellum praeconum voce vocari.
Aſt alii interea denſa inter milia reges
Feſtinant, acuuntque iras, turbamque coërcent
Diſcretam ordinibus certis. Tritonia Pallas
It ſimul, horrificam & gradiens gerit aegida, mirae
Artis opus ſeniique expertem, & viribus aevi
Indomitam, centena auro quam fimbria ſqualens
Totam obit, ac pulchro nexatur plurima plexu,
Quaeque boves pretio centenos apta mereri.
Hanc geſtans Grajûm vulgus dea magna ruebat
Per medium, tardaſque ciens in praelia turmas,
Vimque animo inſpirans; pubes ut tota furore
Acta novo duri cuperet certamina belli.
Jam domus oblito ceſſit de corde, penates
Et patrii; coepit reditu Mars dulcior eſſe.
Montis ut ingentem cum flamma in vertice ſilvam
Corripuit, longe percellit luce tuentum
Clara oculos: fulgor gradientum ex aere profuſus
Sic Danaûm ſeſe caeli ad convexa ferebat.
Ac veluti denſae volucres, ſeu plurimus anſer,
Sive grues, longo ſeu dulces gutture cycni,
Aſia ſe glomerant placidi per prata Cayſtri,
Exſultantque alis, magno & clangore ſequentes

Homer. v. 462.

Uſque vocant ſocias; circum ſtagna humida late,
Herboſaeque ſonant ripae: ſic agmina curvas
Linquebant puppes, celſa & tentoria, ſeque
Fundebant campo Phrygii prope nota Scamandri
Flumina. cornipedum pariter, pariterque virorum
Sub pedibus terra horrendum tremefacta ſonabat.
 Jamque adeo prato in florenti milia denſa
Conſtiterant; quot vere novo fragrantia ſurgunt
Germina, luxuriat foliis quot mollibus arbos.
Confertim in caulis verno ut ſe tempore muſcae
Conglomerant, cum plena madent mulctralia lacte;
Planitie in magna ſic ſtabant agmine Graji
Conferto, cupidi vaſtare, ac perdere Troas.
Illos, caprigeni ut pecoris per paſcua mixtos
Laeta greges facili ſecernunt arte magiſtri;
Ordinibus ſic diſcretos in praelia certis
Diſponunt reges. quos inter primus Atrides,
Ille oculoſque, caputque Jovi, cum fulmina torquet,
Aſſimilis; Marti fulgentis pondera balthei;
Pectora Neptuno. praeſtanti corpore qualis,
Incedens armenta inter ſeſe arduus effert
Taurus; in heroum numero tum Jupiter omni
Atridae talem formae ipſe afflavit honorem.
 Dicite nunc, Muſae, caeli ſtellantia tecta
Quae colitis, (vobis divae nam cernere cuncta,
Cuncta audire datum eſt, nobis ignota, levique
Murmure vix tenuis famae demiſſa per aures)
Grajugenum quinam Trojana ad moenia reges,
Quique duces venere. ipſum numerare virorum
Nam quid ego coner, vel nomine dicere vulgus?
Non mihi ſi linguae denae ſint, oraque dena,
Neſcia ſi frangi ſit vox, & pectus ahenum;

v. 490.

Ni, Jovis aegiſoni proles, florentis Olympi
Cultrices Muſae, veſtra mihi voce moneri
Contigerit, quotnam venere ad moenia Trojae
Sacra viri. Aggrediar nunc at memorare carinas,
Atque duces tantum, quos quaeque ſecuta carina eſt.

NUMERUS NAVIUM

SIVE BOEOTIA.

MArtia Boeotum digreſſa e pinguibus oris
Agmina Peneleuſque, & Leitus acer agebant,
Arceſilauſque, Prothoënorque, Cloniuſque;
Qui Graeamque, Hyriamque colunt, Mycaleſſiaque arva,
Schoenumque, Scolumque, & celſis Aulida ſaxis,
Theſpiamque, jugis Eteoni atque edita in altis
Moenia; qui circa Ileſium; quique Harma, & Erythras,
Hylenque & Peteona tenent, Eleonaque, Copas,
Ocalean, Medeona, Eutreſin, moenia Thisbes
Editaque, & pavidis circum luſtrata columbis.
Quique Coroneam, quique herbiferam Haliartum,
Quique Plataeam habitant, qui Gliſſan, quique Hypothebas,
Oncheſtumque, ſacrum Neptuno qua nemus horret,
Niſſamque, & laetis foecundam vitibus Arnen,
Atque Mideam, atque extremis Anthedona in oris.
His quinquagenae puppes; in quaque feruntur
Bis ſexageni puppi, Boeotia pubes.
At quos Aſpledon populos, Minyeaque miſit
Orchomenus, fratres gemini, duo germina Martis,
Aſcalaphuſque ferox, & Ialmenus aſper in arma
Suſcitat. antiquis Azidae hos Actoris olim
In domibus virgo Aſtyoche penetralia ſcandens

v. 20.

Edi-

Edita ſurtivos Marti congreſſa creavit.
Ter denae his ponti ſulcabant caerula puppes.
Phoceos Schediuſque, & Epiſtrophus inſtruit, ambo
Naubolidae Iphiti claro de ſanguine creti;
Qui Pythona viri montoſam, qui Panopea,
Daulidaque, & Criſſae qui moenia ſacra colebant;
Quique Anemorean, & Hyampolin, & Cypariſſum,
Cephiſſi & ripas, vicinaque rura tenebant,
Claram & Cephiſſi non longe a fonte Lilaeam.
Hos quadragenae puppes in bella ſecutae.
Qui ſimul ac patrias rite inſtruxere phalanges,
Boeotum ad laevam ſe dux armabat uterque.
Impiger at Locros Ajax ducebat Oilei;
(Ille minor, longe ille minor, quam mole ſuperbus
Membrorum ante alios omnes Telamonius Ajax:
Sed parvus, linoque levem thoraca puſillis
Artubus indutus, longe tamen optimus idem
Haſtam inter cunctos validam tractabat Achivos)
Qui Cynumque tenent; Opoëntaque, Calliarumque,
Beſſamque, Scarphenque colunt, pulchraſque Augeas,
Tarphenque, Throniumque Boagria flumina circum.
Ille quaterdenas Locrorum, queis domus ultra
Euboeam, Trojana egit ſub moenia puppes.
At colit Euboeam quae pubes fortis Abantum,
Chalcidaque, Eiretriamque, & vitiferam Hiſtiaeam,
Litoream & Cerinthum, atque alti moenia Dii,
Quam Styra miſerunt bello, quam clara Caryſtus;
Martigena hanc audax Elephenor ducit in arma
Chalcodontiades, quem ſpirans robur Abantum
Gens ſequitur, ſummo retrorſum a vertice fuſa
Caeſariem, & circa pectus thoracas ahenos
Fraxineis alacris perrumpere cominus haſtis.
v. 51.
Ille

Ille quaterdena tranſmiſerat aequora puppi.
Tum quos Palladiae miſere ad praelia Athenae,
Ille ubi magnanimus quondam regnavit Erechtheus;
Alma ſolo tellus quem vitae fudit in auras,
Inque ſuo eduxit gremio puerilibus annis
Nata Jovis, templo in pingui ſtatuitque, Minerva;
Sacra ubi Erechthidae celebrant ſolemnia, divam
Et tauris, agniſque colunt volventibus annis:
Hos ducit Petei clara de ſtirpe Meneſteus,
Cui par terrigenas inter nemo exſtitit unquam
Aut peditem, aut equitum bello diſponere turmas.
Solus certabat Neſtor, longa ille ſenecta
Scilicet, ac vario bellorum doctus ab uſu.
Huic quadragenae ſulcabant aequora puppes.
Biſſenas egit puppes Salaminius Ajax,
Subduxitque locans ubi curvo in litore ſtabant
Actaeae claro fulgentes aere phalanges.
At qui Argoſque viri, & Tirynthia moenia linquunt,
Hermionen, Aſinenque, altum quas alluit aequor,
Troezena, Eïonaſque, & vitiferam Epidaurum,
Aeginam, & Maſeta; bonus bello Diomedes
Hos agit, ac Stenelus Capanei; ſimiliſque deorum
Ingens Euryalus Meciſtei regia proles,
Meciſtei Talaionidae, dux tertius ibat.
Omnibus at princeps Diomedes imperat acer.
Hos octogenae puppes in bella ſecutae.
At quos praeclarae juvenes miſere Mycenae,
Atque Corinthus opum dives, pulchraeque Cleonae,
Orniaeque, & Araethyrea, & Sicionia tellus,
Primus ubi Adraſtus ſceptris, ſolioque potitus,
Quique Hypereſian, celſamque colunt Gonoëſſan,
Pellenenque tenent, atque Aegion, & maris oram

v. 81.

Late omnem, atque, Helicem quae cingunt, pinguia rura;
Horum centenis regum rex ipſe carinis
Imperat Atrides Agamemnon; plurima pubes
Cui Grajûm, atque omnes inter longe optima paret.
Ille autem, fulgens armis, atque aere coruſco,
Exſultatque animis, magnoſque it maximus inter
Heroas; laetuſque ſua virtute, ſuorum
Et numero ingenti, praeſtanti & robore gaudet.
Qui magnam liquere cavae Lacedaemonis urbem,
Pharenque, Spartamque; & Meſſae grata columbis
Moenia, Bryſiaſque colunt, pulchraſque Augeas,
Quique Helos, atque Laan, quique Oetilon altum, & Amyclas;
Hi ſexagenas denſo implent milite puppes:
Quas Agamemnonius frater ducit Menelaus
Impiger, atque armat ſeorſum, nec ceſſat in hoſtem
Hortari, cupiens uxoris primus abactae
Raptumque, & longos ulciſci Marte dolores.
Inde Pyli, Areneſque viri qui moenia linquunt,
Atque Thryum Alphei ſtructum vada propter, & Aepy,
Et Cypariſſeenta, & belligeram Amphigeniam,
Et Pteleon, & Helos, & celſum Dorion; olim
Nactae ubi Threicium Thamyrin, dum forte redibat
Oechalia ex alta, tua linquens Euryte regna,
Muſae divina ſpoliarunt carminis arte.
Quippe etenim demens ventoſa dicere lingua
Auſus erat, ſecum dulci ſi carmine Muſae
Certarent, ipſas victurum carmine Muſas.
At divae, aegiſoni proles Jovis, eruta vati
Luminaque iratae abſtulerunt, artemque canendi;
Ut citharamque, modoſque omnes oblitus, in atra
Conditus inſanum defleret nocte furorem.
Acer equis Neſtor Trojae ſub moenia gentes

v. 108.

Duxe-

Digitized by Google

Duxerat has novies denis in bella carinis.
  Arcadiam ſed quae ſub vertice Cylleneo
Epytium colit ad tumulum Mavortia pubes;
Qui Pheneum, Ripenque tenent, gregibuſque frequentem
Orchomenum, Stratiemque, & celſae culmen Enipſes
Ventoſum, qui Mantineam, Stymphalon, & altam
Parrhaſien; hos ſexdenis Agapenor agebat
Navibus, Ancaei fortis regno inclyta proles.
Condenſi curvis venere in puppibus, aere
Fulgens, atque artes belli omnes docta juventus;
Ipſe viris puppes firmo quas robore ſtructas
Miſerat Atrides, pontum ut tranſmittere poſſent.
Abſunt nanque mari, nec cordi nautica res eſt.
  At qui Bupraſium, quique Elidos arva colebant,
Quos Hyrmine agros, & Myrſinus ultima, vaſto
Olenia & rupes, & Aliſion orbe coërcent:
Quattuor his reges praeſunt, denaeque ſequuntur
Regum quemque rates, quas pubes complet Epea.
Amphimachus ducit primas, & Thalpius acer,
(Huic Cteatus pater, Actorides pater Eurytus illi)
Inde Amaryncides ducit validus Diores,
Quartus agit tum deinde Polyxenus ille deo par,
Rex Augeïada prognatus Agaſtene rege.
  At qui Dulichiumque, & Echinadas, Elida contra
Ardua ſaxa mari magno circumflua, linquunt,
Hos agit ille Meges Marti par, inclytus armis,
Phylides. genuit quem Phyleus optimus, olim
Dulichias patrem fugiens cum venit ad oras.
Hunc quadragenae puppes in bella ſecutae.
  Inde Cephallenûm pubem ducebat Ulyſſes
Magnanimam, quos ſaxa Ithacae, quos Neritos umbra
Horrenti e nemorum mittit, Crocyleaque tellus;

v. 140.

Quae

Quae Samon, Aegilipa & praeruptam, quaeque Zacynthum,
Epirumque colunt, adverſaque litora gentes.
Imperat his, qui mente Jovem catus aequat, Ulyſſes.
Biſſenas minio pictas agit ille carinas.
  Aetolos agit inde Thoas Andraemone cretus,
Qui Pleurona colunt, quique Olenon, atque Pylenen,
Chalcida & undiſonam, Calydonis & aſpera ſaxa.
Nemo erat Oenidum nam clara e prole ſuperſtes,
Et ſuperas flavus Meleager liquerat auras.
Huic ergo Aetolaeque acies, & credita rerum
Summa: quaterdenas qui duxit in arma carinas.
  Idomeneus Cretas regit heros inclytus haſta,
Qui Gnoſſumque tenent, Gortynaque moenibus altis
Cinctam, & Miletum, Lyctumque, albamque Lycaſtum,
Phaeſtumque & Rhytium florentes pube virorum,
Quoſque alios miſit populos Minoia tellus,
Una ſinu magno centum quae amplectitur urbes.
Hos regit Idomeneus haſta bonus, atque cruento
Meriones ſimilis dura inter praelia Marti;
Quos octogenae puppes in bella ſecutae:
  Tlepolemus forti ſatus Hercule, fortis & ingens
Ipſe, novem duxit Rhodiorum trans mare puppes,
Tres creti in partes qui moenia terna colebant,
Lindon, Ialyſſumque, ſoloque albente Camirum.
Tlepolemus, bello egregium quem pulchra creavit
Aſtyoche magno Alcidae, cum moenia victor
Multa virûm poſt verſa a flumine Selleente
Captivam ex Ephyra praeſtanti corpore duxit.
At puer ut viridi firmavit membra juventa
Aedibus in magnis nutritus, forte peremptus
Incauto eſt cari genitoris avunculus, aegre
Feſta trahens ſenio tunc membra Licymnius, olim

v. 170.

Sed

Sed clarus bello, cum firma aetate vigebat.
Ergo rates, mora nulla, citas, & vela paravit,
Ingentem & comitum numerum, fugitque per undas.
Ille Rhodum extorris, vitans iraſque, minaſque
Herculeae gentis, tandem pervenit opimam
Cum ſociis; treſque in partes diſcreta juventus
Legit ibi ſedes: at rex hominumque, deûmque
Jupiter eximio profugis indulſit amore,
Omnigenas & opes de ſummo effudit Olympo.
Nireus ex Syma tres ducit in arma carinas,
Nireus Aglaiae, & Charopi de ſanguine regis,
Nireus, qui Danaos inter pulcherrimus omnes,
Pelida excepto, Phrygias advenit ad oras:
Sed nec fortis erat, nec magnum duxerat agmen.
Qui Niſyrum habitant populi, Crapathumque, Caſumque,
Coumque Eurypyli ſedem, pontoque Calydnas
In medio, hos ducunt Phidippus, & Antiphus, acri
Marte feros genuit quos Theſſalus Heraclides.
Horum terdenae ſulcabant aequora puppes.
Dehinc juvenes, quicunque Argos liquere Pelaſgum,
Atque Alon, atque Alopen, celſam & Trechina colebant,
Phthiamque, & claram formoſis Hellada nymphis;
Nomine Myrmidonas dicunt, Hellenas, Achaeos.
Quinquaginta horum puppes ducebat Achilles.
Martis at horriſoni ceſſabat lecta juventus
Immemor, ordinibus nec qui diſcerneret ullus.
Dux erat errantem procurvo in litore turbam.
Ad naves tumidus nam corda jacebat Achilles,
Iratus flavam propter Briſeïda, multo
Olim bellator ſibi quam ſudore paravit,
Lyrneſſumque manu populans, & moenia Thebes;
Evenique Selepiadae duo germina, ſaevis

Homer. v. 200.

Fulmineos haſtis juvenes, torvumque Myneta,
Et validum nigro demiſit Epiſtrophon Orco.
Hanc propter longe a ſociis jacet ille, furitque
Indignans: mox ſaeva tamen conſurget in arma.
  Quae Phylacenque habitat pubes, & Pyrrhaſon almae
Floriferam Cereris tellurem, Itonaque matrem
Lanigeri pecoris, Pteleumque virentia juxta
Paſcua, litoreamque Antrona, his inclytus olim
Proteſilaus erat ductor dum vita manebat:
Tunc miſerum jam terra ſinu condebat in atro.
Heu miſerum; Phylace in patria cui regia conjux,
Ambas illa genas lanians, incoeptaque fruſtra
Magna domus longe digreſſo in bella relicta eſt.
Ipſum autem, primus Danaûm dum litus ab alta
Deſilit in Phrygium puppi, vir fixit acuto
Dardanius telo, viridique exſtinxit in aevo.
Nec tamen illa ſuo pubes ductore carebat,
Moeſta ducem quamvis leto ſibi fleret ademptum.
Martius aeratas cogebat in arma catervas,
Ordine quamque ſuo diſponens rite, Podarces
Phylacidae Iphicli minor aevo filius alter,
Proteſilaë tuus frater, nec par tamen armis
Ille tibi, clarum virtute, ac fortibus orſis
Quem ſocii memores optabant morte peremptum.
Ille quaterdenas ducebat in arma carinas.
  Qui Glaphyraſque, Pheraſque colunt Boebeïa propter
Stagna viri, & Boeben, & turrigeram Iaolcon,
Undenis horum dux ibat puppibus acer
Filius Admeti Eumelus, quem dia creavit
Admeto Alceſtis Peliae pulcherrima proles.
  At quos Methoneque viros, atque aſpera Olizon,
Taumacieque, acres bello, Meliboeaque miſit,

v. 224.

Pup-

Puppibus in ſeptem (delecti quamque ſedebant
Quinquageni intra puppim) bonus ille ſagitta,
Aſſuetos aeque certo ſua mittere ab arcu
Tela, Philoctetes patriis abduxerat oris.
Ille ſed in ſacra Lemno ſub rupe jacebat
Aequorea, taboque fluens, diramque dolorum
Vim patiens: illic ſaevi nam dente colubri
Fixum olim, ac tetro ſpargentem ſaxa cruore
Liquerunt regem Danai: ſed tempore eundem
Poſt parvo memores, converſa mente, requirent.
Nec tamen illa, ſuo quanquam ductore carebat,
Turba duce Iliacis nullo bellabat in oris.
Quippe Medon it per medios, atque inſtruit agmen,
Pulchra nothum forti quem Rhena eduxit Oileo.
  Qui Triccenque habitant, & Itomes ardua in alto
Saxa jugo, Oechaliamque, ferox ubi ſceptra gerebat
Eurytus, hos ducunt Podalirius, atque Macaon,
Aſclepî genus, ambo inſignes arte medendi.
Terdenae his ibant pulchrae longo ordine puppes.
  Quae colit Ormenium pubes; fontemque Hyperearn,
Aſteriumque tenet, Titanique albentia ſaxa,
Hos agit Eurypilus Evaemonis inclyta proles.
Hunc quadragenae puppes in bella ſecutae.
  At qui Gyrtonenque viri, Argiſſamque colebant,
Ortenque, Elonenque, albiſque Olooſſona muris,
Inſtruit hos in bella bonus bello Polypoetes,
Pirithoi proles, Jovis alto a ſanguine creti:
Pirithoo peperit quem nobilis Hippodamia,
Ille feras ultus qua victor luce bimembres
Egit ad Aethicum fines a Pelio alto.
It comes huic Martis clara de gente Leonteus,
Magnanimi proles Caenidae invicta Coroni.

v. 253.

Hos quadragenae Trojam advexere carinae.
Inde bis undenas Trojana ad moenia puppes
Ille Cypho adveniens agit acri remige Guneus.
Hunc Enienes, & armigeri, genus acre, Peraebi,
Frigida quique habitant Dodonae rura, ſequuntur,
Quique colunt pingues campos, & amoena vireta,
Quae ſecat, ac lenta Titareſius alluit unda;
Pulchra fluens qui ſe Penei devolvit in alveum,
Nec tamen & vitreis uſquam confunditur undis,
Sed natat in morem liquidi ſuſpenſus olivi.
Quippe etenim Stygii pars dicitur eſſe fluenti,
Quod metuunt magni jurare, ac fallere divi.
Magnetas Prothous Tentredone cretus agebat,
Qui ſaltuſque tenent virides Peneïa circum
Flumina, frondoſum ſilvis & Pelion altis.
Huic quadragenae ſulcabant caerula puppes.
Hi Danaûm regeſque duceſque in bella profecti
Cum geminis Phrygium venere ad litus Atridis.
Verum aliis numero quiſnam praeſtaret in omni
Virque, & equus, vati pigeat ne dicere, Muſae.
Eumeli Pheretiadae praeſtabat equarum
Nobile par. pedibus rapidas aequare volucres
Natae ambae, ambabus unus color, una erat aetas,
Tergaque ceu tenui directa, aequataque filo.
Pieriae has olim per ſaltus pavit Apollo
Arcitenens, terrorem atrum per bella ferentes.
Omnes mole viros, & vi Telamonius Ajax
Praeſtabat longe, ſaevos dum corde furores
Irato volvens dius ceſſabat Achilles,
Nullum non animis, invicto & robore vincens
Ille, & equi regis currum cervice trahentes.
Sed tum fluctivaga moerens in puppe jacebat

v. 278.

Atri-

Atridae iratus magno: ludebat inermis
Interea comitum manus omnis litore in ipſo
Diſcoque, & jaculo certans, volucrique ſagitta:
Alipedes at equi ſtabant vacuos prope currus
Abjuncti; & loton ſegnes, apiumque paluſtre
Paſcebant: velis tecti de more jacebant
Myrmidonum currus intra tentoria; moeſti
Illi hac, atque illac ibant per caſtra, ducemque
Optabant fruſtra, ſaevi & certamina belli.
Interea campis Danaûm condenſa ruebant
Agmina, fulgentique ardentes aere catervae:
Ut ſegetem cremat ingenti cum flamma ſonore,
Atque ruit late immiſſis Vulcanus habenis.
Terra gemit ſubter. Veluti cum, ſaeva coruſca
Tela manu torquens, divûm rex fulgurat, alto
Et quatit in Arimis tonitru juga celſa, Typhoëo
Stravit ubi durum vaſta ſub rupe cubile;
Vadentum ſic terra virûm concuſſa gemebat
Sub pedibus: celeri tranſmittunt agmine campos.
Iris at, aërias volucri pede lapſa per auras,
Ab Jove Trojugenis venit belli, atque laborum
Nuncia. Veſtibulo in Priami juveneſque ſeneſque
Stabant, turba ingens, in coetum forte coacti.
Intulit in medios huc ſe dea, voce Politen
Aſſimulans, gnatum Priami; ſpeculator in alto
Qui, pedibus fretus, buſto ſenis Aeſyetae
Sederat, obſervans Graji ſi litore curvo
Digreſſi Trojae ſub muros caſtra moverent.
Huic ſimilis regem alloquitur, ac talibus infit.
O pater, uſque placet longis ſermonibus horas
Ducere, ceu quondam placida ſub pace: nec ortum
Eſſe vides durumque, & ineluctabile bellum.

v. 304.

Saepe virûm ſubii bellantum praelia miles;
Agmina ſed nunquam tanta uſquam, ac talia vidi.
Quot ſilvae frondes, quot praefert litus arenas;
Tot campo incedunt urbem, ac tua regna daturi
Exitio. Nunc, tu quod mando, protinus, Hector,
Exequere. auxilio multi huc venere, frequentem
Et complent urbem populi diverſa loquentes
Multimodis; nec enim lingua eſt mortalibus una.
Horum quoſque ſuus fac princeps inſtruat; unus
quiſque ſuos princeps regat inter praelia cives.
 Sic ait: agnovit vocem, praeceptaque divae
Hector, concilium & ſolvit. mora nulla; juventus
Arma fremit: verſo panduntur cardine poſtes
Aerati, & plenis fundunt ſeſe agmina portis,
Turmae equitum, peditumque cohortes: denſa virorum
Turba ruit, magno miſcentur cuncta tumultu.
 Eſt procul ante urbem procero vertice collis
Camporum in medio; circum vaſta undique ſeſe
Planities tendit, Batieam nomine dicunt
Mortales; divi, pernicis buſta Myrinnae.
Heic ſocii primum diſcreti, ac Troica pubes,
Quaeque ſuis & ſub ducibus gens rite coacta.
 Troas magnus agit, galeaque it clarus ahaena
Hector Priamides, quem circum lecta juventus
Plurimaque, & longe bello fortiſſima ſeſe
Armat, fraxineis horrens globus impiger haſtis.
 Dardanios Anchiſiades regit inclytus armis
Aeneas, Venus Anchiſae quem pulchra creavit,
Diva hominem Idaeo in ſaltu dignata cubili.
Aeneae comites, duo gnati Antenoris, adſtant
Archilochuſque, Acamaſque, ambo genus omne periti
Armorum tractare, omni & confligere Marte.

v. 330.

Qui

Qui ſilvoſae habitant Idae imo in monte Zeleam
Troes, & Aeſepi dites de flumine potant,
Inſtruit hos in bella Lycaonis inclyta proles
Pandarus. huic arcum Lycius donarat Apollo.
At qui Adraſteamque, & Apaeſi moenia, & altas
Teriae linquunt rupes, Pityeaque rura,
Hos duxere, duo fratres, Adraſtus, & acer
Amphius intorto protectus pectora lino.
Queis pater ille Merops Percoſius; omnia norat
Ante alios qui fata augur praeſtantior omnes;
Ire nec ad bellum gnatos letale ſinebat:
At monitus, fletuſque ambo ſprevere paternos;
Quippe malae urgebant miſeros in funera parcae.
At quae Percoten, & Praction, altaque Ariſbae
Moenia, quae Sextum pubes, quae liquit Abidum,
Armipotens bello Hyrtacides hanc Aſius armat.
Aſius Hyrtacides a flumine Selleente
Magnis qui ad Trojam, multo & ſpirantibus igni
Vectus equis princeps e diti venit Ariſba.
Hyppothous praeit haſtiferos in bella Pelaſgos,
Pinguia Lariſſae qui rura, urbemque colebant:
Hyppothous ſimul, atque Pylaeus, martia Lethi
Teutamidae proles, fratrum par nobile bello.
Thracas agunt aſperque Acamas, & Pirous heros
Quotquot fluctiſonus complectitur Helleſpontus.
Euphemus Ciconas, bello genus acre, coercet
Troezenî Ceadae claro de ſanguine cretus.
Pyraechmes curvo bellantes Paeonas arcu
Duxerat. hos Amydon, atque Axius educat ingens,
Axius, illimi late qui funditur unda.
Ibant audaci ſub rege Pylemene durae
Paphlagonum ex Enetis gentes, agreſte repertum

v. 360.

Eſt ubi mularum quondam genus, alta Cytori
Qui juga, montoſum qui Seſamon, atque virentem
Parthenii ad ripam pulchros coluere penates,
Cromnamque, Aegialumque, & aërios Erythinos.
Ducit Halizonos Odiuſque, & Epiſtrophus, actos
Longinqua ex Alybe, argenti fluit unde metallum.
Inſtruit at Myſos Chromis una, atque Ennomus augur;
Nec tamen augurio nigrae ſubducere morti
Se potuit, manibus domitus pernicis Achillei,
Iliacam pubem cum Xanti ſtravit in alveo.
Aſcanius, Phorcyſque Phrygas duxere feroces,
Pugnae avidos, procul Aſcaniae de pinguibus oris.
Maeonas at Meſthles, atque Antiphus egit, uterque
Cara Pylemenei proles, Gygaea creavit
Quos, ut fama, palus. ſecum iidem in praelia ducunt
Magnanimos Tmolo digreſſos Maeonas imo.
At Naſtes Caras ducebat voce loquentes
Barbarica, quotquot Miletum, atque horrida Phthirûm
Luſtra colunt, vada qui circum Maeandria, celſae
Et Mycales altas, nemoroſa cacumina, rupes.
Hos pugnae cupidos Naſtes agit, Amphimachuſque;
Naſtes, Amphimachuſque, Nomione cretus uterque.
Hic & bella petens aurum, ceu culta puella,
Geſtabat vecors; ſed non arcere nitenti
Evaluit mortem. lamna, confoſſus at amne
Corruit in medio; tulit aurum fortis Achilles.
Sarpedon Lycia populos, & Glaucus ab alta
Ducebant, Xantus celer almo quam rigat amni.

v. 384.

HO-

HOMERI ILIADOS

LIBER TERTIUS.

SUb duce quaeque ſuo cum ſeſe in praelia gentes
Inſtruxere, Phryges magno clamore movebant
Caſtra: gruum qualis vacuas it clangor ad auras;
Quae, poſtquam fugere hiemem, nimboſque, patentis
Oceani denſae magno ſuper amne feruntur;
Et, vernum arctois veniens de partibus agmen,
Pygmaeis clademque viris, & funera portant.
Parte alia taciti ſpirantes robur Achivi
Ibant, auxilium ſibi mutua ferre parati.
Ut nebulam Notus offudit ſi montibus, ipſa
Nocte magis furi gratam, pecoriſque magiſtris
Inviſam; ſpatii vix proſpicit ante viator,
Quantum unus poſſit lapidis pervadere jactus:
Sic pedibus ſubter vadentum in praelia pulvis
Tollitur, horreſcitque atra caligine campus.
Jamque adeo magis atque magis condenſa propinquans
Hinc acies atque hinc, ſeſe ad certamina belli
Aptarat, pugnamque invadere torva parabat.
At Paris ora deo ſimilis proceſſerat ante
Primam aciem. ille, humero pardi maculoſa retorquens
Terga, gerit dorſo pharetramque, arcumque ſonantem,
Auratum aſt enſem lateri; dextraque coruſcat
Bina manu longo praefixa haſtilia ferro,
Et Danaûm primos veſana voce laceſſit,
Atque jubet ſecum forti decernere pugna.
Hunc ſimul ac vidit Menelaus vana tumentem

Ire gradu magno, Troum & praecedere turmas.
Eximium ceu cum ſilva leo corpus in alta,
Aut capream, aut cervum ſurgentem in cornua, nactus,
Jejuno fremit ore tuens, gaudetque, vorare
Et furit arreptum; non acres ille moloſſos,
Non metuens juvenum clamorem ac tela ſequentum:
Sic, Parin ut vidit, Menelaus gaudia corde
Vix capit, atque, avidus ſcelerato a ſanguine poenas
Sumere, deſiluit curru bellator ab alto,
Atque pedes peditem contra parat obvius ire.
At Paris, ut vidit fulgentem inſignibus armis
Atriden Graja ex acie procurrere, viſu
Contremuit ſubito perculſus, nigraque vitans
Fata, pedem retulit, ſociumque receſſit in agmen
Pallidus. Ut gradiens dumoſo in monte draconem
Qui videt, ac retro citus abſilit; inficit ora
Pallor; membra tremunt gelido concuſſa pavore:
Haud ſecus adſpectu Menelaî exterritus ille
Trojugenum in turmas, & denſa in tela refugit.
Hector at haec cernens non irae parcere, voci
Nec potuit; dictis fratrem & proſcidit acerbis.
Foede animum, faciem pulcher Pari, mollis, amator,
Docte malas tantum nuptis componere fraudes;
Debueras nunquam vel naſci, fata ſubire
Vel puer, ac primo caelebs exſtinguier aevo.
Id vellem, & ſatius multo foret, omnibus iſto
Quam praebere modo Grajis riſum, atque cachinnos.
Nam certe, ut formam videre, habitumque, putarunt
Eximium ante alios ferri, multiſque futurum
Exitio: enervem nunc te ſenſere, ſuumque
Errorem, ac vanos laeti riſere timores,
Tamne igitur mollis metiri claſſibus aequor

v. 46.

Au-

Audebas, turba comitum ſtipante, domoſque
Externas temerare, Apiaque abducere terra
Belligerae nuptam gentis; populoque, patrique
Triſte tuo exitium, magnum & tibi dedecus ipſi.
Quo fugis? Atriden paullum conſiſtere contra
Ne pigeat. noſces quae tecum eſt foemina, quali
Nupta viro fuerit: noſces; nec plectra, ſonantes
Nec citharae, Veneris nec munera grata, madenſque
Caeſaries myrrha, facies nec pulchra juvabit,
Cum ſtratus volvere cruento in pulvere. Troes
At lenti nimium, & faciles, timidique; jaceres,
Ni foret id, lapidum nimbo ſuperobrutus, & jam
Tot patriae lueres ſcelerato ſanguine damna.
  Cui Paris: Objurgas me quando jure, quid, inquit,
Iraſcar? ſedenim tibi cor ſub pectore firmo eſt
Indomitum. findens lignum ut navale ſecuris
Dura ſubit, dextramque viri juvat incita, robur
Uſque augens: ſic dura tibi, ſic neſcia flecti
Mens viget, haud ullis unquam concuſſa periclis.
Ne mihi dona tamen, quae contulit aurea Cypris,
Objice. dona deûm nulli ſpernenda. faventes
Quae praebent ſuperi, fatua quis mente recuſet?
Nunc, ſi me bellare jubes, ac tendere in hoſtem;
En age fac ſedeant Teucrique, Argivaque pubes.
Solus ego in medio, Mavortius & Menelaus
Deque Helena, & cunctis opibus pugnabimus acri
Marte. utri tandem cedet victoria, gazam
Ille omnem, thalamoſque Helenae ſibi laetus habeto.
Arma alii, atque iras ponent: ac, foedere pacto,
Vos Trojae muros, ac pinguia rura coletis;
Illi Argos longe in patrium, & ſua tecta redibunt.
  Haec Paris: auditis gaudet ſermonibus Hector;

Et volat in medium laetus, Troaſque ruentes,
Tranſverſam opponens, bellator continet, haſtam.
Conſiſtunt omnes, ut juſſi, ac ſcuta reclinant.
At parte ex alia ſaxis, crebriſque petebant
Miſſilibus viſum Danai: ſed major Atrides
Exclamans turbam compreſſit voce furentem.
State, viri: cohibete iras, & parcite ferro:
Dicere criſtatus quiddam parat omnibus Hector.
Sic ait: imperio parent, vocemque manuſque
Continuere viri; coepit cum talibus Hector:
Audite, o Troes, Danaique, haec, dicere mandat
Quae Paris, ille caput, belli fons ille nefandi.
Ponere tela jubet pariter Troaſque, & Achivos;
Seſe ait in medio cum belligero Menelao
Deque Helena, & cunctis opibus certare paratum.
Utri laeta feret palmam victoria, gaza
Hunc omni, atque Helenae taedis, thalamoque potiri;
Foedere nos pacto jungi, ac ſecedere ab armis.
Talia Priamides; arrectis turba ſilebat
Auribus, atque animis. Menelaus talia contra.
Me quoque, Grajugenae, Troeſque, audite, moleſtus
Quem dolor hic tangit prae cunctis, quique diremta
Veſtra velim tandem certamina. multa tuliſtis
Nanque mala ob rixamque meam, Paridiſque nefandum
Ob ſcelus, unde omnis nata haec diſcordia primum eſt.
Nunc utri ſua fata necem, divique pararunt,
Occidat: immani vos finem imponite bello.
Ite, agnos, Teucri, ferte; albi velleris agnum,
Atri agnam, Soli, ac Terrae: nos parte feremus
Ex alta, quae rite deûm cadat hoſtia regi.
Praeterea huc Priamum duci volo, juret ut ipſe
Cuncta ſenex, ne magna Jovis quid foedera turbet.

v. 107.

Gna-

Gnati etenim haud metuunt divos violare, fidemque;
Et levis eſt, fluitanſque ſuo ſine pondere nutat
Mens juvenum. cum pacta ſenex componit, utriſque
Conſulit ille, tuens quod rerum eſt ante, retroque.
  Sic ait; at Graji laeto, Troeſque probarunt
Dicta ſimul fremitu, triſtique imponere bello
Sperabant longo tandem poſt tempore finem.
Ergo citos retro bijuges egere; locarunt
Et vacuos campo in viridi longo ordine currus;
Armaque depoſuere humeris, juxtaque reclinant
Denſa ſolo: in medio pars agri parva relicta eſt.
  Tum geminos Hector praecones mittit in urbem,
Atque jubet ferrique agnos, Priamumque vocari.
Nec minus ad naves Agamemnon currere juſſit
Talthibium, ac portare agnum: paret citus ille,
Contentoque volans curſu praecepta faceſſit.
  Iris at interea celeri pede nuncia venit
Miſſa Helenae; illa genas, habitumque, & verba ſorori
Hectoreae ſimilis, Priami quae pulchrior omnes
Vincebat longe gnatas, Helicaonis uxor
Laodice. haec Helenam tectis invenit in altis,
Dum pulchro ingentem pingit ſubtemine telam,
Intexens operi, quos Graja, & Dardana pubes
Ipſius ergo habuit duro ſub Marte labores.
Quam prope ſtans Iris blanda ſic voce locuta eſt:
  Nympha, veni, rerum ut videas miranda. ruebant
Qui modo per campos, avidi committere pugnam,
Troeſque, ac Danai, ſubito ſedere quieti:
Arma ſilent, clypeis acclinant corpora, juxta
Graminea tellure haſtas fixere trementes.
At Paris in medio, Mavortius & Menelaus
De te pugnabunt. uter utrum vicerit armis,

v. 138.

Illum perpetuo conjux addicta ſequere .
Sic ait ; ac Nymphae ſuccendit corda parentum ,
Atque viri , & patriae dulci telluris amore :
Nec mora , tecta caput lino candente, relinquit
Foemineum penetrale ; atque alto e limine , obortis
Uda oculos lacrimis , proceſſit ; pone ſecutae
Sunt dominam geminae forma praeſtante puellae ,
Pulchros ampla oculos Clymene , Pittheïs & Aethra .
Confeſtim Scaeae venere ad limina portae .
Heic Priamus , patreſque alii , Panthuſque , Thymoeteſque ,
Et Lampus , Clytiuſque , Hicetaon clarus & armis ,
Ucalegonque , ac Antenor , bonus auctor uterque
Conſiliis , procerum primi , de more ſedebant
Moenibus in celſis ; longo jam debilis aevo
Turba , & iners bello ; ſed coetu arguta coacto
Promere ſuavidicas facundo e pectore voces .
Quales per ſilvam , denſa & virgulta ſedentes
Arborea dulces cantant ſub fronde cicadae :
Tales Dardanii proceres praecelſa tenebant
Moenia , turris ubi ſe caeli attollit in auras
Ardua . quo celeri feſtinam evadere greſſu
Ut videre Helenam , ſubmiſſa haec dicere voce
Mirantes inter ſeſe coepere : Puella
Pro tali haud mirum Troas , Grajoſque labores
Ferre diu tantos , pulchro quae morte carentes
Ore deas aequat : ſed enim vel talis Achaeas
Puppibus in celſis procul hinc decedat in oras ;
Nec nobis , gnatiſque malam ferat improba peſtem .
Haec alii : at Priamus venientem comis amica
Voce vocat : Propius me accede ; heic , filia , mecum
Conſide ; ut veterem ſponſum , caroſque propinquos ,
Et notos videas . non tu lacrimabile bellum

v. 164.

Hoc

Hoc mihi fers, magni ſed laevo numine divi.
Huc ades, atque doce, qui denſos inter Achivos
Ille vir incedit, vultuque habituque verendus
Ante alios, quiſnam eſt? procero vertice ſunt qui
Altius attollant ſeſe; nec tempore in ullo
Ipſe tamen vidi quenquam, cui tanta decoro
Fulſerit in vultu majeſtas, formaque totum
Ornarit corpus tanto regalis honore.
  Demiſit mulier vultum pulcherrima, & alto
Corde trahens gemitum: ſocer o venerande, mihi mors
Illa utinam miſerae placuiſſet luce, tuum qua
Huc gnatum comitans, thalamum, fratreſque, mearum
Et dulces comitum coetus, natamque reliqui
Unigenam. haec propter cogor nocteſque dieſque
Infelix angi, largo & tabeſcere fletu.
Verum age, jam, quod aves audire, ac noſcere, dicam.
Ille vir, Atrides Agamemnon; optimus idem
Rexque, & bellator, ſceptroque inſignis, & haſta,
Atque meus, ſi ſorte meum fas dicere, levir.
  Sic ait: at regem ſenior miratus; Atrida
Fortunate, inquit, felicibus edite fatis,
Certe ingens numerus pubis tibi paret Achaeae.
Vitiferas Phrygiae veni olim pinguis in oras;
Atque Phrygum vidi turmas, tot milia campis
Denſa equitum, populos Otreique, & Mygdonis, ingens,
Agmen Sangarii tendens prope fluminis alveum.
His & ego ſociuſque aderam, auxiliumque ferebam,
Venere infeſtis quo tempore Amazones armis;
Nec numero tamen illa acies aequabat Achivos.
  Tum, Laërtiaden cernens; Dic, inquit, & illum
Vertice qui paullo minor eſt Agamemnone, at idem
Latior atque humeris, atque amplo pectore, pingui

v. 194.

Hac

Digitized by Google

Arma ſolo cui ſtrata jacent oneroſa : virorum
Ipſe (aries ceu villoſus per ovilia plena)
Hac illac , magno ſpectandus corpore , fertur
Per cuneos , lento & figit veſtigia greſſu .
  Haec Priamus ; formoſa Jovis cui nata viciſſim
Pauca refert : Laërtiaden , rex , cernis Ulyſſem ,
Ingenio quem ſolerti , vafrumque , catumque
Ante alios , Ithaca in celſis tulit aſpera ſaxis .
  Excipit Antenor : Vera iſtaec , nympha , locuta es .
Quippe , olim huc miſſus venit cum dius Ulyſſes
Te propter , flavuſque una Menelaus , utrumque
Excepi hoſpitio , ſovi & complexus amice ,
Amborum & potui mores , ac noſcere ſenſus .
Qui poſtquam in Teucros coetu venere coacto ;
Cum ſtabant , ſocium procero corpore Atrïdes
Vincebat ; ſed cum flectebant membra ſedentes ,
Atriden ampla ſpecie vincebat Ulyſſes .
Inde , ubi coeperunt prudenti e pectore dicta
Promere , feſtinans Menelaus dicere amabat
Pauca , ſed argute , verborum haud largus , aberrans
Propoſita & nuſquam juvenis juveniliter ab re .
Aſt ubi ſurgebat mirus vi mentis Ulyſſes ,
Principio , terrae defigens lumina , ſtabat ;
Nec ſceptrum tacitus retrove , aut ante movebat ,
Attonito ſimilis . fatuum nil ſcire , vel atra
Bile jecur plenum iraſci , atque haerere putares .
Verum , ubi mittebat magnam alto e pectore vocem ,
Et denſa hibernae fundebat verba per auras
More nivis ; non eloquio contendere Ulyſſi
Eſſet quiſquam auſus mortalis : jamque decorum
Os , formae auguſtum nemo & laudabat honorem .
  Magnum deinde ſenex Ajacem vidit ; & , Ille

v. 225.

Quiſnam, inquit, praeſtans immani corpore, cunctos
Qui capite, atque humeris ſupereminet unus Achivos?
Illa refert: Ajax ingens, arx gentis Achaeae.
Contra autem Idomeneus, Cretaeis ductor ab oris,
Ille deo ſimilis, procerum quem denſa corona
Circumſtat. patriis venientem a finibus, aede
Saepe, virum, in noſtra fortis Menelaus amice
Excepit, multoque habuit veneratus honore.
Hinc alios etiam noſcoque, & nomine poſſum
Dicere quemque ſuo: geminos per denſa requiro
Agmina ſed reges nequidquam; Caſtora, nemo
Alipedes cui certet equos agitare, gravique
Adſuetum heroas Pollucem ſternere caeſtu;
Quos mihi germanos îdem genuere parentes.
Manſeruntne domi pulchra in Lacedaemone? ponto
Anne huc fluctivagis advecti puppibus, inter
Verſari Danaûm reges, oculoſque virorum
Ferre, meam propter noxamque, & probra, verentur?
Sic ait; aſt illos ambo Lacedaemone in alta
Atro nigra ſinu tellus complexa tenebat.
Interea mediam praecones juſſa per urbem
Sacra ferunt; agnos, album, nigramque; caprino.
Almae laetificos & vitis in utre liquores.
Fulgentem cratera Idaeus, & aurea geſtat
Pocula: verba ſeni adveniens qui talia fatur:
Surge age, Laomedontiade, regum optime, nam te
Trojugenum, ac Danaûm proceres communiter orant,
Extra urbem in campum deſcendas; foedera praeſens
Ut ferias; pactamque fidem, conventaque firmes.
Nam longis pugnare haſtis Paris, ac Menelaus,
Turba omni ſpectante, parant de conjuge. multae
Victorem gazae, ac mulier formoſa ſequetur.

Atque aliquis: Divûm rex Jupiter, auctor utervis
Attulit hunc Troum genti, Grajiſque laborem,
Da, pater, obſcurum hinc abeat confoſſus ad Orcum:
At nobis pacemque, ac foedera firma relinquat.
Haec illi: at ſortes agitabat Martius Hector,
Ipſe manu magna quatiens averſus. in auras
Continuo galea Paridis ſors exit ab ima.

Conſedere acies ambae pulchro ordine, currus
Quiſque ſuos, atque arma ſolo rutilantia, juxta.
Dius Alexander mediis in milibus aere
Induit ad torvi ſeſe certamina Martis.
Principio leves ocreas dat mollia circum
Crura, nitens argento apte quas fibula mordet.
Dehinc thoraca gravem, ſolitus geſtare Lycaon
Quem frater, membris olli par, pectora circum
Induit; hinc lateri fulgentem ſubligat enſem
Demiſſum ex humero; ſcuto dehinc inſerit aptans
Ingenti laevam, ſolidoque ad tela: comantem
At capiti galeam ſetis imponit equinis;
(Horrendum in ſummo nutabant vertice criſtae)
Tum poſtremo habilem dextrae, vi corripit haſtam.

Nec minus ex alia claro Menelaus in aere
Parte micat, ſaeviſque acer ſeſe inſtruit armis.
Inde ubi uterque ſuos inter ſe ad bella paravit,
Torva tuens vacuum lentus procedit in aequor.
Arrexere animos Troes, Argivaque pubes
Attoniti. ingentes immani pondere quaſſant
Illi haſtas; longe nec diſtant; fluctuat atrox
Ira intus, furor incenſo micat efferus ore.
Primus ibi toto connixus corpore telum
Dius Alexander contorſit. miſſa per auras
Haſta volat ſtridens, clypeoque excepta rotundo

v. 347.

Hor-

Horrendum inſonuit, ſed non & rumpere durum
Aes valuit, ſummoque inflexa umbone pependit.
  Inde grave Atrides aerata cuſpide robur
Librans, caelicolum regem ſic ore precatur.
  Da, pater, ulciſci, laeſit qui me improbus ultro
Nil meritum. tu ſterne meis, tu, magne, ſceleſtum
Sub manibus; ventura etiam quod noverit aetas;
Nec velit hoſpitium temerare, ac fallere dextram,
Officium & penſare probro. Sic deinde locutus
Ingentem magnis conjecit viribus haſtam.
Tranſiit & clypeum, tot ferri terga, tot aeris,
Loricaeque moras vibranti cuſpis acuta
Aere infixa, levem & tunicam juxta ilia: flexo
Ille tamen mortem devitans corpore, vulnus
Letiferum eluſit. ſtricto citus advolat enſe
Atrides; conum galeae, criſtaſque comantes
Et ferit aſſurgens: tenues at fractus in auras
Diſſiluit mucro, dextramque reliquit inermem.
Suſpexit caelum Atrides, & pectore ab imo
Has magno voces gemitu dedit: heu! mage laevus,
Atque nocens nemo eſt unus te, Jupiter, omni
E divûm numero. tibi ſupplex luſus inani
Spe ſum; nec licuit ſcelerato a ſanguine poenas
Sumere. diffractus mucro eſt; nec pertulit ictum
Haſta mihi, valido fruſtra contorta lacerto.
Sic ait; atque juba comptam furiatus equina
Involat in galeam, prenſumque trahebat Achivam
Intra aciem raptans: galeae retinacula molli
Aurea quae mento ſuberant, juvenile reducto
Angebant loro guttur: ſed victor ad ipſos
Pertrahere haud potuit ſocios, & laude potiri
Eximia, longo nec finem imponere bello.

v. 373. Na-

Nata Jovis magni ſenſit Venus , ipſaque caelo
Adveniens rupit lorum dea : caſſis ahena
At, capite exempto, victorem eſt ſola ſecuta .
Quam , ſimul ac vacuam vidit , projecit Achivos
Contortam in medios : ſocii tellure jacentem
Suſtulerunt . aſt dira fremens Menelaus in hoſtem
Irruit ; ac magnam quaſſabat turbidus haſtam .
Tum Cypris (nam quid nequeat dea?) protinus illinc
Priamiden longe rapuit , multamque paventi
Offudit circum nebulam ; fractumque labore
Ipſa ſuis manibus thalamo in fragrante locavit .
Inde abit, arceſſitque Helenam ; quam nacta ſedentem eſt
Aëria in turri . dextra , laevaque frequentes
Dardaniae matres aderant . tum diva prehendens
Ambroſium furtim peplum concuſſit : at ora
Diſſimulat , cultumque deae , ſeque induit aſtu
Rugoſam in vetulae faciem , Lacedaemone lanam
Quae curare illi , prae cunctis grata , ſolebat .
Huic ſimilis blanda Venus eſt ſic voce locuta .
Nympha , veni ad tua tecta ; Paris vocat , ille ſuperbum
Ingreſſus thalamum , formaque , & veſtibus aureis
Effulgens : reducem nec dixeris eſſe cruenti
E medio , pugna functum , certamine Martis :
Verum aliquo ad choream laetum ſe ferre , relicta
Aut chorea , feſſum dulci ſediſſe labore .
Sic ait : incenditque animum ſub pectore . pulchrae
Illa oculos , pectuſque , & colla nitentia divae
Agnovit ; ſubitoque adſpectu exterrita : Fraudes
Anne alias miſerae nectis , dea ſaeva , paraſque
Maeoniaeve aliquam , Phrygiae vel ducere in urbem ;
Atque alii , ſi forte virum quem diligis illic ,
Tradere me? patrias victor Menelaus in aedes

v. 404.

Ne

Ne captam abducat, veniſti huc nempe, malaſque
Inſidias vafra moliris mente, doloſque ?
I, Paridis tibi tanta tui ſi cura, beatam
Caelicolum vitamque, viaſque oblita, ſedeto
Uſque virum juxta; coetu & ſecreta deorum,
Fle ſimul, & carum ſerva caput omnibus annis,
Illius evadas donec vel ſerva, vel uxor.
Ipſa quidem nec eo, quo me vocat improbus, ire
Nec fas; objiciant probrum ne Troades olim,
Totque graves cumulent, patior quas anxia, curas.
  Cui furiis incenſa Venus: Jam parce, furores
Parce meos, inquit, te contra ſtulta ciere,
Quam te amo, ne incipiam poſthac odiſſe; ſtruamque
Triſte odium Danaûm, Troumque in pectore, nulli
Non inviſa malo pereas ut denique fato.
  Sic ait: at mulier gelido tremefacta pavore,
Peplo tecta caput candenti, murmure nullo
Inde abit; ac, ducente dea, greſſum extulit: illam
Nec turri ſenſere egreſſam Troades alta.
  Inde ubi Alexandri celſa intra limina ventum eſt;
Continuo famulae ſua quaeque ad munia verſae:
Illa domus altum ſcandit penetrale, nitenti
Intulit & ſeſe thalamo. cui Cypris eburna
Ipſa manu ſellam poſuit, nymphamque ſedere
Juſſit Alexandrum contra. Jove nata reſedit,
Atque, ſolo figens oculos averſa, fugacem
Increpuitque virum, rupitque has pectore voces:
  Nempe redux bello veniſti; occumbere leto
Quem fuerat ſatius, ſcelerumque expendere poenas
Enſe viri domitum fortis, cui nupta marito
Ante fui. at certe Menelao fortior eſſe
Vi, manibus, certaque haſta jactare ſolebas.

v. 431. ¶ nunc,

I nunc, i, ſtulta Menelaum mente laceſſe
Rurſus deterior. quin, ſi ſapis, obvius acri
Ire viro, noli male cautus; neve laceſſe
Imbellis fortem; ne te domet ocyus haſta.
  Haec fanti retulit contra Paris: O bona, parce
Jurgari, & probris me fruſtra inceſſere, conjux.
Magnae ope nunc vicit me pugnans ille Minervae;
Illum ego vincam alias: nam mi quoque bella gerenti
Divi adſunt. praeſtat nunc, pugna atque hoſte relicto,
Ceſſare heic paullum tecum, & requieſcere; ſaeva,
Truxque mihi tanto quae mentem incendis amore,
Quanto arſi, patria quando Lacedaemone raptam
Puppibus avexi, & Cranaës in litore primum
Te mihi connubio junxi, taedaque jugali.
Sic ait, exſurgitque, petens & ſtrata praeibat;
Illa virum parens notum in penetrale ſecuta eſt.
  Interea hac illac per turbam curſat Atrides,
Ille ferae ſimilis; nanciſci ſicubi pulchrum
Quiret Alexandrum. quaeſitum oſtendere nemo
At poterat Tros, vel ſocius. celare latentem
Nollet enim quiſquam, letoque arcere, ſuorum,
Inviſum cunctis aeque, atrae ac limina mortis.
  Ergo haec in mediis Agamemnon milibus inſit:
Audite o Troes, ſociique haec mentibus aequis.
Certa quidem forti victoria ſtat Menelao.
Vos Helenam, raptamque una jam reddite gazam:
Addite dehinc multam, noxa quae digna videri
Poſſit, & ad ſeros memoret quam fama nepotes.
  Haec ille. at laeto plauſerunt murmure Achivi.

v. 461.

HOMERI ILIADOS
LIBER QUARTUS.

DI Jovis interea tecto in ſtellante ſedebant,
Auro ubi clara micant penetralia: nectar at Hebe
Miſcebat formoſa. illi, dum pocula in orbem
Traduntque, accipiuntque manu, Trojana tuentur
Moenia, & inſtructas prato in florente phalanges.
Talibus heic dictis Junonem inceſſere coepit
Jupiter, atque joco Veneri conferre moleſto:
Vſque favent geminae flavo divae Menelao,
Juno Argiva, potens & bello Pallas; at ambae
Secretaeque ſedent longe, gaudentque tuentes
Praelia nequidquam. contra feſtiva Diones
Filia ſemper adeſt Paridi, praeſenſque repellit
Fata viro. quem nunc medio e diſcrimine leti
Eripuit, patriaſque ferens avexit in aedes.
Certa tamen forti victoria ſtat Menelao.
Nunc, his quem deceat rebus jam ponere finem,
Conſulite in medium; rurſuſne incendere triſti
Marte animos placeat, ſancire an foedera pacis.
Hoc ſi forte placet cunctis, Priamique manebit
Urbs; Helenam & patrias ducet Menelaus ad oras.
Jupiter haec. tacitae muſſant, ſaevumque furorem
Alto corde premunt Juno, & Tritonia Pallas;
Quae, mala Trojugenis irato in corde parantes,
Contiguae divûm coetu in fulgente ſedebant.
Nata quidem, indomitus licet intus ferveat atro
Felle dolor, nihil auſa tamen patrem hiſcere contra:

Juno iram haud tenuit, rupitque has pectore voces:
Immitis quidnam dixti Saturnie? longus
Ergo mihi fuerit labor irritus? ergo profuſus
Incaſſum ſudor, quem fudi feſſa viarum,
Ipſa, & equi; populos inſto dum cogere in arma,
Exitio Priamum tota cum gente daturos?
Perge: deûm ſed enim ſtabit ſententia contra.
Cui pater ingenti reſpondit concitus ira:
Saeva, tibi quidnam Priamus, Priamique propago
Tota malae tantum noxae infert, Ilion uſque
Eruere, & fundo cupias ut vertere ab imo?
Quippe, urbem Troûm, atque domos ingreſſa, vorares
Crudum ſi Priamum cum gnatis, effera credo
Vis animi, atque iſtaec tum demum poneret ira.
Verum age, fac quidquid libitum. contendere tecum
Nolo equidem, ne noſtra nimis certamina gliſcant.
Tantum audi, ac penitus, quae dico, mente reconde.
Ipſe etiam ſi forte velim tibi gentis amicae
Urbem aliquam iratus vaſtare, ac vertere; ferto
Aequa mente, meis & parce obſiſtere coeptis:
Sponte tibi hanc ut ego nunc urbem largior, etſi
Corde angor, genus atque pium male perdere durum eſt.
Quotquot enim ſub ſole urbes, caeloque coluntur
Aſtrifero, has inter nulla eſt mihi gratior uſquam,
Quamque magis foveam, praeſtanti & digner honore,
Quam Troja, & Priamus, Priami & gens inclyta bello:
Ara ubi non unquam dapibus mea, non caret unquam
Aut pingui fumo, aut largo libamine; prole
Terrigenum a parva ferimus quae munera divi.
Iupiter haec: contra Juno cui talia fatur:
Tres habeo, caras prae cunctis urbibus, urbes,
Argoſque, & ditem Spartam, lataſque Mycenas.

v. 52.

Ha-

Harum inviſa tibi ſiqua eſt, fueritve, licebit
Evertas. equidem patiar, nec, magne, reſiſtam,
Rex, tibi; nec, vellem ſi forte reſiſtere, quidquam
Proficerem: longe praeſtas nam viribus omnes.
Attamen & meus in ventos ne ſudor inanes
Caſſus eat, neve orſa cadant abrupta, videndum eſt.
Ipſa etiam dea ſum, quo tu de ſemine creta;
Me quoque Saturnus genuit, praeſtoque deabus
Longe aliis claroque ortu, claroque Hymenaeo.
Una vocor tua nam, divûm es qui maximus, uxor.
Verum haec nos inter cedemus mutua uterque,
Ipſa tibi, mihi tu. divûm facilisque, volenſque
Turba omnis, placeat quo ducere cunque, ſequetur.
Tu flavae interea potes hoc mandare Minervae:
Trojugenum, Grajûmque acies petat, & male cautos
Gnara modi exacuat Troas, quo laude ſuperbos
Jam parta, laedant, neglecto foedere, Achivos.
  Haec dea; cui facilis divûm pater, atque hominum rex
Paruit; ac gnatae confeſtim talia mandat.
  Trojugenum, Grajûmque acies pete, nata, relata
Et laetos, fac, laude armis inceſſere Troes
Incipiant ultro, neglecto foedere, Achivos.
  Sic ait: & cupidae ſtimulos pater addidit acres.
Ergo cita e ſummo dea ſe demittit Olympo.
Qualis ſtella, polo ardentem Saturnius alto
Quam miſit, nautis monſtrum, pubive virorum
Armigerae, ingentes caeli ſecat ignea tractus;
Scintillae abſiſtunt, longo via limite fulget:
Talis ab aetherio ſtellantis vertice Olympi
Delapſa in medium Pallas. ſtupor altus Achivos,
Et Troas pariter, monſtrum ut videre, tenebat.
Atque tuens aliquis, ſuſpenſa mente, ſodalem:

Triſte vel, ajebat, bellum, pugnaſque novabit,
Vel gentem placido componet foedere utramque
Jupiter, & pacem qui temperat aequus, & arma.
Haec monſtrum admirans aliquis Danaûmque, Phrygumque.

Illa viro ſimilis medios ſe protinus infert
Trojugenum in cuneos, fortem vultuque, habituque
Laodocum & ſimulans, longaevo Antenore cretum,
Hac illac ibat denſa inter milia, ſi te
Forte, Lycaonide, nanciſci, Pandare, poſſet.
Tandem eſt nacta virum. ſtabat bellator in armis:
Denſi circum aderant comites, clypeata juventus,
Aeſepi a ripis regem quae in bella ſecuta.
Hunc prope ſtans verbis affata eſt Pallas amicis.

Viſne mihi parere, Lycaonis inclyta proles?
Satne tibi virtutis ineſt in pectore, fortem
Haud dubites miſſo Menelaum ut figere telo?
Eximiam certe laudem, atque ingentia ferres
Praemia. nil Teucris, Paridi nil carius uno
Te fuerit; donis qui te cumulabit opimis,
Ille tuo Atriden Menelaum viderit arcu
Si domitum imponique rogo, flammaque cremari.
Quare age, jamque virum letali fige ſagitta.
Ante tamen Phoebo, Lycia qui cretus in alta eſt
Arcitenens, fac vota libens, cum celſa Zeliae
Moenia contigeris victor, ſedeſque paternas
Primigenis facturum agnis praepinguia ſacra.

Haec effata, animum dementi vaſra Minerva
Impulit. Ergo arcum depromit, grandia capri
Cornua ſilveſtris; quem, ſaxo prodit ab alto
Dum citus, exceptum telo trans pectus adacto
Fixerat: in rupem moribundo corpore pronus
Corruit. in palmos prodibant cornua fronte

v. 109.

Cel-

Celſa bis octonos: quae multa ſedulus arte
Levavitque faber, fulvoque incluſit in auro
Hinc apices atque hinc geminos. hunc protulit heros,
Contendenſque manu ſolerti acclinat ad ipſam
Tellurem. ſcutis regem texere ſodales
Condenſi; Grajûm pubes conſurgere in arma
Ne prius inciperet, ſaevo quam miſſile ab arcu
Effugiens certo Menelaum figeret ictu.
Inde manu pharetramque aperit, volucremque ſagittam
Deligit, haud unquam miſſam, duroſque nitenti
Sub ferro luctus, & vulnera ſaeva gerentem.
Hanc ubi depromſit, nervoque aptavit equino,
Vota facit Phoebo, Lycia qui cretus in alta eſt,
Primigenam agnorum ſobolem, praepinguia ſacra,
Spondens, cum patriam remearit victor ad urbem.
Inde arcum laeva tenuit, dextraque ſagittam
Cum nervo adduxit pariter, dum tangeret ipſa
Arcum acie ferri; dextra, nervoque papillam.
Protinus inſonuere aurae, fugitque volucre
Horrendum ſtridens medios telum inter Achivos.
Nec te dî expertem auxilii, Menelaë, potentis
Immemores liquere tamen; non filia magni
Magna Jovis. telum pro te ſtans depulit ultro
Illa manu letale, inhibens a corpore: muſcam
Mater ut inſtantem pueri cum pellit ab ore,
Dum media placidum carpit de luce ſoporem.
Diva manu telum flexit, qua fibula balteum
Aurea mordebat, thorax qua ſe objicit ingens
Aere rigens duplici: ſed magni textaque baltei,
Thoraca & geminum pervaſit ferrea cuſpis,
Et quae ſubter erat, firmum tela omnia contra
Munimen, lamnam. qua vis infracta morante

v. 138.

Lan-

Languit immanis ferri, proceſſit at ultra
Hanc etiam, & ſummum perſtrinxit denique corpus.
Tum roſeus fluxit non alto a vulnere ſanguis.
Puniceo veluti niveum ſi Maeonis oſtro,
Maeonis, aut Carum ſolers de gente puella,
Tinxit ebur, celerum quod malas ornet equorum;
Et poſitum in thalamo ſervat. ſibi plurimus illud
Optat eques: regi poſitum ſervatur at intus,
Et geſtamen equo, decus & praeſigne vehenti:
Sic, Menelae, tibi pulchro madefacta rubebant
Et femora, & ſurae molles, talique cruore.
Purpureo at fratrem perfuſum ut ſanguine vidit,
Horruit atque genas Agamemnon palluit: aeque
Horruit adſpectu Menelaus & ipſe: volucris
Sed poſtquam vidit nervumque, hamoſque ſagittae
Exſtantes, rediere animi, timor omnis abactus.
Interea fratrem dextra tenet, ac furit altos
Pectore dans gemitus Agamemnon. plurima circum
Turba gemit: queſtus ille hos fundebat ab ore.
Ergo haec heu pepigi, frater, tibi foedera, mortem
Quae ferrent? ſolum te ſivi, frater, Achivûm
Heu tota pro gente armis inceſſere Teucros?
Confodere dolo qui te, qui foedera, & omnes
Protrivere ultro leges, peſſumque dedere.
At non caſſa deûm tamen ibunt foedera, fuſus
Agnorum & ſanguis, ſacra & libamina, quaſque
Cepimus, ac fidei dedimus modo pignora, dextrae.
Iratus differt; poenas tandem irrogat aequas
Jupiter. actutum pendent crudele nefandae
Ipſi ſupplicium fraudis; nec numina parcent
Conjugibus, pueriſque. dies (nec vanus inani
Spe ludor) veniet, qua concidet Ilios alta,

v. 164.

Et Pria-

Et Priamus tota ſenior cum gente peribit.
Ipſe illis caelo regnans pater aegida ſaeva
Horrendam quatiet dextra, male percitus ira
Hanc propter fraudem, & perjuria foeda. futurum
Hoc ſcio: at infandus perdet dolor, o Menelaë,
Me tamen, e vita fato ſi functus abibis.
Quippe etenim patrium remeabo turpis ad Argos.
Namque domus Grajos inceſſet cura paternae;
Linquemuſque Helenam, Priamo decus: at tua, frater,
Oſſa ſolo in Trojae putreſcent morte perempti
Ante, queas coepto quam finem imponere bello.
Et pede Tros aliquis calcans tua buſta ſuperbo:
Sic utinam ſaevas Agamemnon expleat iras,
Semper, ut incaſſum puppes huc duxit Achaeas;
Et nunc in patriam longo poſt tempore ſedem,
Heic fratrem linquens, vacua eſt cum claſſe reverſus.
Haec aliquis dicet: tellus tunc me hauriat ima.
  Cui triſtem demens aegro de pectore curam,
Atque metus omnes Menelaus: Parce timori,
Frater, ait; terrere alios & deſine Achivos.
Non, ut rere, alte ſubiit letalis arundo.
Balteus infregit vim teli, zonaque, & aere
De ſolido ſubter quae lamna, coërcuit ictum.
  At frater: Menelaë, utinam ſis vera locutus.
Paeonia vulnus nam vir tibi doctus in arte
Tractabitque manu explorans, & pharmaca ſupra
Imponet, ſaevos demant quae admota dolores.
  Sic ait, ac, celerem ad regalia juſſa miniſtrum,
Talthybium alloquitur: citus i, prolemque beati
Egregiam Aſclepî, medica par nullus in arte
Cui ſuat, huc arceſſe Macaona. viſere Grajûm
Regem feſtinet Menelaum, vulnus adacta

, *v.* 195.

Cui tulit inſonti vir Tros, Lyciuſve ſagitta;
Atque ſibi laudem, luctum quaeſivit Achivis.
Sic ait: ille citus regis praecepta faceſſit;
Percurritque aciem, diumque Macaona quaerens
Fert oculos per cuncta; virum & videt agmine ſtantem
In medio: circum pubes clypeata coruſco
Fulgens aere, Tricae proles altricis equorum.
Quem prope ſtans, trepido dedit has de pectore voces:
O Aſclepiade, curre ocyus. ire Agamemnon,
Te jubet, Atriden Menelaum & viſere; adegit
Cui vulnus miſſa vir Tros, Lyciuſve ſagitta;
Atque ſibi laudem, luctum quaeſivit Achivis.
Sic ait: atque viri concuſſit pectora dictis,
Incenditque animum. celeri pede greſſus uterque
Fert medios ſe per cuneos, turbamque virorum.
Vt venere ambo trepidi flavum ad Menelaum;
Stabat ubi forma par dîs caeleſtibus heros
Primorum in medio procerum; mora nulla, Macaon
Haerentem ex arcto, multa bonus arte, ſagittam
Extrahere aggreditur bâlteo: verum utraque acuti,
Dum retrahit, ferri pinna eſt infracta. relaxat
Ergo manu armorum ſolers texta aerea, balteum,
Zonamque, lamnamque, oculis dum vulnus apertum
Cerneret. hinc labrum admovit, craſſumque cruorem
Hauſit, & inſperſit medicamen lene, parenti
Illius in magno dederat quod munere Chiron.
Interea, circa Menelaum talia Graji
Dum trepidant, ferro inſtructi procedere contra
Incipiunt avidi pugna decernere Troes.
Nec minus & Graji cinguntur que aere coruſco,
Expediuntque manus laeti, pugnaeque parant ſe.
Non heic Atriden videas Agamemnona ſegnem

v. 223.

Ceſſare, atque metu cunctari, horrere propinquum
Et Martem: at ferro quam primum cernere acuto
Velle alacrem, mediiſque virûm clareſcere in armis.
Ille quidem curruſque inſignes aere, paratos
Et regnator equos dimittit; fidus habebat
Quos juxta Eurymedon, Ptolemaei clara propago
Piraidae. hunc juſſit, cuneos pedes ipſe virorum
Dum celeri greſſu cunctos obit omnia viſens,
Pone ſequi, ſi forte labor laſſaret euntem.
Sic turmas it per ſocias Pelopeïus heros.
Tum, quoſcunque videt laetos procedere in hoſtem,
His hortans acuitque animos, atque incitat iras:
Eſte viri, & validas, Argivi, expromite vires.
Non erit ut fraudi faveat rex ille deorum;
Sed prior infregit qui foedera ſancta, jacebit
Praeda feris avibus: nos urbe, opibuſque potiti,
Vxores bello captas, & pignora parva
Navibus in curvis patrias ducemus ad oras.
Quos contra pavidos cunctari, & praelia cernit
Detrectare, furens verbis inceſſit acerbis:
Heu nequam, heu ſegnes Argivi, nec pudet iſto
Stare modo hinnuleis ſimiles, poſt arva volucri
Qui tranſmiſſa fuga ſternunt ſe robore feſſi
Exhauſto? pugnamne placet differre, carinas
Dum Teucri ad celſas veniant, ac litora? inertes
Anne juvat tentare, manu vos Jupiter ipſe
An tegat, immuneſque operum defendat ab hoſte?
Sic Danaûm ſeſe per milia denſa ferebat
Imperitans. Primum Cretas devenit ad acres,
Magnanimus pubem Idomeneus quam ducit in arma.
Primam aciem Idomeneus agit impiger, ille frementi
Robur apro ſimilis; poſtrema in parte coërcet

Homer. v. 253.

Meriones claro fulgentes aere phalanges.
Hos ubi conſpexit ſecum eſt gaviſus Atrides;
Atque ducem blandis affatur vocibus ultro:
Idomeneu, Danaûm te reges inter honore
Praecipuo colui ſemper bellique, domique;
Solemneſque ſuper menſas, cum dona Lyaei
Dulcia miſcentur, poſito cratere, per orbem
Iuſſa bibunt alii proceres ex ordine; plenus
Stat tibi at uſque calix, aeque ac mihi; ſolus &, unum
Me praeter, potas quantum fert corde voluntas.
Ergo alacer, ſimiliſque tui nunc bella capeſſe.
Idomeneus contra, Cretum rex: Optime regum,
Me tibi promiſi qualem fore, talis amicus
Semper ero, praeſtans fidum quaecunque ſodalem
Eſt opus. at tu alios hortare in praelia Grajos,
Ocyus ut ſaevo certemus Marte, deorum
Mendaces quando violarunt foedera Teucri.
Quos dirae actutum clades, & fata ſequentur
Triſtia, quaſque ſuo meruerunt crimine poenas.
Haec ille: Atrides abiit laetatus; & ambos
Venit ad Ajaces, incedens plurima qua ſe
Denſat turba virûm. gemini, duo germina Martis,
Armabant ſeſe reges. quos pone ſecuta
Denſa ruit peditum nubes. Ut paſtor ab alta
Cum nubem ſpecula venientem proſpicit: ater
Solis ab occaſu Zephyro impellente per aequor,
Ille pici aſſimilis, medium ſecat aëra nimbus,
Obſcuramque hiemem ſecum fert, atque procellas;
Horreſcunt longe ſpectanti praeſcia corda,
Compellenſque cavo raptim pecus abdidit antro:.
Sic geminos poſt Ajaces denſo agmine pubis
Belligerae incedunt in praelia torva cohortes

v. 280. Aera-

Aeratae; clypeiſque, haſtiſque ingentibus horrent.
Hos etiam gaudens Agamemnon vidit; & ultro
Compellans ambos verbis affatur amicis.
 Ajax, Argivae dux inclyte pubis uterque,
Vos nec opus, nec fas eſt noſtra voce moneri,
Acres ultro agmen qui ſaeva cietis in arma.
Dî magni! o utinam cunctis in pectore tanta
Vis animi, patriae tantum & virtutis ineſſet.
Regna brevi caderent Priameïa, & Ilios alta
Grajorum manibus capta, atque everſa jaceret.
 Haec ait, inque alios pergit citus; & venit illuc,
Neſtor ubi ſocios hortatur, & inſtruit armis,
Qui circum Pelagonta, Alaſtoraque, Chromiumque,
Hemona & eximium bello, regemque Bianta.
Primum equites, curruſque locat, dehinc firma virorum
Robora, denſam aciem peditum, poſt terga; moramque,
Et vallum belli: in medium compellit inertem,
Ille vel invitam cogens ad praelia, turbam.
Haec equiti mandat ſenior, cohibere jugales
Quemque ſuos, temere nec quoquam incurrere mixtis
Ordinibus. ne quis mihi, fretus robore, neve
Arte, ruat citior ſociis, & ſolus in hoſtem
Impellat bijugos. ne retro cedite: ſoli
Vis minor eſt; junctis qui pugnat, fortior, armis.
Jam, ſocii ſi quis currum conſcenderit, haſta
Ut pugnet, moneo; notas regat alter habenas:
Id melius multo nanque eſt. his ſcilicet olim
Heroes priſci vaſtabant artibus urbes.
Haec ſenior longo doctus monſtrabat ab uſu.
Quem gaudetque tuens Agamemnon, atque ita fatur.
 O utinam, venerande ſenex, quam vivida mens eſt,
Acer & iſte animus, tam firmo robore ſubter

ꝟ. 314.

Genua forent, vireſque aevo florente vigerent.
Sed te, quae cunctos, domat heu vis tarda ſenectae;
Quae vellem capiti alterius, genibuſque moleſta
Ingrueret, tibi vernaret primaeva juventa.

Haec prior Atrides; cui Neſtor talia contra:
Ipſe quoque optarim fieri nunc talis, Atrida,
Qualis eram, qua luce mea confoſſus ab haſta
Dius Ereuthalion cecidit: verum omnia rerum
Omnibus haud tribuunt pariter dî. tunc mihi firmum
Robur erat juveni, nunc me premit aegra ſenectus.
Qualiſcunque tamen turmas hortabor equeſtres,
Conſilio, verbiſque regens; praeſtare quod unum
Haec valet, ac proprium ſibi munus vindicat, aetas.
Id ſenis eſt: haſtam quatient, queis ſervet ab aevo
Sanguis, & integrae ſolido ſtant robore vires.

Haec ſenior: gaudens ultra procedit Atrides,
Stabat ubi Peteo natus genitore Meneſtheus,
Acer equis; circum denſi, Mavortia pubes,
Cecropidae. prudens non longe ſtabat Ulyſſes,
Atque Cephallenum, bello haud ſpernenda, juventus.
Horum acies nondum, cum prima in praelia Troes,
Ac Danai ruerent, ſecreta in parte tumultum
Bellantum audierant: dux cunctabatur uterque,
Exſpectans praegreſſa phalanx invadere donec
Hoſtem alia inciperet, belli & tentare periclum.
Hos cernens verbis Agamemnon torvus acerbis
Increpat; iratoque has rumpit pectore voces:

O Petei proles regis, non digna parente;
Tuque, o docte dolos fraudeſque, vaſerrime Ulyſſeu,
Non pudet indecores trepidare, ac praelia inire
Nolle prius, verſos alius quam fuderit hoſtes?
Vos primam ante aciem primos pugnare decebat.

v. 341.

Am-

Ambo etenim, quoties epuli venit hora, ſoletis
Grajorum primi ad convivia laeta vocari,
Et largis veſci dapibus, largoque bibaces
Indulgere mero, ſaturique abſcedere menſis.
At nunc eſſe placet poſtremis; atque juvaret
Dura decem ſi vos praeeant in bella phalanges.
  Dixerat: iratus regi haec Ithaceſius heros:
Quale nefas, Atrida, tui ſepto excidit oris?
Nos male cunctamur ſegnes cum tempus in hoſtem
Ducere, & adverſis venienti occurrere turmis?
Aſpicies (ſi forte voles, ſi cura ſubibit
Haec animum) primam ante aciem pugnare parentem
Telemachi; & primis Troum ſe inſerre furentem
Ordinibus: ſed vana volant tibi, falſaque dicta.
  Olli ſubridens Agamemnon; vidit ut ira
Incenſum, verſo in melius ſermone reponit:
  Clara deûm proles, ſolerti pectore Ulyſſeu,
Non ego te fruſtra incuſemve, horterve neceſſe eſt.
Conſilium tibi lene viget ſub pectore, noſtrae
Et concors menti mens eſt. age bella capeſſe
Nunc, ut opus. ſi quid maledicti fugit ab ore,
Penſari officio poterit. nunc omnia, dixi
Quae modo, in aerios dî vertant irrita ventos.
  Haec effatus abit Diomedem viſere, fortis
Magnanimam Tydei ſobolem; nactuſque morantem eſt
Inter equos, duro & compactos robore currus:
Nec procul inde aberat Sthenelus, Capaneïa proles:
  Hunc quoque flammato compellans turbidus ore
Increpat, & dictis ad pugnam haud mollibus urget:
  Tune etiam, magni natus de ſanguine Tydei,
Sic trepidas, bellique vias circumſpicis? at non
Sic Tydeus trepidare olim, Martiſque pericla

v. 372.

De-

Deſugere ignavo tremefactus corde ſolebat ;
Sed longe ante alios ibat per tela ſodales ,
Ut perhibent , qui bella virum videre gerentem .
Ipſe etenim haud unquam vidi : ſed fama ferebat
Eximium ante omnes animoque , & viribus eſſe .
Hoc memini , quondam , cum magnanimo Polynice
Undique cogentem populos in bella , Mycenas
Veniſſe hoſpitio exceptum , & ſocia arma rogaſſe .
Argivi ſacram ad Theben . nam caſtra movebant .
Jamque Mycenaei annuerant , pubemque parabant
Belligeram auxilio : ſed laevus Jupiter alto
Prodigia oſtendit caelo , atque abſterruit orſis .
Inde ubi digreſſi ripam tetigere virentem
Aſopi , mittunt legatum Tydea Graji .
Ille abiit , celſaſque Eteoclis venit in aedes .
Nactus ibi eſt primos Cadmea e gente Lyaeo
Indulgere viros , laetiſque accumbere menſis .
At Tydeus coetu in magno , quanquam hoſpes , & unus ,
Haud timuit . quin & quemcunque laceſſere quaevis
Eſt auſus procerum ad certamina ; vicit & unus
Ille omnes omni melior certamine . talis
Adfuit uſque viro adjutrix Tritonia Pallas .
Ergo victorem contra Cadmeïa pubes
Exarſitque odiis , redeunti ad caſtra locavit
Inque via inſidias . juvenum delecta latebat
Quinquaginta manus : duo quam duxere magiſtri ;
Maeon Haemonides formaque , & robore divis
Par , atque Autophoni proles durus Lycophontes .
Quos tamen ille omnes ingenti clade peremptos
Fudit humi ; ſolum dimiſit Maeona ſedes
Ad patrias , veritus monſtrata oſtenta deorum .
Talis erat Tydeus ; proles cui nata parente

v. 400.

De-

Deterior pugna, melior ſermone diſerto.
Sic ait. armipotens Diomedes jurgia regis
Erubuitque, auſus nec contra eſt hiſcere quidquam.
At Capaneïades haec dictis dicta reponit.
  Ne mentire, loqui liceat cum vera, Agamemnon.
Noſtro nos longe praeſtamus uterque parenti.
Nos etiam Thebas, dîs freti hortantibus, alti
Et Jovis auxilio, ſeptenis inclyta portis
Moenia, caſtra forent numero cum noſtra minore,
Cepimus: illi autem, conati plurima fruſtra,
Stultitia periere ſua. jam deſine noſtros
Ergo patres ulla nobis praeponere laude.
Haec Sthenelus: contra Diomedes torvus; Amice,
Parce malis, inquit, verbis, tacituſque ſedeto.
Nil opus iraſci, rerum cui ſumma poteſtas,
Martia quod populos Agamemnon urget in arma.
Hunc decus eximium laudis, nomenque ſequetur,
Moenia ſi fortes capient Neptunia Graji:
Hunc contra luctus, ſi res male cedet Achivis.
Verum age belligero demus jam fraena furori.
  Sic ait; & curru ſaltum dedit acer ab alto;
Horrendumque humeros, tergumque & pectora circum
Arma duci ſonuere; metu perculſus & audax
Ut poſſet vir corda quati, & palleſcere vultum.
  Ac veluti Zephyro denſi reſonantia contra
Litora cum ſe urgent fluctus; conſurgit ab alto
Unda ſalo, magno dehinc terrae alliſa tumultu
Infremit, ac ſcopulos, & procurrentia circum
Saxa tumet: canamque ſinu ſpumam exſpuit alto:
Sic denſae Danaûm ſe dura in praelia turmae
Urgebant. dux quoſque ſuus regit: agmine miles
It tacito; ceu nulla cavo ſub pectore cuiquam

v. 430.

Vox foret ; elinguem dicas audire jubentum
Imperia , & regum vultuſque , & dicta vereri .
Sic hoſtem contra magno ſe Argiva juventus
Fert greſſu : horreſcit ſtrictis ſeges aerea telis ,
Et vario armorum campus fulgore coruſcat .

Dardanidae contra (quales , mulctralia circum
Divitis in domini ſeptis , denſo omnia complent
Lanigerae pecudes balatu , cum procul altis
Agnorum e ſtabulis moeſtam audivere querelam)
Ad pugnam denſi vaſto clamore ruebant .
Nec ſimilis clamor , nec vox ſonat omnibus una :
Lingua ſed ingenti varians confuſa tumultu .
Quippe alii venere alia e regione vocati .

Trojugenas Mavors , Grajos Tritonia Pallas
Incitat . hos circum Terrorque , Pavorque feruntur ,
Horrendumque furens torvi Diſcordia Martis
Et ſoror , & comes ; attolit quae parva ſub auras
Paullatim ſeſe primo , dehinc ardua campis
Ingreditur , caelum & ſublimi vertice pulſat .
Haec & tum , curſans media inter milia , ſaevas
Exacuitque iras , gemituſque incendit acerbos .

Jamque adeo rapidis vadentes paſſibus ambae
Concurrere acies , clypeique , haſtaeque , virique
Aere humeros tecti confligunt , ſcutaque ſcutis
Pulſa tonant ; magno circum ſonat aura fragore .
Caedentum laetus clamor , moeſtuſque cadentum
Auditur paſſim gemitus ; perfuſa cruore
Arma fluunt ; largo madefacta eſt ſanguine tellus .
Ac velut hiberni celſis de montibus amnes
Cum duo praecipiti ſeſe per confraga curſu
Devolvere cavum ſubjectae vallis in alveum ,
Adverſiſque fremunt undis ; exterritus audit

v. 455.

Hor-

Horrificum paſtor ſumma de rupe fragorem:
Sic Danaûm, Troumque acies miſcentur in unum,
Confuſoque ſonant luctuſque, minaeque tumultu.
Primus ibi primam ante aciem ſaevum ferit haſta
Antilochus vibrante Thalyſiaden Echepolum,
Et conum galeae diffuſo crine comantis
Diffidit; at cuſpis frontem defigitur alte
In mediam. olli oculos nigrae involvere tenebrae,
Aëriaeque modo turris collapſus in arma
Concidit: ingenti concuſſa eſt pondere tellus.
Quem ſuper accurrit magnorum ductor Abantum
Chalcodontiades Elephenor, pulchra potiri
Arma viri & cupiens, pedibus citus arripit, extra
Tela trahens; miſerum primo at ſpes luſit in orſu.
Nam raptat dum membra alacer frigentia terrae
Acclinis, clypeo nudum latus ecce remoto
Oſtendit: ferro praefixum robur acuto
Quo fortis defixit Agenor, membraque leto
Solvit, humi exanimem ſternens. tum ſaeva jacentem eſt
Pugna ſuper Danaûm, Troumque coorta. Luporum
More acres laniant ſeſe, alterniſque cruentant
Vulneribus. Primo vernantem flore juventae
Anthemioniaden ſternit Simoiſion Ajax.
Hunc olim, redit irrigua dum mater ab Ida,
Quo, viſura pecus, fuerat comitata parentes,
Propter aquam in ripa Simoëntis lucis in oras
Edidit: hinc puero nomen fecere vocantes.
Infelix! non ille vicem patrive referre,
Aut matri potuit, primo ſublatus in aevo.
Telum etenim in pectus venienti magnus adegit
Fulmineum dextram ad mammam Telamonius Ajax,
Perfoditque humerum ferrata cuſpide; pronus

Homer. v. 482.

Ille cadit, ſtratuſque immundo in pulvere leto
Occubat. Ad ripam ſtagni ut prognata liquentis
Populus enodi trunco, celſoque virentes
Fronde nova ad caelum fundens in vertice ramos:
Quam faber, apta parans ingenti orbilia curru,
Fulgente aggreſſus ferro ſuccidit: ad undam
Illa jacet vitaque carens, & frondis honore:
Sic juvenem ſtravitque Ajax, atque exuit armis.
  Aſt hunc Priamides telo petit Antiphus acto
Eminus e turba; ſed, dextra errante, ſodalem
Magnanimi Laërtiadae ferit haſta, ſub imo,
Leucum, ventre, manu exanimum male cautus utraque
Dum trahere inſtabat corpus. frigenſque cadaver
Excidit e manibus, moribundo corpore & ipſe
Corruit, atque eadem largo rigat arva cruore.
  Tum vero immanes Ithacae rex arſit in iras,
Perque viros, perque arma ruit fulgente coruſcus
Aere, ipſis Troum dum ſe prope miſcuit audax
Ordinibus; quaſſatque haſtam, multoque micantes
Igne oculos circum fert turbidus: agmine Troes
Turbato ceſſere, virum ut videre reductâ
Tela manu librare: nec effugit irrita, figit
Haſta nothum Priami ſed Democoonta, paternas
Qui miſer ad ſedes e parva miſſus Abydo
Venerat, armentis illic praefectus equarum.
  Huic Laërtiades, iratus morte ſodalis,
Percuſſit medium ferrata cuſpide tempus,
Fixo aliud quae per tempus trajecta cerebro eſt.
Nigra oculos juveni denſa nox contegit umbra.
Corruit; ingentem ſonitum ſuper arma dedere.
Trojugenum turbata acies, conterritus ipſe
Hector: at Argivi laeto clamore trahuntque
v. 504.

Corpora, in adverſos progreſſi & longius hoſtes
Incurrunt magis atque magis: ſed magnus Apollo,
Pergamea pugnam procul ut ſpectabat ab arce,
Iratus Danais Teucros hortarier inſit.

Ite alacres, ite o, Grajis nec cedite Troes.
Non illis ſaxo, non duro corpora ferro
Conſtant; tela ferant contra ut conjecta, ſecari
Et nequeant, aeris timeant nec robur acuti:
Nec Thetidis pulchrae proles nunc pugnat Achilles;
Sed jacet ad naves, triſtique exaeſtuat ira.

Sic deus e muris acer clamabat: Achivûm
Magna Jovis cuneos gradiens at nata per omnes
Hortaturque aciem, ſtimulatque in bella morantem.

Heic Amarynciden Diorea Parca cruento
Implicuit fato, magno cui fragmine montis
Pirus, qui Aenaeis Thracum dux venit ab oris,
Imbraſides, dextrum crus perculit. aſper & oſſa,
Et nervos penitus rupit lapis: ille ſupinus
Concidit, atque manus ſociis tendebat inermes
Semianimis; Pirus ſuper advolat, atque jacentis
Fraxineo ſaevus tranſverberat ilia telo:
Exta ſolo fluxere; oculis nox ingruit atra.

Huic medium ecce Thoas victori vulnerat haſta
Pectus, & alte imo ferrum in pulmone recondit.
Tum, rapido adveniens curſu, telumque receptat
Haerens, & ſtricto. ventrem ferit enſe: perempti
Nec tamen & ſpoliis potitur. Mavortia pubes
Nam Thracum ſteterat circum, crinita ſupremum
Illa caput, longaſque manu protenderat haſtas.
Ergo virum longe proturbant. fortis, & ingens
Non tamen eſt auſus contra conſiſtere, mortem
Sed vitans retulitque pedem, praedamque reliquit.

Sic duo belligeri ductores, alter Epeus,
Thrax alter, juxta camporum pulvere in atro,
Strati membra ſolo frigentia morte, jacebant.
Corpora multa virûm circum dejecta cruore
Spargebant largo terram. pugna aſpera gliſcit.
Fortia nec quiſquam reprendat facta virorum,
Dura queat ferro ſi non contactus obire
Praelia, ſi longe avertens volitantia tela,
Duceret ipſa manu illaeſum per bella Minerva.
Multi luce illa Troes, Grajique cruento
Nam Phrygiam late ſtraverunt corpore terram.

v. 544.

HOMERI ILIADOS

LIBER QUINTUS.

INterea invictum dura inter praelia robur,
Vimque dedit ſorti indomitam Tritonia Pallas
Tydidae, reges inter ſpectandus Achivos
Ferret ut eximium primae virtutis honorem.
Atque illi clypeuſque ingens umbone rubentem
E medio, ſummoque ardens in vertice caſſis
Aerea fundebat flammam: ſub nocte ſerena
Ceu rubet Oceani lotus canis aeſtifer unda,
Sanguineam jactans ingrato ſidere lucem.
Sic humeros, ſic ille caput fulgore coruſcat
Horrifico; turbamque inter, qua diva ciebat
Bellipotens, ac tela inter denſiſſima fertur.
Idaeus, Phegeuſque, Dares in praelia miſit
Quos genitor, praedives opum, caſtuſque ſacerdos
Vulcani, bello egregios, pugnaeque ſcientes
Omnigenae; curru adverſo venere volantes,
Digreſſi a ſociis. curru hi pernice volabant;
Ipſe pedes contra graditur: nec longius abſunt
Jam ſe inter teli jactu. prior eminus haſtam
Conjecit toto connixus corpore Phegeus.
Illa volat, ſupraque humerum tremebunda ſiniſtrum
Nequidquam ſtridens volucres diverberat auras.
At non in ventos abiit detorta, lacerto
Quam valido miſit contra Tydeïus heros:
Sed venit, atque, ipſas inter defixa papillas,
Adverſi medium crudeli vulnere pectus

v. 19.

Per-

Perforat, & curru moribundum evertit ab alto.
  Deſiluit curru Idaeus, fratremque jacentem,
Turbatoſque oblitus equos, inſtantia vitat
Fata fuga: noctem fugienti offudit opacam,
Et circum denſa juvenem caligine texit
Vulcanus, patri ſervans; viduatus utroque
Ne gnato, luctu ſenior tabeſcat amaro.
Tydides captos bijuges candore nivali
Dat ſociis, vacuumque ad naves ducere currum.
  At vero, ut geminam prolem videre Daretis,
Hunc fugere, hunc multo morientem in ſanguine volvi,
Trojugenae cecidere animis; in pectora cunctis
Inſinuat gelida trepidus formidine terror.
  Interea Martem (nanque is Trojana juvabat
Arma, gravis genti Danaûm deus) obvia Pallas
Aggreditur dictis, & vaſro haec pectore fatur:
  Mars clades hominum, ſaeva Mars caede cruente,
Murorum everſor; ſinimus quin cernere ferro
Troas congreſſos Danais, quos vincere malit
cunque pater; noſque hinc vetitis abſcedimus armis
Actutum, dictoque Jovis paremus uterque,
Dum licet? irarum ſcis quantos pectore fluctus
Neglectus volvat genitor, caeloque minetur
Dejecturum omnes ut caeca in Tartara divos.
  Sic ait; eque acie deceptum callida Martem
Seduxit; placiduſque rigat qua prata Scamander,
Propter aquam viridi riparum in ſede locavit.
  Continuo verſi Troes; cedentibus inſtant
Grajugenae. ſibi quiſque virum dux eligit omni
E numero, leto ſternens. Agamemnonis haſta
Gentis Halizonum ductorem, ad moenia curru
Averſo fugientem Hodium cervice ſub ipſa

v. 93.

Con-

Conſequitur, tergumque volans, & pectora tranſit.
Corruit: arma ſuper magno intonuere fragore.
Boriden Phaeſtum Idomeneus ad bella profectum
Maeonia e pingui, patriaeque ex ubere Tarnes,
Dum trepidat currum ſcandens, tranſverberat haſta
Ad dextrum delata humerum. nox atra cadentem
Occupat: Idomenei famuli, fulgentibus armis
Exutum, foedo camporum in pulvere linquunt.
Strophiades cadit inde Scamandrius, ille ferarum
Vaſtator; ſilvas venatrix diva per omnes
Quem duxit; jaculoque dedit, celerique ſagitta
Figere apros, urſoſque, & quidquid per nemora alta
Unguibus occurrit, vel ſaevo dente timendum.
Infelix! quem nec telis Latonia gaudens,
Nec validi juvere arcus, certaeque ſagittae!
Nanque minor tergo fugientis fixit acutum
Atrides telum in medio, & praecordia rupit
Tranſadigens. cadit: arma ſuper ſonuere cadentem.
Meriones Phereclum manes demittit ad imos,
Harmonidae egregii prolem, quem Pallas amavit,
Daedaleas artes, opera & fabrilia doctum.
Dardanio claſſem Paridi qui ſtruxerat olim
Velivolam, patriaeque ingens, ipſique futuram
Exitium, ignarus divûm quid fata pararent.
Meriones, curſu juvenem, teloque ſecutus,
Transfigit duro lumbos infra ilia ferro.
Ingemit, inque genu flexum ruit: ilicet atram
Offudit ſuper incumbens Mors lurida noctem.
Sternit morte Meges Pedaeum, Antenore cretum
Ignota de matre; viro, quem, dia Theano
Indulgens, tectoque nothum, menſaque recepit;
Atque ſuis miro gnatis aequabat amore.

v. 70.

Illum

Illum Phylides fugientem pone ſecutus,
Haſtam, quâ caput eſt junctum cervice, trementem
Impulit, exegitque viam per vocis, & albos
Per dentes: duro diſſecta eſt vulnere lingua:
Corruit, & lacero frendens telum ore momordit.
Eurypylus Evaemonides Hypſenora dium
Magnanimo genitum Dolopione, ſacra Scamandri
Qui ſtata curabat patrii, divûmque ſacerdos,
Trojugenaſque inter divûm prope cultus honore;
Eurypylus plantis pernicibus igneus illum
Aſſequitur, dextramque humeri cum parte coruſco
Enſe metit; campo jacuit deſecta cruore
Perfundens terram tepido manus: ingruit olli
Nigraque Mors oculis, & ineluctabile Fatum.
  Talia per campos edebant funera, pulſos
Urgentes Teucros alii: Calydonius heros
Incertum qua parte ruat, quaenam arma ſequatur.
Nam ſociis nunc ſe miſcet, nunc hoſtibus ardet
In mediis, turbamque inter, fremitumque, per omnes.
Huc illuc cuneos denſa inter milia fertur.
Amnis ut, hibernis cum rupto e nubibus imbri
Intumuit, ponteſque altos, & ſepta virentum
Riparum evertit veniens, cultiſque potitus
It late victor campis; urgetque, ruitque
Obvia quaeque ſimul raptans, Cerealiaque arva
Turbidus, & magno ſternit vineta fragore:
Sic, heros quacunque viam ſecat, agmina cedunt,
Abſiſtuntque, ruuntque ingenti clade phalanges,
Stare loco nec pulſa uni tot milia poſſunt.
Adſpicit hunc animis, ferroque immane furentem,
Praeque acies urgentem atra formidine verſas,
Pandarus: adduxitque arcum, nervoque ſagittam

Expulit . illa cavi , penna ſublapſa volucri ,
Dextrum juxta humerum venit thoracis ad oram ,
Perque moras omnes vulnus, per ahenea ſepta ,
Certa tulit . longe agnovit thoraca madentem
Sanguine, ſublatoque alacer clamore profatur
Pandarus: Eſte viri , denſique invadite pugnam,
Troes , equûm domitrix pubes , bello inclyta : vulnus ,
Vulnus habet Grajos inter dux optimus omnes ;
Nec , reor, ille diu fixum alte in corpore telum
Perferet ; excitum Lyciae ſi pinguibus arvis
Non fruſtra Iliacam Phaebus me duxit ad urbem .
Talia vociferans jactabat . ſaucius heros ,
Nec tamen & domitus telo , ſecedere paullum
Cogitur ; atque pedem referens, ubi ſtare propinquo
In curru vidit Sthenelum , juga propter, & acres
Conſtitit ad bijugos, dictiſque ita fatur amicis .
Ocyus huc , Capaneïade , fixumque ſodali ,
Siqua viam fortuna regat, de corpore telum
Exime . Deſiluit curru Capaneïus heros ;
Admovitque manum leviter , penituſque latebris
Haerentem eduxit multa vix arte ſagittam .
Atque illi calido perfudit flumine ſanguis
Proſiliens loricae hamos , atque aerea texta .
Tum vero ingemuitque , manuſque ad ſidera tendens ,
Qua fretus , magno divam clamore vocavit :
Nunc nunc , o magni Jovis edita vertice Pallas
Armipotens ; ſiquando mihi , ſiquando parenti ,
Aequa meo ſaevi dubio in certamine Martis
Veniſti auxilio ; meque audi , daque petenti ,
Conjectum ad teli veniens ut ſaucius , haſta
Tranſadigam , qui me incautum praevertit, adacto
Vulnere ; nunc domitum jactat , gaudetque cruore ,

Homer. v. 119.

Diva, meo; nigramque mihi denunciat horam
Inſtare, & clari linquendum lumina ſolis.
  Audiit orantem Pallas; membriſque vigorem,
Invictum manibus robur, celeremque ſequendi
Vim pedibus, mire afflavit: coramque videnda
Adſtitit, & verbis virtutem accendit amicis:
  I, Teucros invade audax, caede agmina ferro,
Tydide; indomitum tibi nanque in pectora robur,
Vimque dedi patriam, Tydeus qua praelia obibat
Horrendumque ſonans clypeo, curruque ſuperbus.
Praeterea, tibi quae mortales denſa tegebat
Dudum oculos, nubem eripui; divoſque, hominesque
Agnoſces. divûm ſiquis te forte laceſſat
Huc veniens, tu parce aliis: imbellis at inter
Arma virûm ſi forte Venus deſcendet; acuto
Ne dubita divam mortalis laedere ferro.
Sic ait: eque oculis tenues abſceſſit in auras.
  Ergo iterum adverſos ductor Calydonius hoſtes
Invadit, calidusque animis, & robore triplo
Auctior. ut, ſaltu caulas, & ovilia tentat
Impaſtus dum plena leo, ſi paſtor inerti
Conſpectum ſtrinxit jaculo, nec vulnus adegit
Altius. ille ſubit, motamque invadit ob iram
Acrior: exſanguis trepida formidine paſtor
Abdidit in latebram ſeſe: torvus leo ſepta
Inſiluit deſerta: metu ſe cogit in arctum
Molle, & acervatim denſat pecus: ipſe cruentam
Abripuit, longeque tulit per devia praedam.
Haud aliter ſaeva Tydides concitus ira
Miſcet ſe Teucris. leto dat protinus acrem
Aſtynoumque, & Hypenora regem. pectus in altum
Condidit huic haſtam veniens: ſtricto metit olli

v. 145.

Enſe

Enſe humerum dorſo abjungens; dehinc torvus Abantem
Magnanimum graditur contra, & fratrem Polyidum,
Eurydamantiadas geminos: queis ſomnia vates
Pandebat genitor; ſed non & fata retexit,
Quae miſeros ſub forti olim Diomede manebant.
Phaenopis hinc prolem, Xanthum, celeremque Thoona,
Aggreditur: curamque patri, luctumque relinquit
Grandaevo, prole amiſſa, cui dulcis adempta eſt
Spes generis, multoque diu quaeſita labore
Res perit, ignotis linquenda heredibus olim.
Tum duo Priamidas fratres, unoque ruentes
In curru, leto dat Echemonaque, Chromiumque.
Ille velut viſam curva in convalle juvencam,
Aut taurum inſiliens, fracta cervice, trementem
Sternit humi ſubito magnus leo; dejicit ambos
Sic alto e curru juvenes, ſpoliataque linquit
Membra ſolo; bijugos, vacuumque ad litora currum
Imperat a ſociis alta in tentoria duci.
  Hunc procul Aeneas trepidas turbare phalanges
Ut vidit, per bella ruit, mediumque fragorem
Haſtarum, oſtendat quaerenti ſicubi ſeſe
Pandarus: invento verbis haec fatur amicis:
  Pandare, quonam arcus tibi nunc, celereſque ſagittae?
Quonam fama ingens abiit? contendere nemo
Qua tibi Trojugenum poſſit; qua vincere nemo
Te Lyciae patriis fertur bellator in oris.
En agedum ſuſtolle manus, &, rege vocato
Caelicolum, contende arcum; telumque volucre,
Quiſquis is eſt, immitte viro, media agmina victor
Qui ſecat, & clades tot jam dedit efferus, ac tot
Fortia crudeli dejecit corpora leto:
Ni deus eſt ſi forte aliquis, qui Troas omiſſa

Propter ſacra premit. dura, & gravis ira deorum eſt.
Haec Anchiſiades: tum contra Pandarus infit:
Magnanime Aenea, Troum dux inclyte, forti
Ille quidem ſimilis Diomedi eſt omnia, longam
Et galeam, & clypeum, & bijugos; nec noſcere pronum eſt
Sitne deus mortali aliquis ſub imagine: ſed ſi,
Quem reor, eſt; aliquis certe deus adſtat, inani
Ille humeros tectus nebula, fatalia praeſens
Ipſe manu qui tela viri pro corpore longe
Amovet, atque alio detorquet flexa. ſagittam
Miſi ego letiferam certe modo; fixaque dextro
Eſt humero penitus trans aerea texta; putabam
Jamque virum ad nigras Orco demittier umbras.
Nec tamen edomui, nec telo exſtinguere peſtem
Hanc potui. votis aliquod male numen amicum
Obſtitit, atque meas luſit ſpes, orſaque vana.
Cominus, ut cupiam, nequeo tamen ire, jugales
Nec mihi enim, nec currus adeſt, quem ſcandere poſſim.
Undenos demens qui currus aede reliqui
In patria pulchroſque, & firmo robore nuper
Compactos: obtenta omnes circumque, ſupraque
Vela tegunt: at equi prope ſtant, & candida pingues
Hordea veſcuntur, floremque ſiliginis almum.
Saepe ſenex, bellique omni catus arte Lycaon
Saeva domo ex alta gradientem ad bella jubebat
Ducere equos, curruque inſtantem in praelia Troas
Hortari: at juſſis renui parere paternis
Stultus, equis parcens; ne, dum concludimur arctis
Moenibus obſeſſi, plena ad praeſepia largo
Adſuetos victu, fruges ac pabula tandem
Deficerent. ergo liqui; ac pedes, atque ſagittis
Adveni Iliacas, arcu & male fretus, ad oras;

v. 205. Ar-

Arma gerens bello nil profectura. petivi
Nanque duo e Graja primores gente, minorem
Atriden, tum deinde iſtum, qui Troia perdit
Agmina, Tydiden. largus de vulnere utrique
Sanguis iit: ſedenim nihil actum. vulnus utrique
Vim magis, ac ſaevos acuit ſub corde furores.
Arcum nempe malis avibus, fatoque ſiniſtro
Pendentem patria diſcedens aede refixi,
Hectoris victus precibus, qua luce meorum
Agmen Dardanias huc coepi ducere ad arces.
At ſi Parca dabit reditum, ſi viſere quondam
Contigerit patriam, thalamumque, Laremque paternum;
Ut caput hoc jaceat procul a cervice reſectum,
Hos ego ni dederim claro arcus igne cremandos,
Ipſe meis frangens manibus; qui ad bella ſecuti
Me fruſtra nullo juverunt ſcilicet uſu.
  Pandarus haec: contra Aeneas cui talia reddit.
Ne vero, ne fare iſtaec: verum ille furoris
Deſinet haud unquam, pariter ni ſcandimus ambo
Currum, & equos, contraque virum procurrimus una.
Quare age fide, meos pigeat nec ſcandere currus,
Trojanos ut equos noſcas; quo turbine campos
Tranent; quam dociles ſe flectant, ſive ſequantur,
Sive fugam, poſcit cum res, quandoque capeſſant.
Hi ſalvos ducent ad moenia, Jupiter obſtet
Si nobis, decus & Diomedi addicere pergat.
Rumpe moras, & lora manu, tortumque flagellum
Tu capito; ipſe hoſtem excipiam: vel, ſi placet, hoſtem
Excipe tu; ipſe manu interea molibor habenas.
  Haec Anchiſiades; at Pandarus: Ipſe teneto
Lora, inquit, bijugoſque tuos tu flecte. prementem
Si vitare fuga forte uſus venerit hoſtem,

v. 231.

Notus ages melius notos auriga jugales :
Ne, ſi forte aliqua trepident formidine, campis
Ire vagi temere incipiant ; renuantque periclo
Eripere avectos, tua ſi vox deſit : at acer
Tydides leto adveniens demittat acerbo
Nos ; & equos victor celſa ad tentoria ducat.
Ergo tuos melior ſolerti pectore currus
Ipſe rege : hunc at ego excipiam, cum venerit, haſta.
  Haec fati ſcandunt currum ; pugnaeque parati,
Alipedes curſu rapido immiſere jugales.
  Hos Capaneïades Sthenelus viditque ruentes,
Compellanſque citis Diomedem vocibus, infit :
  Tydide, ante alios omnes mihi care ſodales,
Ecce duos forteſque animis, & corpore magnos
Huc ſe ferre viros video, pugnamque parare.
Pandarus eſt alter genitore Lycaone cretus,
Fatifero praeſtans arcu ; Mavortius alter
At, formoſa Venus quem magnanimo Anchiſae
Edidit, Aeneas. retro nunc flectere paullum
Praeſtat equos ; primam nimium ne ſtrenuus, oro,
Ante aciem exſulta, dulcem nec prodige vitam.
  Haec ſantem fortis Diomedes lumine torvo
Adſpiciens : Ne vero, inquit, ne perge profecto
Hortari fruſtra, dem terga ut territus hoſti.
Turpe referre pedem pugnanti, turpe timere
Eſt mihi. nondum etiam vires liquere labore
Defeſſum, ſed ineſt integro in corpore robur
Indomitum, curruſque piget conſcendere. contra
Obvius ibo ultro : nil me Tritonia Pallas
Nanque timere ſinit. veniant, pugnentque ; ſed ambos
Haud certe alipedum referet fuga ; ſi modo & unus
Fugerit, atque meam felix vitaverit haſtam.

v. 258.

Prae-

Praeterea hoc addam; tu fac ſub pectore condas
Dicta memor. mihi ſi conſultrix forte Minerva
Annuat amborum ſpoliis clareſcere opimis,
Ipſe tuos feſtinus equos heic ſiſte, rotarum
Orbibus adductas religans non ſegnis habenas;
Et celer Aeneae currus forti arripe dextra,
Verte & equos longe a Teucris, & pellito Achivûm
In cuneos. creti, nec vana eſt fama, feruntur
Illorum de gente, olim quos ab Jove ſummo
Tros tulit, abrepti pretium Ganimedis, ab ortu
Solis ad occaſum praeſtantes omnibus. horum
Anchiſes clara ſibi ſex de ſtirpe paraſſe
Fertur equos, auſus clam Laomedonte volucres
Subdere equas furto. pullos ſibi quattuor ipſe
Juſſit ali ſenior plena ad praeſepia, forti
Tradidit at geminos agitare in praelia nato.
Quos capere annuerint ſi dì, nos magna ſequetur
Gloria, & ad ſeros maneat quae fama nepotes.
  Haec illi alternis inter ſe verba ferebant.
Interea rapido propior ſonat ungula curſu,
Adventantque, adſuntque hoſtes. tum Pandarus, haſtam
Immanem librans, Diomedi talia fatur:
  Magnanimi proles bello fortiſſima Tydei,
Vivis adhuc: fruſtra petii te nempe ſagitta.
Nunc haſta experiar poſſim ſi mittere ad umbras.
  Dixit & ingentem magna vi conjicit haſtam;
Qua gravis inſonuit clypeus; tum ferrea cuſpis
Intro illapſa cavas venit thoracis ad oras.
Voce Lycaonius magna tum protinus heros
Clamat: Vulnus habes, venitque ſub ilia ferrum;
Quod tibi fata, mihi laudem feret ocyus amplam.
  Tydides contra, vaſto nil territus ictu:

Erraſti; dextrae deus abſuit; irrita jactas
Vulnera. ſed vobis pugnae non ante cruentae
Finis erit, telo quam fixus uterque, vel alter
Morte ferum, & largo ſatiarit ſanguine Martem.
Sic ait, intorſitque haſtam; quam magna volantem
Direxitque manu Pallas, narique ſub ipſum
Fixam oculum, dentes trans albos egit. ahena
Extremam cuſpis linguam ſecat, exit & imo
Gutturis ad fines immani vulnere mento.
Volvitur e curru praeceps: ingentia caſu
Arma gravi ſonuere ſuper: timuere fragore
Turbati ſubito alipedes: vomit ille cruorem
Stratus humi; exſanguem vireſque, & vita reliquit.
Emicat Aeneas, clypeumque, haſtamque trementem
Quaſſat, multa timens caſſum ne lumine corpus
Forte trahant Danai ad ſeſe: ſtratumque, leoni
Adſimilis, multa fretus virtute cadaver
Circuit; atque, adeat ſi quiſquam, fata minatur
Horrendum clamans. ſaxum at circumſpicit ingens,
Attollitque manu magna Tydeïus heros:
Saxum immane, viri quod nunc duo tollere terra
Haud poſſent; heros torquebat ſolus in hoſtem:
Elatumque leves magno ſtridore per auras
Impulit. ad coxam venit lapis improbus, illuc,
Coxae ubi ſe inſertum verſat femur; oſſaque, & ambos
Diſrupit nervos lacera cute: lapſus at ille
Genua ſolo poſuit, dextraque innixus in ipſam eſt
Pronus humum: tenebris nigreſcunt omnia circum.
Illa dies adeo ductori extrema fuiſſet
Dardanio: ſedenim mater dea, nata ſupremi
Pulchra Jovis, magno Idaeis quae in ſaltubus illum
Anchiſae genuit; ſenſitque, exterrita caſu

v. 313.

Et tanto, niveis gnatum eſt complexa lacertis;
Praeque ſinum pepli tendens, tela omnia contra
Diva ſuam texit ſobolem, ne ſorte jacenti
Duro aliquis Danaûm praecordia rumperet aere.
Illa quidem dulcem triſti ſubducere pugnae
Feſtinat gnatum. Interea Capaneïa proles
Mente alacri cari peragit mandata ſodalis.
Ergo ſuos abducit equos; ſiſtitque rotarum
Orbibus adductas religans non ſegnis habenas:
Inde citus bijugos Aeneae pulchra comantes
Avertit longe a Teucris, atque egit Achivûm
In cuneos: tum Deipylo dedit, omnibus unum
Quem mire in ſociis dilexit, moribus, omni
Et ſtudio unanimum, ad curvas agere inde carinas.
Ipſe ſuos conſcendit equos, & cepit habenas
Impiger, ac celerem Diomedi, pone ſecutus,
Admovit currum. Venerem qui ſaevus acuto
Appetiit telo procurrens. nanque ſciebat,
Enervem eſſe deam, ſine viribus, atque cruentae
Exſortem pugnae, nec quae regat horrida bella,
Pallas ut, aut Bellona, urbes vaſtare ſuperbas
Sueta manu. ergo, illam media inter tela ſecutus,
Protenditque haſtam, ſummamque invaſit acuto
Aere manum. haſta volam tetigit propulſa, deaeque
Ambroſium rupit peplum; quod ſcilicet olli
Formoſis Charites manibus fecere; cutimque
Lambens exiguo perſtrinxit vulnere. ſanguis
Aetherius pulchro fluxit de corpore; divûm
Qualis nempe fluit tenui de corpore ſanguis
Albidus. haud etenim Cereris, vel dona Lyaei
Veſcuntur. vero idcirco ſine ſanguine vivunt,
Nullo feſſi aevo, ſenioque, & morte carentes.

Homer. v. 342.

Laeſa manum telo, gnatum dea projicit, altos
Moeſta ciens queſtus; projectum Phoebus Apollo,
Ipſe ſuis manibus rapiens, longe abſtulit atra
Obſcurum in nebula; ferro ne in pectus adacto
Dulci aliquis regem ſpoliaret lumine vitae.
At Venerem interea Diomedes increpat audax
Voce tonans magna: Bellumque, & praelia linque,
Nata Jovis. generi non vafras nectere fraudes
Foemineo ſatis eſt; imbelleſque arte puellas
Decipere imbelli? parce o te fortibus ultra
Immiſcere armis, gravius ne paſſa quid, ipſum
Horreſcas belli nomen, ſi forte per aures
Iverit, auditum longe. Sic turbidus heros
Increpat. Illa, animi dejecta, & vulnus acerbum
Flens, abiit. quam lapſa altis de nubibus Iris
Apprenditque manu miſerans, turbaque gementem
E media eduxit. roſeo ſpectanda colore
Pulchra cutis maculis livorem duxerat atris.
Ut pugna exceſſit, Martem dea nacta ſedentem eſt
Bellantum ad laevam; (juxta in caligine denſa
Haſta dei, curruſque ingens, bijugique latebant)
Et ſupplex, genua amplectens, genibuſque volutans,
Orat equos fratrem; lacrimiſque haec fatur obortis:
Affer opem, frater, miſerae; nec ſperne ſororem;
Daque tuos tantiſper equos, queis utar Olympum
Aſcenſura deûm ad ſedes. nam vulnere ſaevo
Angor, mortalis quo me vir vulnere laeſit,
Tydides. ipſum qui, credo, hominumque, deûmque
Haud dubitet ſaevus jam patrem invadere ferro.
Sic ait. inſignes phaleris, auroque coruſcos
Mars dat equos. curru ſedit Venus. Iris eodem
Scandit, & arreptas manibus molitur habenas;

v. 365. Ver-

Verbere dehinc monuit bijugos . rapuere volentes
Currum illi aërias trans nubes , altaque divûm
Ad tecta , & celſi venere ad culmen Olympi.
  Curru heic ſolvit equos Iris , pinguiſque ſolutis
Ambroſiae apponit manibus caeleſtia plenis
Pabula . moeſta ſuae ſe matris diva Diones
In genua abjecit flentem Venus . illa gementem
Excepit ; niveis gnatam & complexa lacertis
Mulcebatque manu , tremefacto & corde rogabat :
  Dulcis nata , deûm tibi quiſnam talia ſaevus,
Deprenſae veluti manifeſto in crimine, fecit ?
  Cui Venus : O mater, Diomedes ille ſuperbus,
Progenies Tydei veſana , atque impia , vulnus
Intulit heu miſerae , gnatum ſubducere pugnae
Dum cupio Aeneam , quo nil mihi carius uſquam eſt .
Non Troas contra nam gens jam pugnat Achaea ,
Sed fera cum magnis exercet praelia divis .
  Haec fantem , blanda ſolatur voce Dione :
Dulcis nata , licet mentem dolor anxius urat ,
Fer tamen . humana duros a gente labores
Saepe alii tulimus laedentes mutua divi .
Mars tulit ; implicitum duris cum fortia vinclis
Brachia, Aloidae gemini , Otus , truxque Ephialtes ,
Carcere in aerato vinctum toto amplius anno
Servavere . illic multo & graviora tuliſſet
Perditus aerumna Mavors , ille inclytus armis ;
Mercurio ni rem pandens ex ordine tandem
Narraſſet formoſa omnem Eeriboea noverca .
Is Martem vaſro ſubduxit denique furto
Enectum vinclis , & vix genua aegra trahentem .
Juno etiam tulit ; ingenti cum robore fretus
Amphitryoniades laeva ſub parte papillae

Appetiit divam, fixitque tricuſpide telo.
Paſſus idem Pluto eſt immani corpore; in Orci
Cui foribus natus Jovis idem vulnus adacta
Intulit ex arcu longe fallente ſagitta.
Ille ad tecta deûm, ſummique ad culmen Olympi
Venit multa dolens, humero letalis arundo
Haerebat, crucians animum, ſaevoque dolore
Membra domans. Paeon medicamen mite vocatus
Inſperſit, ſanans periturum, aeterna perire
Quovis preſſa malo ſi poſſent numina, morte.
Sic olim Alcides, nil non patrare malorum
Audax, caelicolas magnos, qui fulgida Olympi
Tecta colunt, ſaevo violabat perditus arcu.
Cui ſimilem iſtum acuit contra te caeſia Pallas.
Demens hoc animo ſecum Tydeïa proles
Nec reputat; divos qui bello cunque laceſſit,
Huic non longa aevi largiri ſtamina Parcas,
Nec ſedes reducem ad patrias poſt bella reverti,
Excipere & genibus gnatos, patremque vocari.
Tydides videat, quantumvis fortis, & illo,
Et te ſecum aliquis ne pugnet fortior, & ne
Continuo exululans Adraſtine Aegialea
Nocte domi famulos miſero plangore cubantes
Excitet, & fortem, nupſit cui virgo, maritum
Deploret, viduos & tempus in omne penates.
  Sic ait; admovitque manus, terſitque cruorem
Ambroſium, atque omnes exemit diva dolores.
  Haec Juno, & Pallas ſpectarunt omnia: riſum
Nec tenuere; Jovem dictis tentare jocoſis
Et coepere. prior quem ſic affata Minerva eſt:
  Pace tua licet hoc genitor, quod mente voluto,
Dicere? pulchra Venus Graja de gente puellam

v. 422.

Vult

Vult aliquam dum more ſuo perpellere, Troas,
Omni quos ſtudio fovet, ut fugitiva ſequatur,
Dumque manu mulcet cunctantem, fibula mollem
Incautae laeſit perſtringens aurea dextram.
Sic ait: at divûm riſit pater atque hominum rex,
Et Venerem vocat ad ſeſe, dehinc talia fatur.
Nil tibi cum bello eſt, mea gnata, & fortibus armis.
Tu molles thalamos, laeta & connubia cura;
Arma ferus tractet Mars, & Tritonia Pallas.
Haec inter ſeſe dî celſa in ſede loquuntur.
Acer at indomito Diomedes marte premebat
Aenean; dextra ingenti quem Phoebus Apollo
Protegit. ille, deum haud veritus, magis & magis inſtat,
Ac vita ſpoliare virum feſtinat, & armis.
Ter ſaevus ferro contra irruit: ipſe ruenti
Ter dextra clypeum fulgentem torvus Apollo
Reppulit. at, quartum magna cum turbidus ira
Inſiluit, voce increpitum ſic terruit altum
Inclamans, diroque jubens deſiſtere coepto.
Parce auſu, veſane; pedem refer, atque deorum
Ne gere te ſimilem tumefacto corde: virûm gens
Reptat humi; ſuperi colimus caeleſtia templa.
Sic ait ille. gradum abſiliens retro tulit heros;
Atque ſagittiferi vitavit numinis iram.
At Deus Aeneam turbaque exemit Achiva,
Pergameaque locans raptum deponit in arce,
Stant ubi pulchra deo, ſacriſque calentia templa.
Aeneam Latona parens, & laeta ſagittis
Exceptum ſacra curabat in aede Diana.
Arcitenens tenuem Aeneae ſine corpore formam
Ipſe ſuis finxit manibus, vultuque habituque
Aſſimilem verae, & cinctam fulgentibus armis.

v. 450.

Quam circum Troes glomerati, Argivaque pubes
Caedebant clypeos, parmaſque horrentibus haſtis.
Interea his Martem verbis compellat Apollo.
Mars clades hominum, multa Mars caede cruente,
Murorum everſor, nunquam ne abſiſtere pugna
Tydiden coges? nunquam diro obvia regi
Arma feres? pugnare Jovi qui jam efferus ipſi
Audeat; & Veneris violavit vulnere dextram;
Irruit & ſaeva me contra turbidus ira.
Haec fatus, liquit pugnas, inque arce reſedit
Pergamea. Troum cuneos Mars torvus obibat,
Atque ducem Thracum referens Achamanta, morantes
Priamidas ciet, ac praeſens accendit in hoſtem.
Priamidae magni, genus alto a ſanguine divûm,
Quo veſtram caedi pubem uſque ſinetis Achivis?
Anne fugax urbis portas dum pugnet ad ipſas?
Vir jacet, ipſe Hector quem non praeſtabat honore,
Magnanimo Anchiſae mater quem diva creavit.
Hunc, agite, e medio mecum ſervate tumultu.
Sic ait; atque animos acres, vimque omnibus addit.
Tunc his increpuit Sarpedon Hectora dictis:
Hector, quo robur, quo vis tibi priſtina fugit?
Dicebas olim, ſolum te velle, ſine ullo
Aut cive, aut ſocio, fratrum, generûmque caterva
Stipatum, Grajis urbem defendere ab armis.
Quorum ego de numero, ſpectans circum omnia, nullum
Pugnantem video. ceſſant, trepidantque, leonem
Ut circa imbelles catuli. pugnamus in hoſtem
Soli, qui ſocia Iliacis conjunximus arma.
Nanque ego Trojanam longe auxiliaris ad urbem
Adveni. procul hinc, rapido quam flumine Xantus
Perluit, eſt Lyciae dives pingui ubere tellus.

v. 479.

Illic

Illic uxoremque meam, natumque reliqui
Infantem, conferta omni & penetralia gaza:
Attamen heic hortorque meos, ſumque ipſe paratus
Cominus ire viro, quanquam intra moenia Trojae
Nil habeo, quod ferre queant, vel ducere Graji.
Tu contra, ſtaſque ipſe, tuam nec ductor in arma
Saltem acuis pubem, gnatiſque hortare, larique
Ferre ſuo auxilium; duris ne more ferarum
Caſſibus implicitos, praedam, & ludibria Graji
Vos faciant, & veſtra ſolo jam moenia vertant.
Haec te mente decet noctes verſare, dieſque;
Et precibus ſocios blandis ambire, labori
Ne duro parcant; concordi & moenia niſu
Ut poſitis pergant odiis, rixaque tueri.
  Talia Sarpedon. dictis perſtrictus amaris
Indoluit, curruque in terram deſilit Hector,
Atque manu criſpans praefixo haſtilia ferro,
Hac illac celeri pede curſat flammeus omnes
Per cuneos, paſſimque acres hortatibus iras
Suſcitat, ac pugnae mentes incendit amore.
Continuo firmantque aciem, converſaque in hoſtem
Arma ferunt denſi. quos contra Argiva juventus
Denſa manet, nec terga fugae conterrita vertit.
Ac veluti ſtipulaſque leves, culmoſque volantes
Flabra ferunt, fortes jaciunt cum trita coloni
In ventos frumenta, Ceres & flava ſolutam
Secernit frugem paleis; denſo area circum
Sacra acere, & vacuis ingens albeſcit ariſtis:
Haud aliter Grajae ſublato pulvere turmae
Albeſcunt, crebro quem ſuſcitat ungula pulſu
In mediis, caeli undantem ſub caerula, poſtquam
Convertere aciem, flexitque auriga jugales.

v. 505.

Illi inter ſeſe collata praelia dextra
Exercent : denſa pugnam caligine Mavors
Involvit, Troaſque juvans obit agmina ; Phoebi
Mandata & peragit, Phrygias qui juſſit in arma,
Ut pugna eſt Pallas digreſſa, urgere phalanges.
Phoebus at Aeneam ſacris ad bella remittit
Ex adytis, firmumque viro per membra vigorem
Indidit adſpirans. ſocios, mora nulla, reviſit,
Ac ſtetit in mediis bellator. gaudia laetam
Complerunt cunctis mentem, vivumque, vigentemque
Ut videre ; nihil ſcitari at dura ſinebat
Pugna, laborque, aciem quo exercet Phoebus Apollo,
Marſque ferus, diroque furens Diſcordia bello.
Nec minus & Danaos adverſa ex parte ciebant
Ad pugnam gemini Ajaces, & fortis Ulyſſes,
Exſultanſque animis Tydides. agmine facto
Illi non Troum vires, non dira frementum,
Clamorem horrificum metuebant : ſed, pede preſſo,
Hoſtem exſpectabant. Ceu nubes caerula in altis
Montibus, aërio caelum qui vertice tangunt,
Tranquilla ſtatuit quam tempeſtate deûm rex
Immotam ; Boreas dum turbidus, & ſilet omnis
Ventorum turba, immani qui turbine opacas
Diſcerpunt late nubes, ſtriduntque per auras :
Sic Danai Teucros adverſa ex parte ruentes
Imperturbata conferti mente manebant.
It celer hac illac, turmaſque hortatur Atrides.
Eſte viri, patrium, ſocii, nunc promite robur,
Nunc animos, pudeatque fugae dare terga. virorum,
Quos pudet, incolumis multo pars maxima ſaevi
Evadit caſus belli. non gloria, non vis
Ulla viro eſt, cum terga dedit, poſuitque pudorem.

v. 532.

Dixit

Dixit, & adverſos telum jacit acer in hoſtes;
Aeneae ſocium quo Deicoonta peremit
Pergaſiden, ipſis multò quem Troes honore
Aequabant Priami natis, interritus ultro
Quod primam ante aciem pugnator in arma ruebat.
Huic gravis ingentem clypeum ferit haſta; nec umbo
Suſtinuit. medium tranſverberat aerea cuſpis,
Perque moras baltei ventrem pervadit in imum.
Membra ruunt collapſa: ſonum ſuper arma dedere.
  Tum geminos premit Aeneas, duo lumina Grajûm,
Morte Dioclidas Crethonaque, Orſilochumque;
Dives opum genitor queis Pherae celſa colebat
Moenia ab Alpheo prognatus flumine, late
Qui Pylios pulchro campos interluit amne.
Orſilochum Alpheus regem, Orſilochuſque Dioclem
Magnanimum genuit. Chreton hinc natus, & una
Orſilochus, clari bello, Martiſque periti
Omnigeni; primo vernantes flore juventae
Qui curvis Phrygium litus petiere carinis,
Argivam laeti claſſem, geminoſque ſecuti
Atridas. celſis Trojae ſub moenibus atra
Mors juvenes rapuit, triſti & ſuperobruit umbra.
Ut gemini, aërio mater quos vertice montis
Eduxit quondam denſa inter luſtra, leones;
Illi armenta boum praedantes magna, gregeſque
Lanigeri pingues pecoris, ſtabula alta peragrant,
Et paſſim horrendas dant caedes; donec & ipſi,
Sub manibus domiti juvenum, praeſepia ad alta
Conciderunt, ferro confoſſi pectus acuto.
Haud aliter dextra Aeneae fratres duo celſis
Abietibus ſimiles planxerunt corpore terram.
  Hos ubi proſtratos immani vulnere vidit,

Homer. v. 560.

Provolat ante aciem Menelaus, & aere coruſco
Fulgens ingentem quatit haſtam. quippe ciebat
Ipſe virum ſtimulis Mavors haud mollibus, actum
Aeneae cupiens manibus demittere ad Orcum.
Hunc procul Antilochus vidit, Neleïa proles,
Ante aciem & primam volat ocyus impiger, ipſi
Atridae metuens; tum ne victoria Grajûm,
Omnis & in ventos fuſus labor iret inanes.
Illi haſtas inter ſeſe pugnare parati
Contulerant, propius Menelaum conſtitit acer
Antilochus. quamvis animis, ac robore praeſtans,
Aeneas retro greſſum tulit, ut ſibi vidit
Uni inſtare anceps gemino certamen ab hoſte.
Ergo ſtrata ſolo fratrum duo corpora turbam
Ad Danaûm traxere viri, nigroque cruore
Foeda manus inter ſociis poſuere: relictae
Ipſi ambo redeunt rurſum in certamina pugnae.
 Paphlagonum heic gentis ductorem ſaevus, & ipſi
Par Marti, ſtantem in curru & per denſa ruentem
Tela, Pylaemenea Atrides mactat Menelaus;
Extremum & fixa ad jugulum tranſverberat haſta.
Aurigae Antilochus ſaxo ſtridente Mydoni
Frangit Atymniadae cubitum, dum cautus ab hoſte
Vertit equos. longe ad terram candentia pulchro
Fraena ebore huic manibus cecidere excuſſa cruentis.
Advolat Antilochus, ſtricto & cava tempora ferro
Trajicit. e curru moribundus volvitur ille
In caput, inque humeros, reſupino & corpore ſpiſſa
Dulcem animam exhalans haeſit defixus arena;
Donec equi impulſum ſtraverunt pulvere in alto.
Quos celer arripuitque manu, tortoque flagello
Inſtans in medios Nelides egit Achivos.

v. 588.

Con-

Conſpicit hos longe denſa inter milia ſaevus
Hector, & horrendum clamans volat ocyus. una
Trojugenum celerant vaſto clamore phalanges;
Quos praeeunt magno Mavors, Bellonaque greſſu.
Immanem pugnae geſtat Bellona tumultum;
Ingentem gradiens dextra Mars concutit haſtam;
Et nunc pone ſubit, nunc Hectora turbidus anteit.
Hunc ubi conſpexit Diomedes tendere contra,
Palluit, atque omnes conterritus horruit artus.
Ut rudis ingentes campos, latamque virentum
Planitiem arvorum permenſus forte viator,
Venit ubi ad ripam, violento gurgite magnus
In mare qua ſalſum ruit amnis: rauca frementem,
Albentemque videns late ſpumantibus undis,
Haeret inops animi ſubito; metuenſque pericli,
Unde abiit, retro ſua per veſtigia fertur:
Sic retro greſſum tulit heros; atque ita fatur:
O ſocii, qualis venit Hector! quam ferus haſtam
Quaſſat! nec mirum; cui ſemper ſcilicet adſtat
Divûm aliquis lateri fidus comes, & procul arcet
Praeſens fata. viri mortalis nunc quoque Mavors
Atque os atque habitum ſimulans comitatur euntem.
Frontem ergo in Teucros converſi, cedite retro
Uſque tamen; mentem cuiquam nec dira cupido
Incitet aeternos contra contendere divos.
Sic ait: at Trojana phalanx magis uſque propinquat.
Tum geminos uno in curru per tela ruentes,
Anchialum telo, atque Meneſthen dejicit Hector.
Quos ubi proſtratos vidit Telamonius Ajax,
Procurritque furens, magnam & vi conjicit haſtam,
Et ferit Amphium Selagi prolem, alta colebat
Moenia qui Paeſi; rerum nec copia deerat

Omnis, & immenſae complebant horrea meſſes:
Parca tamen miſerum Trojana ad moenia duxit,
Auxilium regi Priamo, gnatiſque ferentem.
Hunc haſta medium, teritur qua balteus alvo,
Aerata longe figit Telamonius heros,
Imaque vibranti tranſverberat ilia telo.
Corruit; arma ſuper ſonuerunt. advolat Ajax,
Armis ille virum cupiens ſpoliare jacentem.
At Trojana phalanx magnis clamoribus inſtans
Spicula torquet acuta, micantia: devia partim
In ventos abeunt, partim ſemptemplice pulſa
Dant ſonitum clypeo ingentem. preſſo pede ſupra
Exanimum ille haſtam recipit celer: haud tamen arma
Detrahere ex humeris potuit: ſic undique telis
Obruitur, metuitque viros denſo agmine ſoli
Inſtantes, longiſque ruentes cominus haſtis.
Hi magnum, validumque, recenti & caede ſuperbum
Avertere: tulit pulſus veſtigia retro.
Sic labor hos duri ſaeva inter praelia belli
Exercet. magnum interea cretum Hercule magno
Tlepolemum triſtis dium in Sarpedona Parca
Impulit. adverſis hi poſtquam ex agmine telis
Proceſſere; nepos Jovis alter, filius alter,
Tlepolemus prior haec veſano pectore fatur.
Sarpedon Lyciae dux gentis, quid te opus inter
Arma virûm trepidare imbellem? nam, Jove qui te
Progenitum perhibent a ſummo, falſa loquuntur.
Deterior multo es nempe illis, quos Jove natos
Priſca virûm heroas non fruſtra credidit aetas.
Qualem fama refert Alciden, quo mihi naſci
Patre datum, fidentem animi, pectuſque leoni
Intrepido aſſimilem; ſenis qui navibus olim

v. 640.

Huc vectus, parvaque manu, fundo eruit urbem,
Vaſtavitque vias late, perjurus equorum
Laomedon armenta viro quod pacta negarat.
At tibi nec praeſens animus, ſub pectore quidquam
Nec verae virtutis ineſt, pereuntque phalanges
Nequidquam e Lycia ductae; nec te reor ullo
Pugnantem auxilio Teucris ſore; non, tibi triplo,
Quam quod ineſt, majus ſi ad praelia robur ineſſet.
Nanque mea domitus dextra mittere ſub Orcum.
  Haec ille: at contra Sarpedon talibus inſit:
Tlepoleme, ille urbem vertit, quam perdidit ipſe
Laomedon, bene qui meritum veſanus acerbis
Increpuit dictis, nec equos dedit, orbe profectus
Longinquo in Phrygiam quos propter venerat heros.
At tibi nunc vulnuſque a me, letumque paratum
Eſſe ajo. hoc domitus telo, magnam mihi laudem
Victori, aſt animam triſti dabis ocyus Orco.
  Haec ubi dicta, manu extollens contorſit uterque
Fraxineam totis connixus viribus haſtam.
Haſtae una ingenti fugiunt ſtridore per auras.
Sarpedon jugulo telum defigit in ipſo,
Et mediam rumpit cervicem cuſpide ahena.
Transfoſſo nox denſa oculos nigra tegit umbra.
Tlepolemus laevum petiit ſemur. aerea cuſpis
Acta intus duris infixa eſt oſſibus: at rex
Caelicolum gnato mortem pater arcuit atram.
  Haud mora, divinum e mediis Sarpedona telis
Sublatum manibus moerenti corde ferebant
Affuſi circum ſocii. gravis haſta dolore
Immani miſerum premit alto in vulnere fixa,
Dum trahitur; mentem cui nemo advertit, acutum
Ulli cura fuit nec telum evellere pendens

v. 665. A ſe-

A femore, inſtanti Grajûm ſubducere turbae
Dum properant regem trepidi, atque imponere curru.
  Parte alia exanimem pubes Argiva ferebat
Tlepolemum. Haec fortis non longe vidit Ulyſſes,
Ac ſocium miſerans immani exaeſtuat ira;
Anxius ac ſecum verſat ſub corde, ſecutus
Num Jovis altiſoni prolem tranſverberet haſta,
Multa neci an Lyciae pubis det corpora. verum
Non erat in fatis olli Sarpedona leto
Sternere; & ipſa virum conſultrix magna Minerva
Impulit in Lycias praeſenti numine turmas.
Coeranon ergo neci dat, Alaſtoraque, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytaninque,
Adderet his alios; at flammeus ingruit Hector,
Et, primam ante aciem procurrens aere coruſcus,
Terruit adſpectu Danaos. laetatus amici
Quem ſubito adventu Sarpedon talibus ultro
Compellat verbis, atque ore affatur anhelo:
  Priamide, heic Danais praedam ne linque ſodalem,
Sed fer opem, veſtra raptum hoſti linquat in urbe
Ut vita; in patriam quando jam fata reverti
Dura negant, reducem nec me vel filius infans,
Adſpiciet, vel, quam liqui, cariſſima conjux.
  Talia Sarpedon. contra nil Hector, at acer
Praeterit Argivamque ardens depellere pubem,
Eripere & multis aerata cuſpide vitam.
  Avectum longe ſocii Sarpedona, pulchra
Sub Jovis aegiſoni fago poſuere, vetuſto
Acclinem trunco. telum cui fortis ahenum
E femore eduxit Pelagon, fidiſſimus omnes
Inter, qui regem comitati ad bella, ſodales.
Illum omnis ſubito liquit calor, atraque circum

v. 696.

Nox

Nox oculos fuſa eſt laguenti : rurſus at auras
Hauſit ſuſpiciens caelum, tenuemque trahentem
Aegre animam flatu Boreas frigente levavit.
  Argivi Martem interea, ſaevumque timentes
Hectora, nec nigras ad naves verſa pavore
Terga dabant, hoſti nec cominus arma ferebant
Obvia : ſed, poſtquam vulgatum eſt eſſe cruentum
Cum Teucris Martem, cedebant uſque retrorſum.
  Quem primum heic leto, poſtremum aut ſtravit Achivûm,
Armipotens Mavors una, & Priameïus Hector ?
Magnanimum atque parem ſuperis Teuthranta, & Oreſten,
Oenomaum, Oenopidenque Helenum, multoque nitentem
Late auro pictiſque armis te, dives Oresbi;
Boeotum in medio qui pinguia rura colebas,
Semper Hylan habitans lympha Cephiſſide ſeptus,
  Hos ubi conſpexit duro in certamine ſtratos
Juno, confeſtim ſic eſt affata Minervam :
  Pro dolor! altiſoni Jovis inclyta filia; quorſum
Noſtra ibunt promiſſa (olim nam diximus ambae
Atridae Menelao, altae poſt moenia Trojae
Verſa ſolo ad patrias rediturum claſſe Mycenas)
Hoc dirum ſinimus Martem ſi funera pacto
Miſcere, ac ſaevo ceſſamus fraena furori
Injicere? armari tempus, pugnamque ſubire,
Et fortemque animum, validaſque expromere vires.
  Sic ait : at Pallas dictis non abnuit. Ergo
Ipſa ſua feſtina manu Saturnia pulchris
Ornat equos phaleris multo fulgentibus auro.
Aſt Hebe formoſa rotas curru aptat, utrinque
Aeratos octo radios quibus excipit axis
Ferreus. auro ardet curvatum orbile ſuperne
De ſolido. hoc flexo duplex amplectitur aere

v. 725.

La-

Lamina circum obiens, opus admirabile viſu;
Modioli argento candent; radiata coruſco
Argento, mollique auro fulgentia lora
Suſpendunt ſellam; flectit ſeſe anulus orbe
Hanc circum gemino; temo hinc argenteus extra
Procurrit; cui ſummo Hebe feſtina jugumque
Auratum nectens, & vincla jugalia tandem
Adjecit. curru tum Juno ſaeva frementes
Jungit equos, cupiens pugnae ſe inferre tumultu.
  Parte alia Pallas magni ſtellata parentis
Tecta ſubit, peplumque ſolo deponit in aureo,
Ipſa ſibi mira varians quem fecerat arte.
Tum Jovis, obſcuro cogit qui nubila caelo,
Induitur tunicam, bellum ad lacrimabile ſeſe
Diva parans, magnamque humeris ingentibus aptat
Aegida; quam circum pendentibus undique villis
Horrentem, furvis Terror circumvolat alis
Pallidus, & Rixae, Fremituſque, Iraeque, Minaeque.
Gorgonis in medio caput a cervice reſectum
Monſtrum horrendum, ingens, quo nullum ſaevius uſquam
Portentum oſtendit divûm pater, atque hominum rex.
Hinc galeam capiti auratam, criſtaque comantem
Quadrifida imponit, quam centum ex urbibus unam
Structa acies denſis nequeat perfringere telis.
Sic rutilum ſcandit currum dea: corripit haſtam
Inde manu quaſſans ingentem, robore duro
Praevalidam, atque gravi nutantem pondere, magni
Magna Jovis qua gnata domat, ſternitque virorum
Agmina, terribiles quoties exarſit in iras.
  Jamque adeo celeres divûm regina flagello
Admonuit bijugos. caeli cui protinus ambae
Sponte ſua patuere fores. his Jupiter Horas

v. 750.

Prae-

Praefecit, vigiles quae ſervant limina divûm;
Et reſerant, clauduntque polum denſae objice nubis.
Hac iter ingreſſae currus egere volucres;
Atque Jovem nactae ſunt alto in vertice Olympi,
Secretum a divis pacata mente ſedentem.
Quem prope ſiſtit equos tendens retinacula Juno,
Et regem blanda compellat voce, rogatque:
  Rex divûm, atque pater, tam ſaeva, & triſtia facta
Mente vides placida? nec diro iraſcere Marti,
Nil laeſus miſeros foede qui perdit Achivos,
Totque mala & tales abſumit clade phalanges?
Me gravis interea cura, & dolor angit. Apollo,
Atque Venus placidique ſedent, paſcuntque cruenta
Caede oculos, poſtquam dementem in praelia verbis
Exacuere deum, qui nil jus, faſque veretur.
Hunc ego percuſſum ſi pugna excedere cogam,
Iraſcere, pater? Sic fata eſt regia Juno;
  Sic contra caeli rector Saturnius alti:
En age, belligeram veſano immitte Minervam,
Quae ſolita eſt olli duros inferre dolores.
  Jupiter haec. Juno paret, volucreſque flagello
Urget equos: medias illi, mora nulla, per auras
Corripuere viam celeres, caelumque volabant
Aſtriferum, terramque inter. nam tantus equorum eſt
Alipedum ſaltus, vectant qui numina, quantus
Aëria e ſpecula vaſtum eſt proſpectus in aequor.
Verum ubi Trojugenum venere ad moenia, ripas
Et virides, jungunt amnes ubi pulchra fluentes
Hinc Simois, hinc arva rigans foecunda Scamander;
Siſtit equos Juno, curruque abjungit ab aureo,
Et denſam abjunctis nebulam circum undique fundit.
Ambroſiam at Simois pingui e tellure virentem

Homer. v. 774.

Submiſit: laeto riſerunt gramine campi.
Illae autem pavidis ambae inceſſere columbis
Aſſimiles; unaque leves Argiva petebant
Agmina laturae auxilium. dehinc tramite recto
Ut venere illuc, dium circa Diomedem
Stant ubi magnanimi comites, Mavortia pubes,
Viribus, atque animo ſimilis praeſtante leonum,
Aprorum aut turmae per tela adverſa ruentum.
Reſtitit, atque altum clamavit regia Juno,
Stentoris arguti ſimulans dea candida vocem
Indomitam; qui juſſa ferens regalia praeco,
Quinquaginta viris par magna voce ſonabat:
  Non pudet, Argivi ſegnes, timidique, nec ulla
Re, praeter ſpeciem, miri hoſtibus? inter Achilles
Praelia dum fortis verſari dura ſolebat,
Dardanias extra portas procedere Troes
Nunquam auſi; pavido tremefacti corde timebant
Illius at patriis incluſi moenibus haſtam.
Nunc îdem ad curvas pugnant procul urbe carinas.
  Sic ait, ac verbis virtutem incendit amaris.
Tydiden magno feſtinans at cita greſſu
Pallas adit. curru acclinis tum forte quierat
Bellator, vulnus relevans frigentibus auris,
Olli quod Lycius fatali Pandarus arcu
Intulerat. magno clypei nam pondere preſſus
Ingentis, loro ſubter ſudore fluebat,
Languebatque manum feſſus. lorum ergo remorat
Attollens, nigrumque cruorem terſerat heros.
Cum propior curru dea conſtitit, ac juga dextra
Curva tenens, regem his affata eſt vocibus ultro:
  Haud ſimilem Tydeus genuit ſibi robore prolem,
Atque animis; Tydeus, parvo qui corpore, at armis

Acer erāt; pugnae cupidum vel cum ipſa vetarem
Pugnare, ac ſaevo fraenum laxare furori:
Cum ſolus turba comitum ſejunctus ab omni
Thebanos inter proceres ſeſe intulit ultro
Legatus. tunc ipſa virum, conviva ſederet
Ut placidus, monui: verum ille interritus, audax,
Ut prius, indomituſque animi, pubemque vocabat
Cadmeam irritans cuncta in certamina, & omnes,
Nixus ope uſque mea, leviter vincebat. adeſſe
Nunc tibi ego non ceſſo eadem, praeſenſque tueri
Pugnantem, adverſos & contra impellere Teucros:
Sed tibi vel defeſſa labant jam membra labore,
Corda vel ignavus cepit pavor. haud ego cretum
Te reor Oenidae generoſo e ſanguine Tydei.
  Haec ait: haec contra retulit Tydeïa proles.
Noſco equidem te, nata Jovis; cui vera fatebor
Nil celans. ullus nec me pavor, ulla laborum
Toedia nec retinent: memini at tua juſſa; vetabas
Quae me aliis pugnare deis, unamque jubebas
Cyprin, ſi veniens foret obvia, figere ferro.
Ergo pedem huc cedens retuli, ſocioſque retrorſum
Cedentes cogi huc juſſi: namque arma ferentem
Agnovi, & Teucros hortantem ad praelia Martem.
  Huic dea: Tydide, nemo quo carior unus
Eſt mihi, nec Martem, nec tu quemcunque Deorum
De numero metue oblatum. talis tibi diva
Auxilio praeſens adſum. nunc mitte frementes
Primum, age, jam bijugos in Martem, & cominus haſta
Tranſadige inſanumque, malumque, levemque, viciſſim
Nunc has nunc illas gaudentem & linquere partes.
Qui mihi pollicitus, Junonique, arma ſequentem
Argiva exitio Teucris fore, dicta, fidemque

Oblitus Teucros inter nuncpugnat, & haſtam
Argivas contra gaudet quaſſare phalanges.
Sic ait; ac Sthenelum curru detraxit ab alto
Ipſa manu. ceſſit longe conterritus heros:
Illa rotas magnum ſcandit juxta Diomedem,
Ira incenſa; gravi ſub pondere faginus axis
Ingemuit; ſaevamque deam, fortemque ferebat
Quippe virum. manibus Pallas longumque flagellum,
Loraque corripuit, Martique adverſa frementes
Impulit alipedes. Mavors tellure jacentem
Laetus Ocheſiaden Periphanta ingentibus armis
Ingentem ſpolians nudabat. maximus inter
Hic fuit Aetolos, multo & fortiſſimus omnes.
Quem Mars caede madens nudabat: Pallas at Orci
Induerat galeam, Mavors ne cernere poſſet
Tendentem contra, vultuque agnoſcere divam.
Unum ergo agnovit Diomedem; ac protinus illic,
Stravit ubi exanimum, linquens Periphanta jacentem,
Argivum torvo in regem volat efferus ore.
Jamque adeo teli ad jactum venere. reducta
Mars prior aeratam dextra jacit arduus haſtam,
Direxitque jugum ſupra, & fluitantia lora,
Ille virum certae properans demittere morti.
Excepit dextra venientem Pallas, & alto
A curru longe in ventos avertit inanes.
Tum citus ingenti Diomedes irruit haſta,
Ipſa ſua firmans quam Pallas in ilia fixit
Ima manu, teritur ſubter qua balteus alvo.
Hac heros altum rupta cute vulnus adegit;
Inde manu telum retrahit. Mars ſaucius alto
Clamorem horrendum rupit de pectore, quantum
Dena virûm, cum prima ruunt in praelia quondam,

v. 860. Cla-

Clamorem campis dant milia. terruit omnes
Vox Danaos horrenda, & Troas: contremuere
Late belligerae, perculſo corde, phalanges.
Aeſtivus ceu cum vento ſpirante ſub auras
It vapor obſcura denſus caligine; dirum
Sic denſa in nebula ſe caelo attollere Martem,
Cedentem ex oculis, vidit Tydeïus heros.
Ille, ubi ſe primum tecta in ſtellantis Olympi
Intulit, atque Jovem propter conſedit, acerbum
Nudavit moerens vulnus, corpuſque cruore
Oſtendit largo perfuſum, ac talibus infit:
Jupiter haec lentus cernis facta effera; divos
Et pateris pugnare animis diſcordibus, & nil
Non perferre mali parva pro gente virorum?
Te propter gliſcunt haec praelia; tu caput omnis
Es noxae. tibi nam genita eſt demenſque, nocenſque
Filia, quae ſceleris nihil impia linquit inauſum.
Quippe alii tibi dî, colimus qui lucida cunque
Tecta poli, taciti paremus juſſa verentes:
Hanc unam haud unquam facto, dictove coërces;
Sed natae indulges placida pater omnia mente.
Quae nunc Tydiden veſano corde ſuperbum
Impulit, inque deos juſſit pugnare furentem.
Ille manum Veneri percuſſit cominus haſta;
Ille idem inſiluit me contra turbidus: & nunc
Me fuga ni celerem ſervaſſet, nempe jacerem
Multa gemens inter confuſae ſtragis acervos,
Languerem aut penitus duro contuſus ab aere.
Talia dicentem divûm rex torvus acerbis
Increpuit dictis: Ne longa obtunde querela
Me, levis, & nulli fide unquam. quotquot Olympum
Concelebrant, nemo eſt mihi nam te inviſior uno

v. 890.

Inter caelicolas; cui ſemper triſtia cordi
Jurgia ſunt, rixaeque, iraeque, cruentaque bella;
Ingenium qui matris habes immane, ſuperbum,
Indomitum; ſaevis quam ſaepe inceſſere verbis
Cogor, ſiqua animi duram vim denique frangam.
Illius hortatus reor, atque exempla ſecutum,
Iſtaec dura pati. Sedenim te ferre dolores
Amplius haud patiar tantos. nam ſemine cretus
Noſtro es, teque mihi peperit Saturnia. quiſquam
Aſt alius divûm caeleſtia tecta colentum
Eſſet ſi genitor tam ſaevo, tamque protervo,
Infra Titanas caeca ſub nocte jaceres.
  Sic ait; accitumque jubet, mora nulla, mederi
Paeona. qui leni vulnus medicamine fovit,
Sanavitque artus, nec morti obnoxia membra
Tam facile, tepidi quam lactis candidus humor
Concreſcit, miſcet cui denſa coagula paſtor.
Pulvere dehinc foedo ſordentem, atroque cruore
Abluit, ac pulchris dea veſtibus induit Hebe.
Ille patri multo gaudens aſſedit honore.
  Interea magni ad ſedes rediere Tonantis
Juno Argiva, potens & belli caeſia Pallas,
Saevum ubi veſana Mavortem ab caede remorunt.

HOMERI ILIADOS
LIBER SEXTUS.

UT primum divi pugna exceſſere, phalanges
Et ſibi ſunt ſolae Danaum, Troumque relictae;
Direxere haſtas in mutua vulnera denſae
Hinc atque hinc acies, rapidum propter Simoënta
Congreſſae, ac liquidi propter vada ſacra Scamandri.
  Primus ibi, Danaûm columen, Telamonius Ajax
Perrupitque globum juvenum, ſociiſque ſalutem,
Attulit. Euſſoro genitum nam perculit haſta
Magnanimum veniens Achamantem, Thracia nullum
Cui miſit virtute parem, nec fortibus armis.
Huic conum inſignis, criſtaque comantis equina
Percuſſit galeae. frontem perrupit, & oſſa
Aerea pervaſit cuſpis. caput horrida ſupra
Ingruit, atque oculos multa nox obruit umbra.
  Axylon leto ſtravit Tydeïus heros
Teuthraniden, coluit celſam qui dives Arisbam;
Dives opum, larguſque idem. namque ampla tenebat
Tecta viam propter, multos ubi commodus hoſpes,
Excepitque domo, menſaque accepit opima.
Nullus at accurens potuit depellere peſtem
Hoſpitibus de tot miſero. Diomedis ab haſta
Ipſe ſimul, ſimul atque Caleſius; ibat eodem
Qui famulus curru, ac bijugos auriga regebat
Fidus equos; nigras Orci ſubiere tenebras.
  Dejicit Euryalus Dreſumque, & Opheltion: inde
Aeſepum petit una & Pedaſon; edidit ambos

v. 21.

Nais

Digitized by Google

Nais Abarbaree quos claro Bucolioni,
Laomedontiadas natu qui maximus inter
Furtivo eſt partu ſub luminis editus oras.
Hunc, dum paſtor oves ſervabat, Nais amavit,
Et dea mortali prolem eſt enixa gemellam.
Meciſteïades morti demiſit utrumque,
Praeſtantes forma juvenes, atque exſuit armis.
Trajicit Aſtyalum bello durus Polypoetes;
Pidyten, terra miſſum Percoſide, Ulyſſes.
Fudit humi Teucer figens Aretaona dium;
Ablerum Antilochus telo fulgente peremit
Neſtorides; Elatum late regnans Agamemnon.
Pedaſon hic liquidum altam ad Satnioënta colebat.
At Phylacum ſtravit fugientem Leïtus heros.
Eurypyli cecidit ſtridente Melanthius haſta.
Adreſtum cepit vivum fortis Menelaus.
Hunc conſternati bijuges, temone myricae
Impacto ad ramum, curru effudere ſuperbo;
Atque fugam pavidi ad muros, quo verſa ruebant
Agmina, corripuere. rotam delapſus ad ipſam
Pronus humi jacuit camporum pulvere in atro.
Quem ſuper Atrides Menelaus, turbidus haſtam
Ingentem quatiens dextra, ſtetit: ille, ſupinis
Genua tenens manibus, ſupplex haec ore profatur:
Hoc, Atrida, caput ſerva: non parva ſequentur
Praemia ſervantem. patriis mihi multa ſupellex
In domibus congeſta jacet. genus omne metalli,
Aeſque, aurumque, & opus ferri omne: hinc plurima dona,
Queis redimar, mittet genitor, ſi norit Achaeas
Me vivum ad naves inimica in gente morari.
Haec fatur ſupplex. Atriden flectere ſermo
Coeperat; & captum, famulo jam jamque parabat

Tradere ducendum ad naves: at fervidus ira
Accurrit, fratremque Agamemnon torvus acerbis
Increpuit dictis: Trojanis parcere, vecors,
Non piget? egregie de te, Menelaë, tuaque
Nempe domo meruere illi. quos mergier Orco
Opto equidem cunctos, noſtris & triſte ſubire
Exitium manibus; nec letum evadere quenquam
Vel puerum, gravida mater quem geſtat in alvo:
Sed patriis deleri una cum moenibus omnes,
Infletos, vitaque, & mortis honore carentes.
  Talibus increpitat meritum; fratriſque ſub alto
Corde ciet ſtimulis triſtes haud mollibus iras.
Ergo manu flentem nequidquam, & multa precantem
Reppulit a genibus. cui figit in ilia ferrum
Protinus ima furens Agamemnon; atque, jacentis
Impoſito pectus pede calcans, extrahit haſtam.
  Neſtor at Argivos clamans hortatur in arma:
O ſocii heroes Danai, Mavortia pubes,
Exſuvias nequis cupida nunc mente jacentum
Pone legat, redeat ſpoliis ut dives opimis.
Caedi alacres inſtate: virûm dehinc ſtrata licebit
Corpora per campos nullo ſpoliare periclo,
Laeta dabit vacuum poſtquam victoria tempus.
His animos dictis in praelia concitat heros.
  Tunc adeo Troës domiti ſub Marte Pelaſgo
Agminibus verſis muros, ac tuta ſubiſſent
Moenia: verum adſtans, Troum longe optimus augur,
Priamides Helenus, ſic voce affatus amica eſt
Hectoraque, Aeneanque: Aenea, atque Hector, (utrique
Nam labor incumbit primus Troumque phalanges,
Et Lycios ductare; ambo quod vincitis omnes
Conſilioque, manuque) iſtic conſiſtite, verſam

Et retinete aciem, celeri circum omnia curſu
Luſtrantes. cohibete viros, turbamque ruentem,
Ante fugax portis quam ſe inferat; & cadat ipſis
Uxorum in manibus, riſuſque ſit hoſtibus ingens.
Inde, ubi jam veſtra firmatae voce phalanges
Conſtiterint, nos heic, quando eſt pugnare neceſſe,
Qualeſcunque gravem contra pugnabimus hoſtem.
Tu citus interea plantis pernicibus urbem,
Hector, adi; & noſtrae dic matri: Palladis aedem
Se ferat ad celſam, ſummae quae praeſidet arci,
Atque fores templi pandat, peplumque repoſtis
Eximium ipſa legens de veſtibus, & ſibi carum
Prae cunctis, thalamo quotquot ſervantur in alto;
Collocet in genibus divae, atque ingentia ſacra
Spondeat, intacta bis ſex cervice juvencas:
Si Troas miſerata, urbi dea magna ſupremam,
Conjugibuſque velit, gnatiſque avertere peſtem:
Si dirum Iliacis Tydiden arceat ipſa
Moenibus; immani miſcet qui triſtia dextra
Funera, bellator nullo non major Achivûm.
Nec tanto terrore unquam nos perculit ipſe
Aeacides diva, ut perhibent, Nereïde natus.
Quippe furit ſine more atrox, per bella ruenti
Nec potis eſt valido par quiſquam obſiſtere niſu.
  Haec Helenus: fratri paret bonus Hector, & alto
Confeſtim curru, cinctus fulgentibus armis,
Deſilit; ac, longo praefixa haſtilia ferro
Bina manu magna quaſſans, interritus omnes
Fert ſe per cuneos celeri pede, vimque ſuorum
Suſcitat, atque animis cunctos audacibus implet.
Continuo exarſit pugna ingens: agmina Troës
Convertere, pedem Grajûm conterrita pubes

v. 107.

At

At retulit caedi parcens . ſtellantis Olympi
Aſtrifera de ſede aliquem veniſſe putabant
Nanque deum auxilio Teucris , videre fugaces
Denſari ut ſubito converſa in praelia fronte .
Quos Hector clamans verbis hortatur amicis :
  Magnanimi Troës , ſociique ad bella remotis
Urbibus exciti , validas nunc promite vires ;
Nunc animos acres tantiſper , dum citus urbem
Ipſe adeo , atque ſenes jubeo , matreſque , nuruſque ,
Suppliciter divûm pacem , veniamque precari ,
Ac triſtes votis iras avertere Sacris .
  Sic ait , atque gradu magno ſe proripit heros .
Cui ſummo denſae nutabant vertice criſtae ,
Amplexumque oras clypei , pulſabat eunti
Cervicem ac talos taurino e tergore lorum .
  Tum genus Hippolochi Glaucus , Mavortia Tydei
Et proles , magnus Diomedes , inter utramque
Procurrere aciem cupidi decernere ferro .
Jam prope conſtiterant , animiſque , armiſque parati ;
Cum prior haec forti Diomedes pectore fatur .
  Nam quis tu , juvenum confidentiſſime ? vidi
Quem nunquam belli pulchro in certamine , cunctos
Nunc virtute praeis ; de tot cui milibus uni
Exſpectare meam firmum cor ſuſtinet haſtam .
Sed telis quicunque meis venit obvius , illum
Nae miſeri haud fauſta genuerunt luce parentes .
Quod ſi forte aliquis caeleſti ſede relicta
Veniſti huc divûm , ne me , ne coge profecto
Mortalem ſuperos violare , ac figere ferro .
Quippe Dryanteo (ut perhibent) non longa Lycurgo
Vita fuit , ſueto cum dîs immane beatis
Exercere odium . lymphata mente furentis

Digitized by Google

Nutrices Bacchi nactus qui vertice Nyſae
In ſacro, voce increpuit; ſtimuloque ſecutus
Caedebat pavidas. thyrſos trepidis ſimul omnes
Projecere ſolo e manibus; Bacchuſque, fugatus
Ipſe etiam, pontum ſubiit: Thetis alma ſub undis
Excepit gremio pavitantem, ac ſaeva timentem
Dicta viri. contra quem numina ſancta deorum
Exarſere ira: nec Solis lumina ſontem
Clara frui longum ſivit Saturnius; ipſam
Nec longo infelix produxit tempore vitam,
Inviſus cunctis tanto pro crimine divis.
Hujus ego exemplo ſuperos inceſſere nolim.
Sin magis es numero ex hominum, qui munera terrae
Veſcimur; huc accede, mea ut confoſſus ab haſta
Mortalis metam contingas ocyus aevi.
  Talia Tydides; contra cui talia Glaucus:
Magnanimi proles Tydei bello inclyta, noſtrum
Quid genus exquiris? mortalibus eſſe caducum
Scis genus, ut foliis. autumni haec frigore primo
Ventus fundit humi; pubeſcit germine ſilva
Deinde recens alio, cum ver caput extulit arvis.
Sic hominum genus, hoc oritur, lapſum interit illud.
Sed tibi ſi cordi tamen eſt cognoſcere noſtram,
Clara cluet multis quae vulgo cognita, gentem.
Eſt procul Argivis in finibus inclyta fama
Urbs, Ephyra. heic habuit ſedem olim Siſyphus, omnes
Vafra mortales qui longe mente praeibat.
Siſyphus Aeolides, Glaucus quo traditur eſſe
Editus, at Glauco clarus dehinc Bellerophontes.
Huic rarum ſuperi formae decus, inque decoris
Artubus eximium robur tribuere: ſed ingens
Exitium inſonti ſtruxit, pepulitque paterna

v. 158.

Urbe

Urbe virum Proetus, multo qui maximus inter
Argivos opibus florebat; Jupiter altus
Subdidit egregium juvenem cui ſceptra gerenti.
Arſit enim Proeti conjux Antea, pudicum
Blandis ſollicitans precibus mala Bellerophonten.
Nec tamen evaluit conſtantis vincere mentis
Propoſitum, rectoſque animi pervertere ſenſus.
Ergo regem adiit mendax, ac talia fatur:
Aut morere, infelix, aut morti Bellerophonten,
Ut meruit, demitte, tuos violare nefando
Crimine conatum thalamos, inferre pudori
Atque meo labem. Fallaci has ore querelas
Saeva dedit mulier: ſubita rex credulus ira
Intumuit: ſedenim juvenem demittere leto
Haud voluit, veritus divos, ac foedera ſancta
Hoſpitii; at Lyciae longinquas miſit ad oras,
Inſcriptaſque notis letalibus, atque plicatas
Ferre dedit tabulas, ſoceroque oſtendere juſſit;
Indicio ipſe ſuo miſeranda ut morte periret.
Hic poſtquam in Lyciam, Xantique ad flumina venit
Non ſine dìs, juvenem rex multo excepit honore,
Hoſpitis adventu laetus; tauroſque novenis
Ille novem mactans patrum de more diebus
Inſtituitque dapes, divûmque adolevit honores.
Inde ubi dena diem mortalibus extulit almum
Exoriens Aurora, notas & ſigna popoſcit
Oſtendi, Proeto ab genero quaecunque ferebat.
Quae poſtquam agnovit, ſaeviſque incluſa tabellis
Perlegit mandata oculis; mora nulla, profectum
Indomitam juſſit proſternere morte Chimaeram,
Monſtrum horrendum, informe, atrox, nec ſemine cretum
Mortali. ante leo, poſtremo corpore ſerpens

v. 181. Squa-

Squameus, in medio capra ingens, ore vomebat
Caeruleam vaſto flammam. crudele peremit
Ille tamen monſtrum, divûm non vana ſecutus
Auguria. hinc Solymûm genti (nec durior ulla
Uſquam pugna fuit) regis juſſu intulit arma.
Fudit Amazonium poſt haec interritus agmen.
Huic aliam ſtruxit rex fraudem. nanque rediret
Cum bello victor, Lyciae fortiſſima pubis
Corpora delegit, mediumque obſidere furto
Juſſit iter. quorum rediit pars nulla; ſed omnes
Liquit humi exanimos invictus Bellerophontes.
  Ergo ubi progenitum caeleſti ſemine tandem
Comperit, ingenti reducem complexus amore
Detinuit, thalamo gnatae dignatus & ultro eſt,
Dimidium & regni genero conceſſit honorem.
Cui ſimul & Lycii partem praedivitis agri
Eximiam dederunt, hortos, pomaria, ſilvas,
Arvorum & gleba felices ubere tractus.
Ternam olli prolem regalis nupta creavit,
Iſandrum, Hippolochum, formoſam Laodamiam.
Laodamia Jovi magno placuitque, deorum
Et ſimilem peperit clarum Sarpedona bello.
At mala cum miſerum premeret ſors Bellerophonten,
Ipſum etiam triſtes cunctorum denique paſſum
Iras caelicolum; campis errabat Aleis
Solus, devitans hominum veſtigia, luctu
Indulgens, tacitis carpens ſua pectora curis.
Iſandrum, claros acer dum bella gerebat
In Solymos, torvus Mars dura morte peremit;
Iraſcens pulchram Latonia Laodamiam
Virgo ſuis ſtravit nec opina morte ſagittis.
De tribus Hippolochus reſtat nunc ſcilicet unus

v. 206.

Qui

Qui me progenuit, natus quo glorior eſſe.
Ille huc auxilio me Trojae ad moenia miſit,
Multaque praecepit mandans, melioribus uſque
Certare, atque alios virtute anteire, meorum
Eſſe patrum & ſimilem, primae qui praemia laudis
Prima Ephyrae, ac Lycias late retulere per urbes.
Hoc genus eſt noſtrum, noſtrique hic ſanguinis ordo.
Sic ait: auditis gaudet fortis Diomedes,
Et magnam tellure haſtam defixit; amicis
Tum regem verbis compellans talia fatur:
Nae tu, Glauce, hoſpes vetus es mihi. Bellerophontem
Nanque avus eximium quondam meus inclytus Oeneus
Excepitque domo, biſdenis atque diebus
Secum habuit. quin pulchra inter ſe dona dedere,
Manſurum hoſpitii monumentum. tincta colore
Cingula puniceo donavit Bellerophonti
Oeneus, cratera auratum Oeneo Bellerophontes.
Hunc ego diſcedens huc dura in bella, reliqui
Aedibus in patriis, pignus, teſtemque paterni
Perpetuum hoſpitii. quanquam ipſum Tydea patrem
Haud memini, qui me parvum, infantemque reliquit,
Tempore quo ad Thebas pubes Argiva profecta eſt,
Totque virûm iratis perierunt milia divis.
Ergo tuque mihi, ſi quando veneris Argos
In medium; atque tibi, Lyciam ſi viſere cogar,
Hoſpes ego. quare ſaevam convertere utrunque
Haſtam alio praeſtat, noſque inter parcere, in ipſa
Vel ſi acie adverſis pugnetur cominus armis.
Sunt alii Troes multi, ſociique, ſub Orcum
Quos ego demittam; quotquot ſors offeret, ipſe
Aſſequar aut pedibus: ſunt Graja e gente viciſſim,
Quos tu dejicias leto, quemcunque licebit.

v. 229. Nunc

Nunc age, queis tecti, mutemus, ſi placet, arma.
Haec quoque ut hoſpitio veteri nos jungier omnis
Turba ſciat, quae nos circumſtat denſa loquentes.
Haec poſtquam effati, celſis de curribus ultro
Deſiluere, manuſque in mutua foedera jungunt,
Dantque fidem, accipiuntque animis concordibus ambo.
Heic Glauco mentem exemit Saturnius, arma
Aurea ut oblitus pretii mutaret ahenis,
Aequa novem accipiens, bubus centum aequa rependens.
Hector at ad fagum, Scaeaeque ad limina portae
Ut venit, Troum uxores, nataeque frequentes
Occurrunt; moeſtaeque rogant, natique, virique,
Et fratres quid agant rerum, carique propinqui.
Ille omnes delubra deûm jubet ordine adire
Orantes veniam: multis nam fata parari
Triſtia, & ingentes Teucris inſtare dolores.
Inde ubi jam Priami tecta ad regalia venit,
Ampla ubi porticibus ſtabat domus, atque coruſco
Quinquaginta inerant thalami de marmore, junctis
Mutua parietibus connexi, regia proles
Multa ubi Priamidum nuptis ſociata cubabat:
Biſſeni contra thalami de marmore, eodem
Structi opere, inque vicem juncti, regalibus intra
Aurea quos generis ſedes, lectique parati;
Heic illi occurrit genitrix, ut forte ferebat
Laodicen ſeſe ad caram, quae ſcilicet omnes
Vincebat forma Priami pulcherrima natas;
Atque manu arripuit retinens, ac talibus infit.
Nam cur, nate, feri linquens certamina belli
Veniſti? duro num ſaevi moenia Graji
Marte premunt; arcemque petis, ſupplexque ſupinas
Rite Jovem ad magnum properas attollere palmas?

v. 257.

Sed

Sed tamen heic paullum conſiſte, ut dulcia promens
Vina feram, libeſque Jovi, dîſque omnibus; ipſe
Dehinc potans firmes vires, ac feſſa labore
Membra leves. augent robur nam dulcia feſſis
Vina viris: ut tu nunc feſſus, civibus, urbi
Atque tuae auxilium dum fers, regniſque paternis.
  Hector ad haec: Ne vero, inquit, ne dona Lyaei,
O mater veneranda, effer, neu membra reſolve,
Vimque meam; enervis ne dura in praelia ceſſem.
Nec manibus fas illotis libare ſupremo
Vina Jovi, nec fas pollutum caede, cruento
Perfuſum & tabo, votis placare Tonantem.
Tu potius matres in coetum coge, Minervae
Et templo fer tura; oſtroque, auroque coruſcum
Ipſa legens peplum, pulchrum, ingens, ac tibi carum
Prae cunctis, thalamo quotquot ſervantur in alto,
Genua loca ſupra divae; atque ingentia ſacra
Sponde, non tacta bis ſex cervice juvencas,
Si Troas miſerata, urbi dea magna ſupremam,
Conjugibuſque velit, natiſque avertere peſtem;
Si dirum Iliacis Tydiden arceat ipſa
Moenibus, immani miſcet qui funera dextra.
I, mater, doniſque inſtans, votiſque, potentem
Flecte deam. Ipſe Parin viſo; ſi forte ciere
Ad bellum poſſim; ſi me audiat. ima dehiſcat
Illi utinam tellus, Teucris, Priamoque deûm rex,
Priamidum & generi, noxamque, & dedecus ingens
Quem dedit; obſcuro quem ſi demittier Orco
Adſpiciam, laeterque animo, longique laboris
Me rear, & longae jam nactum oblivia curae.
  Sic ait: Illa domum rediit, celereſque vocavit
Ancillas. juſſae feſtinant ocyus urbem

Homer. v. 286.

Per totam, & matres cogunt. fragrantis at ipſa
Interea thalami ſubiit penetrale, jacebat
Plurima ubi miro veſtis variata lepore,
Sidonidum labor egregius, quas caerula ponti
Trans vada Alexander Trojam Sidone puellas
Vexerat, eximio prognatam patre Lacaenam
Tempore quo laetus Phrygias advexit ad oras.
Has inter veſtes, munus memorabile divae,
Deligit ingentem peplum, pulchreque colorum
Omnigena pictum ſpecie, nec parcius aſtro
Fulgentem; poſitus qui parte latebat in ima.
Hunc promit, celeranſque gradum delubra petebat
Alta deae. matrum ſupplex longo ordine turba
Pone ſubit, trepido feſtinans anxia greſſu.
  Jamque adeo magnae ad ſedes, arcemque Minervae
Advènere. fores pandit formoſa Theano
Ciſſeïs, clari conjux Antenoris, aedi
Lecta ſacrae a Teucris cuſtos, divaeque ſacerdos:
Illae alto moeſtas fundunt a limine voces,
Inque deam figuntque madentia lumina fletu,
Atque manus tendunt cum luctiſono ululatu.
Tum peplum e manibus reginae pulchra Theano
Accepit, divae accedens & rite locavit
In genibus; rupitque has imo e pectore voces:
  O cuſtos urbis, veneranda Minerva, dearum
Maxima, frange manu telum Diomedis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo Scaeae prope limina portae.
Ad tua templa tibi ſacrum ingens rite feremus
Ocyus, intacta bis ſex cervice juvencas,
Si Troas miſerata, urbi, dea magna, ſupremam,
Conjugibuſque velis, natiſque avertere peſtem.
  Talibus orabat. caſſis Tritonia votis

Abnuit, atque preces irata reſpuit aure.
Interea, Iliades natam placare Tonantis
Dum certant, Hector fraternas venit ad aedes.
Has Paris eximias olim ſibi fecerat, omni
E numero primos adhibens, quos dives habebat
Troja operum artifices. olli regalia tecta,
Et thalamum, & celſis circum atria fulta columnis
Exſtruxere arce in ſumma, Priameïa juxta,
Hectoris & magni juxta penetralia. in aedes
Intulit has celeri ſe greſſu turbidus Hector.
Haſta manu in magna cubitos protenta tremebat
In denos; praefixa micabat ahenea cuſpis,
Ambibat fulvo quam ſubter circulus auro.
Heic fratrem eſt nactus, ſtudio dum tractat inani
Arma ſedens, clypeum, galeam, thoraca nitentem,
Curvatoſque arcus. quem juxta Argiva ſedebat
Nupta inter famulas, operique inſtabat, in omnes
Imperium exercens, prae cunctis docta, puellas.
Hunc ſimul ac vidit, ſic Martius increpat Hector.
Pro pudor! iraſci num te, ſecedere ab armis
Num decuit? Troës pugnant, pereuntque ſub altis
Moenibus. haec propter te ſolum incendia belli
Exarſere; tamen ceſſas? qui praelia ſi quem
Detrectare alium, ſegnem & ceſſare videres,
Haud poſſes tacitus perferre, ac parcere probris.
Verum, agedum, conſurge iſtinc feſtinus, & omnes
Rumpe moras; Grajus ne Mavors proruat urbem,
Dardania & triſti jam flagrent moenia flamma.
Haec ille: haec contra formoſus mitia reddit
Verba Paris: Frater, vera iſtaec dicis; at audi
Me tamen, atque aures, mentemque adverte. ſedebam
Heic procul a pugna in thalamo, non civibus ullam

Ipſe quidem iraſcens ob culpam: pectore at aegro
Multa dolens ignominiam, vitanſque virorum
Victus pugna oculos. verbis nunc uxor amicis
Impulit ut cingarque armis, & bella capeſſam.
Id ſatius reor ipſe etiam, victoria quando
Alternatque vices, nec ſemper militat îſdem.
Quare age, meque mane paullum, dum fortibus armis
Induor; ipſe praei vel, ſi placet: impiger ante
Progreſſum celeri pede conſequar inter eundum.
  Haec Paris; at contra nihil Hector. candida blandis
Quem mulcens verbis ſic eſt affata Lacaena:
  Levir, dulce caput miſerae, quae meque, meoſque,
Voſque malis onero infelix, atque improba; luce
Illa utinam, mea me qua mater fudit in auras,
In rupes raptam nigrae vis dira procellae,
Inque vada horriſoni longe maris ante tuliſſet,
Quam foret haec moles per me tot nata malorum.
Quae quoniam invicto ſtatuerunt numine divi,
Eſſem utinam ſaltem meliori nupta marito,
Qui rumore malo poſſet, probriſque moveri
Indignantum animis, ac turpia facta notantum.
Excors hic ſenſuque caret, ſemperque carebit,
Et fatuae fructum capiet ſibi denique mentis.
Verum ades huc propius, paullum & confide: labore
Cura gravi exercet nam te magis omnibus unum,
Meque & Alexandrum propter; quos Jupiter ambo
Fato urget triſti miſeros, longumque futuros
Carmen & ad feros poſt ſecula longa nepotes.
  Huic galea inſignis reſpondit talibus Hector:
Gratus amor tuus eſt, Helene; ſed parce morari
Feſtinum. haud equidem confidam. nanque reverti
Quam primum ad ſocios ardet mens, atque levare

v. 361.

Au-

Digitized by Google

Auxilio feſſos', ac me fortaſſe, vocantes
Abſentem. hunc ſtimulis tute urge haud mollibus; ipſe
Sponte ſua & properet lateri ſe adjungere noſtro
Ante comes, porta excedens quam moenia linquam.
Nunc abeo viſurus enim tectumque, Laremque,
Uxoremque meam parva cum prole; reverti
Ad quos num reduci tribuent mihi numina, Grajûm
An manibus domitum ſternent, mens neſcia prorſum eſt.
  Sic ait, atque ſuas abiit digreſſus in aedes.
Haud tamen Andromacham tectis invenit in altis.
Quae, procul inde una puerum geſtante profecta
Cum famula, celſa in turri lacrimanſque, gemenſque
Stabat, dira tuens ſaevi certamina belli.
Hanc ubi quaeſivit, thalamo nec nactus in aureo eſt,
Ancillas, aderant quae denſae limina circum,
Sic rogat: O famulae, vera haec mihi dicite. quonam
Andromache formoſa domo eſt digreſſa? propinquam
Anne aliquam inviſit? magnae ad delubra Minervae
An pompam ducit ſupplex, inſtatque potentis
Muneribus, votiſque iras avertere divae?
  Talia ſcitanti reſpondit ſedula cellae
Cuſtos: Vera jubes quando, Hector, dicere, fabor
Vera equidem. nullam Andromache inviſitve propinquam,
Aut pompam ducit magnae ad delubra Minervae;
Ivit ad Iliacam ſed turrim, rumor ut urbem
Implevit, Troaſque premi, Danaûmque ſecundo
Fervere Marte aciem, curſuque ad moenia ferri.
In muros tremefacta animi, ſimiliſque furenti
Illa abiit; puerum tulit una exterrita nutrix.
  Haec ait. Ergo domo tacitus ſeſe extulit Hector,
Atque gradu magno mediam ſecat impiger urbem,
Ille viam celerans ad Scaeae limina portae,

v. 392.

Qua

Qua greſſum intulerat; qua ſe jam reddere caſtris
Mens erat. hanc adeo propior jam jamque ſubibat.
Ecce autem lacrimans, & curſu concita conjux
Andromache, dii clarum genus Eetionis;
Thebam, & Hypoplacios magna ditione tenebat
Qui Cilicas, Placii nemoroſa in valle virentis;
Occurrit ſubito venienti; ſola ſecuta
Quam nutrix feſtina ſinu trepidante ferebat
Hectoriden parvum, unigenam, pulchrumque nitenti
Os aſtro ſimilem; genitor quem nomine dixit
Ipſe Scamandrion, aſt alii Aſtyanacta vocabant,
Urbem quod fuerat ſolus tutarier Hector.
Lumina cui roſeo arridens defixit in ore
Tum pater. Andromache lacrimis adſtabat obortis,
Sicque, viri dextram dextra complexa, locuta eſt:
  Infelix, tua te perdet fiducia. gnati
Nec durum infantis miſeret? nec conjugis, aede
Quae ſola in vidua linquar? cuncti agmine denſo
In te nanque ruent, certi unum perdere, Achivi.
At mihi deſertae ſatius fuat ire ſub umbras.
Nam miſerae quid jam, conjux, te morte perempto
Reſtabit, praeter lacrimas, luctumque, doloremque
Aſſiduum? mihi non pater eſt, non optima mater.
Patrem nanque dedit leto mihi dius Achilles,
Vaſtavitque urbem Cilicum Thebam, inclyta portis
Moenia praecelſis. leto dedit Eetiona:
Nec tamen & ſpoliare auſus venerabile corpus;
Sed parcens, ut erat, cinctum fulgentibus armis
Impoſuitque rogo, buſtum & ſuper addidit ingens
Terra onerans: ulmos circum poſuere virentes
Nymphae Oreſtiades, magni Jovis aurea proles.
Et fratres, habui quos ſeptem, luce ſub Orcum

v. 420.

Una

Una omnes abiere. greges, armentaque nactus
Paſcentes idem vita ſpoliavit Achilles.
Mater Hypoplaciis at quae regnavit in oris,
Captiva Iliacas primum eſt advecta ſub arces
Divite cum gaza, magno poſt deinde redempta
Eſt pretio. patria reducem confecit in aede
Sed, jaculis, curvoque arcu Latonia gaudens.
Tu mihi nunc, Hector, pater es, tu mater, & idem
Tu frater, thalami tu vir mihi foedere junctus.
Quare, age, da miſerae hanc veniam: diſcedere ab urbe
Parce, caput dubiis parce objectare periclis;
Ne patre hunc orbum rapto, ne conjuge adempto
Me viduam linquas. aciem hinc hortare, jubeque
Agreſtem ad ficum ſiſtat, qua mollis in urbem eſt
Adſcenſus, facilique aditus ſub moenia clivo.
Huc ter enim Grajûm primi venere, viamque
Tentavere duces; gemini duo germina Martis
Ajaces, Cretum Idomeneus regnator, Atridae
Et fortes ambo cum magnanimo Diomede:
Sive aliquis, divûm monitu, monſtraverit augur;
Seu mens, atque animi tulerit magis impetus ipſos.
  Talibus Andromache orabat, fletuſque ciebat.
Tum ſic orſa refert Hector: Conjux, mihi cordi
Omnia ſunt iſtaec: Troas, peplumque trahentes
Troadas at vereor, vitem ſi praelia duri
Martis iners. animus nec me ſinit ipſe quieti
Indulgere; acer qui praelia ſemper obire,
Et primas inter didici pugnare phalanges,
Atque armis ſervare decus patriumque, meumque.
Hoc equidem haud dubiis poſſum praedicere ſignis:
Tempus erit, proſtrata ſolo quo ſacra jacebit
Ilios, & Priamus, Priami & gens inclyta bello.

v. 450.

Sed

Sed mihi non clades Troum, extremique labores;
Ipſius aut Hecubae, aut Priami, fratrumve remordet
Tantis corda dolor curis. qui pulvere in atro
Multique & fortes Grajo ſub Marte jacebunt:
Quam crucior, quod te captam, vincliſque gravatam
Grajûm aliquis flentem hinc abducet; quodque ſuperbae
Argis juſſa feres dominae; imperiumque coacta
Triſte pati, arguto percurres pectine telas,
Aut portabis aquam e Meſſeïde, ſive Hyperea.
Dura etenim urgebit miſeram vis, nilque licebit
Detrectare, minas, & verbera ſaeva timenti.
Tunc aliquis, flentem cernens: En, Hectoris haec eſt
Illa uxor, dicet, Troas qui fortibus armis
Praeſtabat longe ante omnes, dum bella gerebant
Iliacos circa muros. haec inquiet olim
Grajûm aliquis: rurſum incipies tu fundere fletus,
Cor deſiderio talis perfixa mariti,
Servitium feſſae adveniens qui demere poſſit.
Sed me fuſa ſuper tellus precor obruat ante,
Audiero quam te clamantem, ſedibus actam
Et longe a noſtris trans vaſti caerula ponti.
Sic ait; ac manibus dulcem Aſtyanacta petebat
Protentis. trepidus flevit puer, udaque clamans
Ora ſinum in famulae abduxit, cari ille parentis
Territus adſpectu, ac metuens radiantiaque arma,
Horrendum & ſummo nutantes vertice criſtas.
At pater & genitrix riſerunt vana timentem.
Ergo hirtam capiti galeam citus exſuit Hector,
Inque ſolo poſuit fulgentem; dulce recepit
Dehinc famulae e manibus pignus; paullumque moratus,
Oſcula ubi fixit, puerumque agitavit in ulnis,
Altum ſuſcipiens caelum ſic ore precatur:

v. 475.

Jupi-

Jupiter, ac magnum colitis quae numina caelum
Omnia, & hic multo facite ut praeſignis honore,
Qualis ego, in Teucris clareſcat. robore praeſtet,
Vique animi; & regno fortis potiatur avito:
Atque aliquis, pugna reducem dum cernit, Hic ipſum
Virtute, exclamet, vincit, factiſque parentem:
Et ſpolia hoſtili referentem foeda cruore
Excipiat gaudens laetanti pectore mater.

Sic ait, ac puerum maternas tradit in ulnas.
Illa ſinu exceptum fragranti fovit, & ore
Moeſta renidenti quiddam lacrimabile riſit.
Quam vir, blanda tuens, ſortem & miſeratus iniquam,
Demulſitque manu, dulcique affatus amore eſt:

Pone modum lacrimis, nec ſaevo indulge dolori
Me propter, dulcis conjux. me nanque virorum
Haud quiſquam praeter fatum demiſerit Orco:
Effugere at fatum nulli, reor, obtigit unquam,
Ut ſemel eſt natus. fortem hoc, hoc vincit inertem.
Verum age, jamque domum rediens telamque, colunque,
Foemineum quae cura genus decet una fatiget,
Exerce, ac famulas hortare ad penſa. virorum
At quod opus, bellum, duri & certamina Martis,
Curabunt Troëſque alii, praeque omnibus Hector.

Sic ait, atque ſolo ſe acclinans, tollit equinis
Terribilem criſtis galeam. digreſſa petebat
Illa domum interea, reſpectans, udaque fletu.
Quo ſimul ac venit, tectis & ſe intulit altis,
Viſa gravi cunctis incendit pectora luctu.
Hectora lugebant cunctae vivum, atque vigentem;
Nec reducem a pugna ſperabant poſſe reverti,
Effugere atque manus validas & robur Achivûm.

Nec longum thalamo Paris eſt cunctatus in alto;

Homer. v. 504.

Arma jubar vario clarum at jactantia ab aere
Induit, eque domo ſe protinus extulit, urbem
Perque volans mediam celeri.pede caſtra petebat.
Ac velut in plenis praeſepibus hordea paſtus
Ille diu ſonipes, rupit ſi vincla, virentum
Planitiem & fugiens camporum eſt nactus apertam,
Inſultatque ſolo, celſum & caput arrigit alte
Luxurians, luduntque jubae per colla, nitentes
Perque armos: volat ante levis Zephyrumque, Notumque
Arva ſecans; & nota petit vel paſcua equarum,
Vel fluvium, adſuetus vitreas innare per undas:
Sic Paris exſultans animis decurrit ab arce
Pergamea, totuſque armis effulget in aureis,
Solis & in morem percellit luce tuentes.
Jamque adeo celeri curſu pervenerat illuc,
Hector ubi, Andomachen affatus, caſtra parabat
Jam petere, ac ſociis reddi. quem talibus ultro
Compellat verbis, prior & ſic incipit ore.
O frater venerande, moror te lentus abire
Optantem, atque adſum feſtino tardior aequo.
Haec Paris: haec contra retulit bonus Hector: Inertem
Jure queat nemo, frater, te dicere. vires
Sunt tibi, ſunt animi ingentes ad fortia: verum
Sponte tua interdum ceſſas, nec ferre laborem
Vis durum. cruciat mihi ſaevus pectora moeror
Interea, de te cum probra audire neceſſe eſt
A. Teucris; propter te qui tot dura tulerunt,
Atque ferunt. alias tamen haec componere praeſtat
Nos inter; ſi quando alti rex magnus Olympi
Laetificum cratera dabit dis ſiſtere tandem
Aedibus in patriis, longa obſidione ſoluta,
Et longe pulſis Trojano ab litore Achivis.

v. 529.

HOMERI ILIADOS

LIBER SEPTIMUS.

HAec fatus, porta greſſum citus extulit Hector;
Cui Paris it lateri fidus comes. ardet uterque
Heros bella iterum, ſaevamque capeſſere pugnam.
Ac veluti optato ventos a puppe ſecundos
Dat pater, inflexis pellentes caerula remis
Cum longo nautae jam fracti membra labore
Defecere: duo ſic fratres civibus aegris
Optati venere. Paris tum pulcher acuto
Fixit Areïtoi genus aere Meneſtion, alta
Miſſum Arna, peperit quem candida Philomeduſa
Clavigero regi praeſtantem fortibus armis.
Hector at ingentem ſaevus ferit Eïonea,
Cervicem & rigido tranſverberat aere comanti
Sub galea, nervis & ſternit membra ſolutis.
Glaucus at Hippolochi, Lyciae dux pubis, in acri
Dexiaden pugna Iphinoum longa premit haſta,
Fixa humero, celeres vitans dum triſtia fata
Scandit equas. curru cecidit moribundus ab alto
Fuſus humi, & largo perfundens arma cruore.
  Hos longe ſuperûm ſtellata ex aede Minerva
Inſtantes Danaûm caedi proſpexit; Olympum
Et linquens Phrygiam ſeſe demiſit ad urbem.
Pergamea longe venientem vidit ab arce,
Obvius atque ruit celeri pede Phoebus Apollo,
Ille favens Teucris. fagum occurrere viciſſim
Dî ſibi apud veterem. Prior his Tritonida verbis

v. 23.

Digitized by Google

Affatur magni proles Jovis inclyta, Phoebus.
Nam quid, nata Jovis, celſi de vertice Olympi
Rurſus ades? quae cauſſa viae? quae tanta cupido
Impulit huc? Danaiſne feras victoribus ingens
Ut decus? Iliacae quando nil funera gentis
Saevam dira movent. ſedenim ſoror utere fratris
Conſilio. ſatius pugnae jam ponere finem
Huic hodie. rurſus pugnabunt dum cadat alta
Ilios: haec vobis quando ſtat regna deabus
Eruere, ac ſacram fundo urbem vertere ab imo.
Haec Phoebus; contra reſpondit caeſia Pallas.
Conſilium laudo, arcitenens, nec mente relicto
Huc alia caelo veni: ſed praelia ſiſti
Quo nam dira velis, pigeat ne dicere, pacto.
Phoebus ad haec: Virtus, animique in corde ciendi
Hectoreo; ſolus ſolum ſi ſorte vocarit
Grajûm aliquem ad pugnam: delectum ex omnibus unum
Irati ſi quem Graji in certamina mittant.
Sic deus: at fratris Tritonia dicta probavit.
Conſilium vates Helenus, vocemque deorum
Senſitque, ac fratri propior ſtetit, atque ita fatur.
Hector mente Jovi magno par, vis mihi quiddam
Monſtranti parere tamen; carique fidele
Conſilium amplecti fratris? Troeſque & Achivi
Fac ſedeant omnes. poſce in certamina ſolus
Tu Danaûm quemcunque, alios qui robore praeſtet,
Fortibus atque animis bellator. nam tibi mortem
Nondum fata parant, aevi nec meta propinqua eſt;
Quod didici audita vates modo voce deorum.
Haec Helenus; laeto quae pectore Martius Hector
Audiit, ac ſubito in medium progreſſus, utraque
Ille manu opponens tranſverſam cominus haſtam,

v. 55.

Trojugenas, ſociosque repreſſit in arma ruentes.
Conſidunt omnes, ut juſſi, iraſque, manuſque
Continuere. ſuos pariter conſidere juſſit
Atrides, pugnaeque, ac ſaevis parcere telis.
Arcitenens etiam deus, ac Tritonia virgo
Conſedere ſuper fago, Jovis arbore, diris
Vulturibus ſimiles ambo, ſpectantque frequentes
Hinc atque hinc populos, crebris diſtincta virorum
Milia nam cuneis late campoque ſedebant,
Horrebantque haſtis fulgentibus aere coruſco,
Et clypeis, galeiſque. Alti placida aequora ponti,
Quale ſolent Zephyro ſurgente horreſcere: denſi
Criſpantur, nigrantque levi ſub flamine fluctus:
Talis erat ſpecies Troumque, & pubis Achaeae,
Horrentumque armis, pacato & corde ſedentum.
Quos inter magnum clamans ſic incipit Hector:
Audite, o Troes, Danaique haec auribus aequis,
Quae me animus fidens impellit verba profari.
Foedera jam nobis Saturnius irrita fecit,
Atque graves parat iraſcens utriſque labores;
Veſtris dum manibus ruat Ilios alta; ruatis
Vel contra ad curvas noſtro vos Marte carinas.
Nunc, quando, Argivis delecti ex urbibus, inter
Vos multi heroës, jactant qui robore ſeſe
Eximios; cui vis, animuſque in pectore praeſens,
Procedat, ſolus me contra, & conferat arma:
Hanc pugnae dico legem, cui teſtis adeſto
Jupiter. Argolicus ferro bellator acuto
Si me forte dabit leto, rapta arma, jacentis
Exſuvias, ferat ad naves; exſangue cadaver
At patriae reddat, vitali ut lumine caſſum
Supremo imponant Troëſque, & Troades igni.

v. 80. Sin

Sin cadet ille, dabit mihi laudem & magnus Apollo,
Arma viri ad delubra feram Phoebeïa, & arcem
Iliacam, atque deo ſuſpendens rite dicabo:
At corpus patiar ſpoliatum in caſtra referri,
Funus ut exſtincto ducant ſolemne, ſepulchrum
Helleſpontiaco ſtatuant ac litore Graji.
Quod ſera cernens aliquis de prole nepotum
Navita, fluctivaga dum ſulcat caerula puppi,
Hocce viri, dicat, priſci eſt memorabile buſtum,
Quem bello eximium leto dedit inclytus Hector.
Sic dicet: mihi fama ullo non deſinet aevo.
Talia Priamides. cuncti obſtupuere ſilentes.
Detrectare, pudor; contra metus impedit acer,
Accipere. alterno mens anxia fluctuat aeſtu.
Tum ſurgit minor Atrides, & percitus ira
Dat gemitum, funditque has alto e pectore voces,
Ille probris onerans Grajos: O ſegnis inertes
Turba minas jactans, o Achaides (haud ego Achaeos
Nam dicam poſthac, vere nec dicere poſſim)
Ergo viro huic nullus Grajûm nunc obvius ibit?
Ut veſtrum nemo in terram non verſus & undam
Diſpereat, quicunque iſtic ſine mente ſedetis
Indecores, fatui, ſtolidique. En Hectora contra
Armis cingar ego. belli fortuna deorum
In manibus; quem vinci hoſti, vel vincere malint.
Haec ait iratus, fulgentiaque induit arma.
Tunc tibi meta foret vitae Menelaë, reperta
Hectoreis domito manibus; (nam viribus heros
Te validis longe praeſtabat) protinus omnes
At Danaûm proceres in funera certa ruentem
Continuere, metuque exterritus ipſe Agamemnon
Arripuitque manu retrahens; ac talia fatur:

v. 107.

Inſanis, Menelaë Jovis genus. haud decet iſtaec
Tanta animi talem dementia. fer, licet angat
Cura animum: nec te caecus dolor efferat, armis
Deterior ſtulta meliorem ut mente laceſſas
Hectora Priamiden; quem nemo haud horret Achivûm;
Cujus & occurſum ſaepe ipſe timebat Achilles,
Invictus bello, multo & te fortior heros.
Nunc adeo ſecede iſtinc, tacituſque ſedeto
Cum ſociis. alius melior non deerit Achivis
Bellator, ſolum quem ſoli opponere poſſint
Priamidae: intrepidus qui ſit licet, atque cruenti
Martis inexpletum cupiens, tamen, ut reor, atram
Si mortem effugiet, gaudebit flectere feſſum
Poſſe genu incolumis duro e certamine pugnae.
 Talibus increpuit; fraternaque pectora flexit
Vera monens. dicto paret Menelaus, & arma
Pulchra viro ex humeris fidi abſtraxere ſodales.
 Neſtor at, in mediis exſurgens, talibus infit:
Pro dî! quantus adeſt tibi luctus, Achaica tellus!
Quantus erit, Peleu, tibi jam dolor, optime quondam
Bello, conſiliis nunc & ſermone diſerto!
Qui me multa, domo exceptum, de gente rogabas
Grajugenum, exquirens omnes natoſque, patreſque,
Laetus & audibas narrantem ex ordine cuncta;
Audieris nunc ſi, Grajis quo ſtraverit unus
Hector corda metu; tollens ad ſidera palmas
Cum gemitu, orabis nigro demittier Orco.
Atque utinam, o divûm rex, & Phoebe, atque Minerva,
Eſſem ego nunc prima validuſque, leviſque juventa:
Qualis eram, Pylii cives, atque Arcades, olim
Belligeri ad rapidum Celadonta horrentibus haſtis
Cum Pheae ad muros pugnabant: amne liquenti

v. 135.

Qua fluit, & puras devolvit Iardanus undas.
Hos inter primam ante aciem ſe mole ferebat
Dius Ereuthalion ingenti; indutus & arma
Regis Areïthoi, multo radiabat in auro.
Regis Areïthôi, quem claro nomine vulgo
Omnes Clavigerum vocitabant. viribus audax
Non etenim curvoque arcu pugnabat, & haſta;
Ferratae aſt acies rumpebat pondere clavae.
Hunc ſtravit, melior non vi ſed fraude, Lycurgus,
Aggrediens inter rupes, atque arcta viarum;
Ferrea ubi exitium deprenſo avertere clava
Haud potuit. ſubiens medium namque ante Lycurgus
Perfoditque haſta, terraeque afflixit, & armis
Exſuit, ipſe viro quae Mars donaverat olim.
His ruere eſt ſolitus per bella Lycurgus in armis,
Aetas dum melior vires dabat: inde ubi longo
Defecit ſenio fractus, quae geſſerat ipſe
Arma, dedit forti famulo geſtare. ſuperbus
Haec ille induerat, Pylia & de gente jubebat
Qui vir cunque omnes praeſtaret robore, ſecum
Uno unum pugnare: metu ſed corda micabant
Omnibus; audebat nemo ferre obvia contra
Arma viro. Audaci fretus tunc ipſe juventa,
Vix pubente aevo, minor omnibus, acer in arma
Proſilui, pugnamque invaſi; magnaque laudem
Annuit eximiam Pallas. nam vulnere ſtratus,
Immani vir mole, immani & robore, nigram
Planxit humum, & multa jacuit porrectus arena.
Illa utinam mihi nunc aetas, viſque illa maneret!
Qui vellet pugnare, virûm non quaereret Hector.
At veſtrum in Grajis primi qui Marte feruntur,
Heu pudor! oblatae vitant diſcrimina pugnae,

v. 160.

Talia

Talia dicta dabat ſenior, ſtimuliſque ciebat
Corda virûm increpitans haud mollibus. ocyus ergo
Surrexere novem numero. prior omnibus ipſe
Atrides major, dehinc magnanimus Diomedes,
Dehinc gemini Ajaces, dehinc Idomeneus Cretum rex,
Una & Meriones Marti par ille cruento;
Eurypylus poſt hos, Euaemonis inclyta proles;
Inde Thoas Andraemonides, ac dius Ulyſſes.
Horum quiſque ſibi certatim praelia poſcit.
Quos iterum Neſtor compellans, talia fatur:
Nunc agite, arbitrium ſorti permittite. cui ſors
Faverit, is pugna cunctoſque juvabit Achivos,
Et ſe prae cunctis, pulchro e certamine abire
Si dederit ſalvo magni regnator Olympi.
Sic ait: aſt illi ſortes de more notarunt,
Quiſque ſuam, agnoſci ut poſſent. Agamemnonis inde
Injecere omnes galeae. Grajûm anxia circum
Turba manus caelo tollebat non ſine votis;
Atque aliquis ſic, celſa tuens convexa, precatur.
Da, pater, Ajaci faveat ſors, aut Diomedi,
Aut regi, ditis qui geſtat ſceptra Mycenes.
Haec ille: at ſortes agitabat Neſtor, utraque
Rite manu quaſſans galeam. ſors ocyus exit
Optato magni Ajacis. quam praeco per omnem,
Exorſus dextra, coetum circumtulit; ibat
Uni & cuique ducum oſtendens: haud annuit ullus
Oſtenſae, donec perventum eſt denique ad ipſum,
Illam qui galeae injecit Telamonius Ajax.
Is dextra oblatam porrecta excepit, ovanſque
Agnovit; tum deinde pedes abjecit ad ipſos;
Atque ait: O ſocii, mea ſors haec. pectore toto
Laetor, & eximiam ſpero, victo Hectore, laudem

Homer. v. 193. V La-

Laturum actutum. vos, dum fulgentibus armis
Cingor ego, auxilium ſummo ab Jove poſcite votis
Clam tacitis, audire queat ne Troica fuſas
Turba preces; vel voce palam, ſi tollere vocem
Forte placet; metuo nec quenquam. robore nemo,
Armorumve uſu melior me pellat. egentem
Non ita me, ſpero, virtutis, non ita belli
Progenuitque aluitque rudem Salaminia tellus.
Haec ait ille: Jovem certatim in vota vocabant
Grajugenae; atque aliquis ſuperas haec fudit ad auras:
Jupiter, Idaeo late de vertice rerum
Cuncta tuenſque, regenſque, Ajax da victor opimam
Ut referat laudem; ſin Hectora diligis aeque,
Da vires, aequam da partem laudis utrique.
Haec illi ad caelum jactabant. aere coruſco
Interea ſeſe armabat Telamonius heros.
Omnia qui magnis poſtquam artubus induit arma,
Proceſſit, qualis gradiens Mars bella virorum
Saeva petit, quorum veſanae Jupiter altus
Rixae dementi ſuccendit corda furore.
Talis ſeſe infert campo Ajax, murus Achivûm,
Terribili ridens vultu; greſſuque ſuperbo
Arduus ingreditur, dextraque immane coruſcat
Telum audax. omnes quo viſo gaudia Graji
Laeta ſinu cepere: alto concuſſa pavore
Trojugenis at membra tremunt. expalluit ipſe
Hector, corda micans tremefacto in pectore: pugnam
Defugere at cupidum prohibet pudor, inque ſuorum
Abdere ſeſe agmen; primus qui ſcilicet hoſti
Obtulerat ſeſe, cuivis certare paratus.
Jamque adeo teli ad jactum pervenerat Ajax,
Scutum ingens, vaſtae ceu propugnacula turris

v. 219.

Ampla, ferens, tauri ſutum ſeptemplice tergo,
Atque aere inſtratum ſolido; quod fecerat olli
Cultor Hylae ſolers Tychius, multa inclytus arte.
Hic ſeptena boum compegit pinguia terga,
Textum ingens lamna ſuper & contexit ahena.
Quo tum heros clypeo protectus pectora magnum
Magnus Priamiden contra ſtetit; atque ita fatur.
Nunc ſolus ſoli congreſſus noſcere tandem
Incipies, proceres quanto ſint robore Achivi,
Dempto etiam Aeacida; torvo qui corda leoni
Par adverſa virûm rumpebat pectora ferro.
Is nunc ad naves jacet altas, bellaque vitat
Atridae iratus: tecum certare parati
Heic ſumus at multi numero. ſed confere dextram.
Hector deinde jubam concuſſo vertice quaſſans:
O dîs orte Ajax Telamonie, ductor Achivûm,
Ne, mollem ut puerumve, rudemve ad bella puellam,
Me magnis terre verbis, vultuque minaci.
Novi & ego pugnaſque virûm, caedeſque cruentas,
Et clypeum motare levem dextra, atque ſiniſtra
Impiger, ac longum belli durare laborem;
Et pugna novi Martem oblectare pedeſtri;
Novi & equis, rapidoque hoſtes invadere curru.
Nunc tamen haud arte aggrediar confiſus, & aſtu,
Te talem, tantumque; palam ſed figere acutum
Conabor jaculans adverſo in pectore telum.
Haec fatus, magna longam vi conjicit haſtam.
Quae ſolidam ad clypei molem ſeptemplicis, oras
Et ſuperinducti ſtridens pervenit ad aeris;
Fulgentem & lamnam, taurinaque terga ſub aere
Sena ſubit; ſepteno hæſit tergo aenea cuſpis.
Dehinc haſtam jacit ingentem Telamone creatus,

Hectoreique orbem clypei ferit: haſta micantem
Per clypeum, atque moras loricae tranſit, & ima
Adverſam rumpit tunicam juxta ilia: at Hector
Inflexo nigram vitavit corpore mortem.
Continuo evelluntque haſtas, & cominus ambo
Congreſſi pugnam invadunt: in monte leones
Impaſti ceu cum pugnant, aprive frementes
Inter ſe incurſant membrorum robore freti.
Priamides ſcutum in medium dextra impulit haſtam,
Aera nec, inflexa retrorſum cuſpide, rupit.
Aſt Ajax contra vi concitus adſilit; orbem
Et clypei ſummum tranſverberat abjete longa,
Concuſſitque artus, repulitque immane frementem,
Cervici & ſtrictim vulnus tulit: ater at alte
Emicuit, corpuſque cruor perfudit, & arma.
Nec tamen exceſſit pugna conterritus heros;
Saucius at retulitque pedem, terraque molarem
Ingentem, ſcabrum, nigrum alte ſuſtulit, inque
Umbonem Ajacis medium dextra impulit. ictu
Fulmineo horrendum ſonuerunt aerea texta.
Inde Ajax longe majori pondere ſaxum
Corripuitque, manuque rotans intorſit adactum
Viribus immenſis; ſcutumque infregit, & infra
Diſſolvitque genu, ſcutoque haerente, ſupinum
Stravit humi. ſtratum confeſtim at magnus Apollo
Erigit ipſe manu attollens. Invadere pugnam
Cominus ergo aliam ſtricto mucrone parabant:
Ni, Jovis atque hominum celeres ad juſſa miniſtri,
Veniſſent ſubito praecones, alter Achaeus,
Tros alter, cordati ambo, rerumque periti
Idaeuſque, & Talthybius; qui ſceptra gerentes
Intulerunt ſeſe in medios; conſultaque condens

v. 277. Mul-

Multa animo ſapiens Idaeus talibus infit:
Jam cohibete iras, ſaevae jam parcite pugnae.
Aeque ambos amat aetherei rex altus Olympi:
Ambo eſtis bello egregii; quod novimus omnes:
Noxque inſtat propior: ſacrae par cedere nocti eſt.
Huic Ajax: Idaee, iſtud fac poſtulet Hector.
Ille prior Grajûm primoribus obtulit audax,
Magna voce vocans, pugnam; ſecedat ab armis
Ille prior; ſequar exemplum facilisque volenſque.
Haec ait. aſt Hector: Quando, inquit, dî tibi molem
Corporis eximiam tribuere, ac robur, & ingens
Conſilium, virtute omnes & vincis Achivos;
Pugna, hodie juſſi procul hinc cedamus, omiſſa.
At congreſſi iterum certabimus uſque, dabit fors
Dum mortem alterutri, ſperatae aut praemia laudis.
Sacra ruit jam nox: nocti parere neceſſe.
Tu Grajoſque hilara cunctos, caroſque ſodales
Praecipue, naves rediens hinc ſoſpes ad altas:
Urbem at ego ingreſſus patriam moerore, metuque
Exſolvam longo Troaſque, ac Troadas, ultro
Laeta ferent pro me coetu qui ſacra frequenti.
Ampla, age, nunc inter nos demus dona viciſſim;
Ut Troum, Danaûmque aliquis miratus: acerbis
Hi, dicat, pugnamque animis geſſere, dirempta
Et pugna, poſuere odium ſibi mutua juncti.
Sic ait; argentoque enſem fulgente decorum,
Vaginamque, aptiſque dedit retinacula loris.
Ajax purpureo contra dat murice balteum.
Poſt, ubi digreſſi, Grajûm Telamonius Ajax
Ad populum; Troum ad turbam Priameïus Hector
Se tulit. hi reducem laeti clamore ſecundo
Excepere; virumque affuſi ad moenia ducunt,

v. 308.

Aja-

Ajacis magni e manibus jam, vique receptum
Soſpitem ab indomita; quem fata extrema putarant
Proſtratum durae non poſſe evadere mortis.
Nec minus Ajacem Graji comitantur euntem,
Et magni ducunt celſa ad tentoria Atridae
Victorem, laetumque animi, vultuque fatentem
Gaudia. Quo poſtquam denſi venere, deorum
Quinquennem regi taurum Pelopeïus heros
Mactat ſacra ferens. tergus cui Martia pubes
Deripit; ingentemque ſecant in fruſta. paratis
Quae rite in verubus figunt, torrentque, trahuntque,
Lancibus & ſacris imponunt. inde frequentes
Ordine conſidunt, dapibuſque epulantur opimis.
Ajaci Atrides tergum bovis obtulit ultro
Ipſe manu, eximioque virum dignatus honore eſt.
Poſtquam exempta fames, epulaeque, & vina quierunt,
Incipit haec Neſtor ſapienti corde, datiſque
Dudum conſiliis clarus, quae nempe fuiſſe
Optima ſucceſſus Grajis oſtenderat ipſe:
Atride, atque alii proceres, non parvus Achivûm
Stratus morte jacet numerus; quorum, vada propter
Xanti, purpureo perfudit ſanguine terram
Mars ferus: atrum animae triſtes abiere ſub Orcum.
Cras tu igitur, cum prima diem mortalibus almum
Lux referet, bello cupidos certare coërce
Grajugenas. plauſtris congeſta cadavera bubus
Interea, muliſque vehentes, litore in ipſo
Uremus, curvis non longe a navibus; oſſa
Ut ſervata domum poſſint, dulceſque referri
Ad gnatos, patrias cum divi ſolvere ad oras
Annuerint. multo cunctis commune ſepulchrum
Praeterea extolli placet aggere, torrida propter

v. 335.

Bu-

Buſta, ſuper campo: turres placet inde locari
Aërias juxta, ratibuſque, viriſque paratum
Tutamen dubios ad caſus; aptaque in ipſis
Limina portarum, poſſint qua erumpere currus;
Et foſſam, egeſta circum tellure, per orbem
Exterius magnam duci, curruſque, viroſque
Arceat ut quondam, veniant ſi Marte ſuperbi
Trojugenae, cladem que parent inferre carinis.
Haec ſenior. proceres cuncti una dicta probarunt.
Parte alia Teucri, coetu ſuper arce coacto
Iliaca, ſummis regni de rebus habebant
Conſilium ante fores Priami, trepidique tumultu
Ingenti circum regalia tecta fremebant.
Quos inter ſapiens Antenor talia fatur:
Troës, Dardanii, ſociique, haec, dicere quae nunc
Eſt animus, faciles audite o mentibus aequis:
Actutum Atridis Helenam, & quaecunque Mycenis
Extulit huc veniens, reddi placet omnia. rupto
Foedere, bella, viri, gerimus, dira, impia. rerum
Utile nil fiet, dìs contra obſtantibus, unum
Hoc niſi fit, quod fas omne, ac jura omnia poſcunt.
Haec coetu in medio Antenor; tacituſque reſedit.
Tum ſurgit contra Paris, atque ita turbidus infit:
Iſta mihi, Antenor, quod noſti haud grata, profaris;
Cum tibi non deſit melior ſententia, mente
Quam premis in tacita. quod ſi, quae voce locutus,
Mente probas, ſanam abſtulerunt tibi numina mentem.
Nunc & ego, quae certa animo ſententia ſedit,
Expediam paucis. Uxorem (ambage remota
Edico) nunquam reddam: rerum omnia, ab Argis
Quae tulimus, reddamque volens, atque inſuper addam
Largus opes alias de re patriaque, meaque.

v. 364.

Haec

Haec poſtquam eſt fatus, conſedit. Protinus alta
Dardanides Priamus divis par mente profatur,
Has placido ſenior fundens de pectore voces.
Troes, Dardanii, ſociique, audite loquentem
Me taciti, dum, quae menti eſt ſententia, promo.
Nunc coenam ſibi quiſque paret per caſtra, labantes
Et victu revocet vires: tum deinde ſub armis
Excubet ante urbem, ſervans quae nocte tuenda.
Cras primo ad curvas Idaeus mane carinas
Hinc eat; Atridaeque, Paris quae ſentit, utrique
Nuntiet; ac ſapiens idem ſermone diſerto
Hortetur, bello abſtineant, pugnaeque tumultu
Horriſono, campis donec proſtrata virorum
Corpora multa queant tollique, ignique cremari.
Inde iterum duri gliſcent certamina Martis,
Dum ſors ipſa acies commiſſas diſtrahat, & dum
Armorum, bellique ferat victoria finem.
Haec ſenior; dictis cuncti aſſenſere, dapeſque,
Ut juſſi, curant paſſim per caſtra, coacti
In turmas. Mane Idaeus tentoria Grajûm
Celſa petit; nactuſque viros Agamemnonis altam
Ad puppim, ſtetit in mediis, ac talia fatur:
Atridae, Grajûm & proceres, audire loquentem
Ne pigeat, quae me Priamus, Trojanaque fari
Gens jubet; ipſe Paris, caput exitiale malorum,
Quae vobis mandata ſuo vult nomine ferri.
Quidquid opum Trojam Grajis advexit ab oris,
(Atque utinam in mediis eſſet prius obrutus undis)
Reddet; multa addet de re patriaque, ſuaque
Praeterea. uxorem Menelao at reddere forti
Velle negat. Troës fruſtra hortanturque, rogantque.
Illi etiam hoc dici mandarunt: ſtrata virorum

v. 393.

Cor-

Corpora num placeat tollique, ignique cremari?
Inde iterum ſaevo decernere Marte licebit,
Dum fors ipſa acies commiſſas diſtrahat, & dum
Armorum, bellique ferat victoria finem.
  Sic ait. illi autem taciti converſa tenebant
Ora inter ſeſe. mens cura fluctuat intus
Ancipiti. Haec tandem eſt Diomedes voce locutus.
  Nemo Helenam, quaecunque Paris vel munera ſpondet,
Accipiat. nam quis tam ſtultus non videt urbi
Dardaniae extremam jam fato inſtare ruinam?
  Talia Tydides: cuncti aſſenſere loquenti,
Veram & concordi vocem clamore probarunt.
  Tum ſic Idaeum alloquitur Pelopeïus heros:
Idaee, heic quid opus verbis? tu ſcilicet ipſe
Audis quid placeat Grajis; ſententia diſcors
Nec mea communi pugnat. Sed corpora vita
Functa uri haud equidem invideo: decet igne cremari,
Nanciſci & rapidas funeſta cadavera flammas.
Fide: Jovem teſtor, qui foedera fulmine ſancit.
  Sic ait; atque manu ad ſuperos ſceptrum extulit omnes.
Nec mora, Trojanas Idaeus fertur ad arces.
Qui ſimul ac venit, Troeſque, ac Dardana pubes
Denſi ubi concilio in magno de more ſedebant,
Illius optantes reditum; reſponſaque Graji
Rettulit in medio ſtans regis; turba ſoluto
Se coetu accingit, pars tollere corpora plauſtris,
Pars rapta nemus antiquum populare bipenni.
Nec minus & Danai, digreſſi puppibus altis,
Feſtinant ſocios alii aſportare jacentes,
Denſam alii ferro certatim evertere ſilvam.
  Jamque adeo, Oceani linquens vada lene fluentis,
Sol caelo intulerat ſeſe, campoſque profuſis

Homer. v. 422.

Digitized by Google

Figebat late radiis, & florea rura.
At Grajûm inter ſe paſſim, Troumque catervae
Occurſant, campis & mixtae impune vagantur.
Nec facile agnoſcunt confuſa in caede ſuorum
Ora prius, quam tabo atros, & pulvere multo
Membra ſuper tectos, hauſtis de flumine lymphis,
Abluerunt. Tum quiſque ſuos flens aggerat altis
Impoſitos plauſtris. luctu indulgere vetabat
Trojugenas Priamus: taciti dant corpora flammis
Mixta catervatim. quae cum vento incitus ignis
Cuncta hauſit, lento rediere ad moenia greſſu.
Parte alia triſtes uſſerunt corpora Graji,
Perfunctique opere, ad naves & caſtra redibant,
Poſtquam ſera rubens accendit lumina veſper.
Nondum etiam Oceanum ſupra formoſa rubebat
Surgens caeruleis Aurora e fluctibus: aurae
Subluſtri incipiunt cum primum albeſcere nocte.
Tum ſtrato delecta manus conſurgit Achivûm,
Atque pyram circa ingentem ſtruxere ſepulcrum
Ingens, effoſſo coacervatum aggere, cunctis
Quod commune foret; murum & duxere; locarunt
Aërias juxta & turres, ratibuſque viriſque
Tutamen dubios ad caſus, aptaque in ipſis
Limina portarum, poſſent qua erumpere currus;
Et foſſam egeſta circum tellure per orbem,
Et denſos duro fixerunt robore vallos.
Haec animis opera urgebat certantibus inſtans
Confertim juſſu pubes Argiva labori.
Dî, Jovis in magni domibus de more ſedentes,
Adſpectuque haerent defixi, & ſurgere tantas
Mirantur ſubito moles. quos inter, ab imo
Qui terram quaſſat, Neptunus talia fatur:

v. 445.

Ju-

Jupiter, & quis erit poſthac mortalis in orbe
Toto uſquam, exquirat qui mentem & fata deorum
Ante, manum admorit quam coepto cuilibet? en ut
Argivi murum ingentem ſtruxere, carinas
Qui tegat, immani foſſa & cinxere, nec ulli
Sacra prius fecere tamen ſolemnia divûm.
Scilicet hic murus fama ut praeſtante feratur
Per gentes late varias, quaſcunque videt Sol;
Amplius at nuſquam memorentur moenia Trojae
Alta,* meo quondam, Phoebique exſtructa labore.
Talia Neptunus; fratrem ſed vana querentem
Jupiter increpuit: Tene iſtaec, magne tridenti
Horrendo terram quatiens Neptune, timere;
Quae multo inferior manibuſque, animiſque deorum
Vix aliquis metuat? ſtabit tibi gloria late
Inconcuſſa omnes claro ſub Sole per oras.
Quin age, cum patrias Danaûm gens ibit ad urbes
Pandens vela Noto, murum tu disjice, & altos
Merge, undis hauſtum, ſub fluctus; litus arena
Totum ſterne ſuper, nuſquam ut pars ulla ſuperſit,
Disjecti reſtent nuſquam ut veſtigia muri.
Haec ſuperi: occiduas Titan ſe merſit in undas,
Septaque murorum jam ſtructa in litore ſtabant.
Tum Danai curantque dapes, mactantque juvencos,
Quiſque ſua ingreſſus tentoria. litora complent
Advectae Lemno portantes vina carinae,
Miſerat Euneus quas cretus Iaſone, regi
Aemonio peperit quem Lemnias Hypſipylea.
Mille cados miſit, munus memorabile, Atridis.
Quod ſupereſt, Grajûm proceres, vulguſque parabat,
Quiſque ſibi, ferro ſplendente, aut pellibus, aere
Aut fulvo, aut bobus, vel captis Marte virorum

* v. 475.

Corporibus: multoque hilarant convivia Baccho,
Atque epulis ſeram in noctem veſcuntur opimis.
Nec minus & Troes, ſociique epulantur in urbe.
Queis diram tota rex cladem nocte parabat
Jupiter, uſque tonans horrendum. pulſa micabant
Corda metu, pallorque viris infecerat ora.
Vina ſolo e cyathis ſundebant; atque liquorem
Lenaeum eſt auſus nemo guſtare prius, quam
Magnanimo invergens libaſſet rite Tonanti.
Inde ineunt thalamos, ac ſternunt membra ſopori.

v. 482.

HOMERI ILIADOS

LIBER OCTAVUS.

PUlchra, mari crocea ſurgens in veſte, per omnes
Fundebat ſeſe terras Aurora: deorum
Summo concilium caelo regnator habebat.
Cuncta ſilent: ſolio ex alto ſic Jupiter orſus.
  Huc aures cuncti, menteſque advertite veſtras,
Dîque, deaeque, loquar dum, quae fert corde voluntas.
Dicta probate omnes; neve hinc praecidere quiſquam
Speret poſſe aliquid, ſeu mas, ſeu foemina. Si quis,
Auxilio veniens dura inter praelia, Troas
Juverit, aut Danaos, foede remeabit Olympum
Saucius: arreptumve obſcura in Tartara longe
Demittam ipſe manu jaciens; immane barathrum
Alte ubi ſub terram vaſto deſcendit hiatu,
Orcum infra, quantum jacet infra ſidera tellus:
Aere ſolum, aeterno ferri ſtant robore portae.
Quam cunctis melior ſim dîs, tum denique diſcet.
Quin agite, atque meas jam nunc cognoſcite vires.
Ingentem heic auro e ſolido religate catenam;
Deinde manus cuncti validas adhibete, trahentes
Ad terram: non ulla fuat vis tanta, laborque,
Caeleſti qui ſede Jovem deducere poſſit:
Aſt ego vos, terramque, & magni caerula ponti
Stagna traham, dextra attollens, & vertice Olympi
Suſpendam: vacuo pendebunt aëre cuncta.
Tantum ſupra homines mea vis, & numina ſupra eſt.
  Jupiter haec: taciti muſſant dî, duraque ſecum

v. 28.

Patris dicta omnes tremefacto in corde volutant.
Fulgentes tum pulchra oculos Tritonia Pallas:
  O pater, o divûm regnator ſumme, docere
Deſine. quam praeſtes invicto robore ſcimus
Caelicolae jamdudum omnes, ultroque fatemur.
Sed gentis miſeret Danaûm: quae clara ſecundo
Marte olim, fatis nunc contra urgetur iniquis.
At (quando ſic, magne, jubes) abſiſtere pugna
Certum eſt: conſilio tantum prodeſſe fideli
Sit fas; irato ne te gens omnis ad unum
Occidat, extremamque trahat prolapſa ruinam.
  Olli ſubridens placido rex pectore: Fide,
Fide meus, dixit, ſanguis Tritonia; mitis
Nam tibi ero, haud miti quanquam haec ſum mente locutus.
  Tantum effatus, equos duci jubet; atque volucri
Aeripedes jungit curru, flavaque comantes
Colla juba: ipſe humeris auro thoraca rigentem
Induit, &, curru exceptus fulgente, flagello
Admonuit bijugos. rapido per inania curſu
Terram illi caelumque inter fugere volantes,
Idaeum ad montem donec, nemoroſaque ventum eſt
Gargara; ubi liquidi fontes, ubi denſa ferarum
Luſtra horrent, lucuſque deo ſacer, araque luco
In medio jam thure pio, jam floribus halat.
Heic pater omnipotens multo ſudore madentes
Solvit equos, totumque atra caligine montem
Involvens, nimbo ipſe caput circumdatus aureo,
Reſtitit, aërioque ingens in vertice ſedit;
Dardaniam unde urbem, claſſem unde inſpectat Achivam.
  Jam trepidi, ſua quiſque intra tentoria, Graji
Inſtaurant victu vires, pugnaeque parant ſe.
Nec minus interea diverſa in parte juventus

v. 55.

Dar-

Dardana collucens Phrygiis ſulgebat in armis;
Inferior numero: tamen & committere pugnam,
Et certae fidens animi ſe opponere morti.
Urget enim res dura, omnes invadere dulci
Pro lare, pro gnatis, cara pro conjuge caſus.
Panduntur portae; varioque in bella ruentum
Aura ſonat fremitu: promunt ſe moenibus altis
Certatim turmaeque equitum, peditumque phalanges.
Jamque adeo oppoſitis Martem invaſere maniplis;
Congreſſaeque amborum acies denſantur; & haſtae,
Enſeſque, clypeique una, & thoraces aheni
Concurrunt flictu ingenti: fragor aethera complet.
Caedentum laetae voces miſcentur in unum
Cum gemitu miſerorum, extrema in morte dolentum:
Tela madent, largo tepefacta eſt ſanguine tellus.
Sic geminae adverſis, dubio in certamine Martis,
Ordinibus tendunt acies: hinc ferreus imber
Ingruit, atque illinc: ſternuntur fortia leto
Corpora. longum anceps haeſit victoria, ab ipſa
Aurora, medium donec Sol contigit axem.
Tum pater auratas, aequato examine, lances
Suſtulit ipſe manu magna; diverſaque fata
Hinc Grajûm, hinc Troum impoſuit. Grajûm ocyus almam
Ad terram fluxere, leves abiere ſub auras
Fata Phrygum. poſt haec frondoſa clarus ab Ida
Horrendum intonuit; Danaûmque ſub ipſa coruſcum
Agmina contorſit fulmen. videre cadentis
Fulgorem attoniti, turbatique omine: mentes
Dejectae, verſique atra formidine vultus.
Heic non Idomeneus, non Grajûm ductor Atrides,
Non gemini Martis comites, duo fulmina belli,
Ajaces manſere loco; ſed tuta capeſſunt

v. 79.

Caſtra fuga. Danaûm tutela, Gerenius omni
E numero Neſtor ſaeva inter praelia ſolus
Reſtitit, ille quidem cupiens dare terga; tenetur
Sed tardo invitus curru. nam forte ſagitta,
Dius Alexander valido quam miſit ab arcu,
Haeſit equo fronte in ſumma, qua proxima leto
Eſt via, ſubjectoque inſedit fixa cerebro.
Tollit ſe arrectum, canthoque involvitur aereo,
Et ſocios conſternat equos. abjungere curru
Quem cupiens, trepidus ſtricto dum lenta ſecabat
Ferro lora ſenex, contra Mavortius Hector,
Acer equis auriga, adverſa ex parte ruebat
Turbam inter, fremitumque virûm. Miſerande, jaceres
Iliaco, Neſtor, campo, Tydeïus heros
Ni foret auxilio. magna qui voce vocatum
Increpuit Laërtiaden: Sate ſanguine divûm,
Conſiliis, Laërtiade, bonus auctor, Ulyſſe,
Quo fugis, ignavoſque inter das cernere inerme
Dorſum hoſti, tergo dum foede inſederit haſta?
Siſte gradum, pariterque ambo ſervemus amicum
Neliden; veniens quem jam premet, ocyus ambo
Ni ſumus auxilio, ſaevumque repellimus, Hector.
Sic ait: aërias non exaudita per auras,
Dicta volant. rapido non ſecius ille ruebat
Quippe cavas curſu ad naves, ac tuta petebat.
Ergo heros currum denſa inter milia ſolus
Impulit; & primam ante aciem ſtetit acer in armis
Pro ſene; quem blandus verbis compellat amicis:
O pater, haec duro bellatrix Marte juventus
Te premit, invictum quondam; nunc pigra ſenectus
Debilitat; fortis tibi non auriga, jugales
Non pedibus celeres nunc adſunt. en age, currus

v. 104.

Scan-

Scande meos: rapidis noſces pernicius Euris
Ut campo volitent bijugi, quos victor ademi
Dardanio Aeneae. quin iſtos linquimus ergo
Curandos famulis, noſque his invadimus hoſtem?
Tu ſenior cape lora manu; jam ſentiet Hector,
Inque mea veſana manu bacchetur an haſta.
  Sic ait ille; ſenex dictis non abnuit. ergo
Neſtoreos curant bijugos, regumque capeſſunt
Juſſa citi Sthenelus cum magnanimo Eurymedonte.
Tydidae currum Neſtor conſcendit; & ipſe
Tydides. Neſtor manibus tum cepit habenas,
Verberaque inſonuit: curſu fugere volucri
Alipedes; dicto & citius torvum Hectora juxta
Advenere. petit miſſa quem protinus haſta
Ardentemque oculis, curruque adverſa ruentem
Tydides. illum ſtridens haud contigit haſta,
Fixit at, in pectus juxta delata papillam,
Magnanimi prolem Thebaei Eniopea,
Aurigam, famulumque. immani vulnere ab alto
Volvitur excuſſus curru; lapſuſque fragore
Terret equos, retro ſubita formidine verſos,
Et dulcem exſpirat, reſoluto robore, vitam.
Indoluit rapto auriga Priameïus heros,
Et cari fato ingemuit ſub corde, ſodalis.
Quem ſtratum liquit tamen atro in pulvere, quaerens
Acrem animis alium, poſſet cui credere currus.
Continuo eſt nactus praeſtantem robore, & omnes
Audacem ad caſus, dubiique pericula Martis,
Iphitiden Archeptolemum; quem ſcandere currum
Ocyus, atque datas moliri juſſit habenas.
  Heic magnam Teucri cladem, dirumque ſubiſſent
Exitium, pecudum ritu intra moenia pulſi.

Homer. v. 130.

Lumina ni advertens divûm pater, atque hominum rex,
Palantes caeli ſumma vidiſſet ab arce.
Qui dirum ſubito intonuit, magnaque coruſcum
Intorſit fulmen dextra, terramque ſub ipſis
Percuſſit Diomedis equis: tum, ſulfure late
Accenſo, horrendum ſe fundens flamma reluxit.
At conſternati curru cecidere ſub alto
Cornipedes. fugere omni variata lepore
Neſtoreis lora e manibus; conterritus ipſe
Corde ſenex pavido, Diomedem affatur; &, hinc te
Proripe, ait, Tydide; & equos ad litora verte,
Dum licet. iratus laudem negat ille deorum
Nam pater. huic hodie dexter favet: cum volet, idem
Poſt decus & nobis magnum feret; ulla virorum
Nec potis eſt ſummo virtus pugnare Tonanti.
  Haec Neſtor: contra Tydides: vera profecto
Iſta, ſenex: mihi corde dolor ſed triſtis in imo
Ardet. Trojugenas inter nam verba frequentes
Cum faciet, ſeſe jactans hoc improbus Hector
Dicet: Me viſo, Diomedes tuta petivit
Caſtra metu fugiens tremefactus. terra dehiſcat
Tunc mihi, & indecorem Stygias demittat ad umbras.
  Talia Tydides: contra Neleïus heros.
Nam quid ais, magni proles fortiſſima Tydei?
Nec dicet, nec, te ignavum ſi dixerit Hector,
Dardanidis, Teucriſque fidem, Troumque pudicis
Conjugibus faciet, quarum atro in pulvere fortes
Marte tuo domiti nuper jacuere mariti.
  Sic ait; inque agmen fugientum protinus egit
Cornipedes. Teucri telis, magnoque ſequuntur
Clamore. ante omnes criſta caput hirtus equina
Magnis Tydiden ſic vocibus increpat Hector:

v. 160.

Tydide, eximio Graji te ſemper honore
Ante alios coluere ſedilique, & dape multa,
Pluribus & vini cyathis: nunc temnere contra
Incipient mollem, muliebri & more timentem.
I, pavida, imbelliſque, fugaxque puella. nec arcem
Pergameam ſcandes, me victo; Troadas altis
Nec duces captas in puppibus. ante peremptus
Nanque mea triſtes dextra mittere ſub umbras.
Talia Priamides jactabat. fluctuat intus
Ille anceps, pendetque animi, num rurſus in hoſtem
Vertat equos, atque arma furens ferat obvia contra.
Ter cura haec mentem ſubiït, ter magnus ab Ida
Jupiter intonuit laetum pugnantibus omen
Trojugenis. altum quos clamans incitat Hector.
O Troës, Lyciique, & pubes Dardana, nunc, nunc
Eſte viri, atque animos, validaſque expromite vires.
Ipſe mihi altitonans pugnae dat ſigna ſecundae
Jupiter, & laudem ſpondet; certumque minatur
Exitium contra Danais. qui moenia ſtulti
Struxerunt malefirma, labantia; ſiſtere quibunt
Quae proſtrata meum nec parvo tempore robur.
Aſt humilem ſaltu foſſam pernice, labore
Tranſilient nullo alipedes. Dehinc litora poſtquam
Attigero, curvas & puppes, tunc memor eſto
Ignem aliquis, rapidaſque faces inferre. cremabo
Actutum naves, pubemque in navibus, atro
Deprenſam fumo involvens, nigraque favilla.
Sic ait; hortaturque ſuos in bella jugales:
Xante, Podarge, Aethon, invicto & robore Lampe,
Nunc multam grati memoreſque rependite curam,
Et fruges, & vina, manu quae apponere vobis
Ipſa ſua large, magni genus Eetionis,

v. 188.

Andromache ſolita eſt prius, ipſi quam mihi; juncta
Cui thalamo eſt, quo ſe felicem conjuge dicit.
Ite, agedum, celerate alacres, praedemur ut illum
Nelidae clypeum, quem late didita fama
Eſſe auro totum e ſolido fert intus & extra;
Detractumque humeris leto ſtrati Diomedis
Dedaleum thoraca, opus admirabile, telis
Indomitum Aetnaeo quem duxit Mulciber igni.
Quae capere annuerit ſi Fors, hac nocte carinas,
Spero equidem, Graji conſcendent, velaque retro
Verſa dabunt ventis. vana ſpe turgidus Hector
Talia clamabat: cum Juno exarſit in iras;
Atque caput quaſſans, ſolium, quo forte ſedebat,
Auratum, ſedeſque alti concuſſit Olympi.
Tum ſic Neptunum, furiato pectore, magna
Magnum diva deum alloquitur: Neptune, frementis
Late qui pelagi das jura tridentifer undis,
Necdum etiam Danaûm miſeret, quos clade perire
Indigna immeritos cernis? nec munera menti
Nunc ſubeunt, quae multa tibi, multoque lepore
Structa ferunt toties Helicenque, Aegaſque. viciſſim
Tu molire aliquid, quo vincant denique Graji.
Argivis quotquot nam dîque, deaeque favemus,
Si ſtudio Troas concordi urgere velimus,
Atque Jovem unanimes cohibere immane furentem,
Nae ſolus viridi reſidens triſtetur in Ida.
Sic ait: irata Neptunus voce ſororem
Increpuit: Quae verba iſtaec, veſana, locuta es?
Non me, non divûm quenquam pugnare Tonanti
Fas eſt: ille omnes unus nam viribus anteit.
Haec inter ſeſe alterna dum voce loquuntur
Neptunus pater, & Juno, jam, quidquid ab altis

v. 212.

Pup-

Puppibus, & muro campi complexa coërcet
Foſſa ingens, totum Danai magis & magis uſque
Complebant, curruſque ſimul, clypeataque pubes
Denſa virûm ſeſe miſcenſque urgenſque. favore
Summi laetus enim Jovis Hector, Marte cruento
Haud minor, anguſtum cunctos concluſerat arctans
In ſpatium. Ille adeo rapto ferus igne carinas
Ureret, Atrides, monitu Junonis amicae,
Ni celer hortari pavidos coepiſſet Achivos.
Ille inter puppeſque, alta & tentoria, dextra
Purpuream geſtans chlamydem, volat ocyor aura;
Celſam Ithaci & ſcandit puppim, quae litore ſtabat
In medio, audiri longe ut vox poſſet utrinque,
Et qua parte Ajax, & qua tendebat Achilles;
Extremi, validis confiſi viribus ambo,
Et virtute, ſuas qui ſubduxere carinas.
Huic inſtans clamore omnes ciet acer Achivos:
Pro pudor! o ſpecie mirandi, o rebus inertes
Argivi! quo nunc illa ingens gloria, quo tot
Magnaque verba, minaeque acres abiere? ferebat
Quiſque etenim ſe laude olim ſuper aſtra; juvencis
Cum Lemno in ſacra caeſis, epulaeque vigebant
Scilicet, ac multo fervebant pocula Baccho.
Quiſque parem bello centenis, atque ducenis
Nam fore ſe Teucris jactabat. ſolus at omnes
Nunc terretque, fugatque Hector: mox inferet ignes,
Exuretque cavas, nullo prohibente, carinas.
Magne deûm rector, quem tanta clade potentum
Afflixti regum? cui tanta eſt gloria, tantum
Et decus ereptum? nuſquam tamen ulla tuarum
Ara mihi, haec triſti cum fato ad bella venirem,
Praeterita eſt puppi, ſtruerem quin pinguia large

v. 240.

Exta ſuper, cupiens evertere moenia Trojae.
At nunc, o genitor, ſaltem concede roganti
Hanc veniam, extremae ſaltem nos eripe cladi,
Neu ſinito Argivos Phrygio ſub Marte domari.
 Talia jactabat lacrimans. at Jupiter alto
Annuit oranti caelo, magnoque levavit
Moerorem augurio miſerans; rebuſque ſalutem,
Urgentiſque fugam leti portendit Achivis.
Quippe aquilam, qua nulla volat praeſtantior ales,
Demiſit cervae celeris curvo ungue tenentem
Hinnuleum. hunc veniens aram dejecit ad ipſam,
Sacra ubi fatidico ſuerant ſolemnia Graji
Ferre Jovi, in dubiis oracla & poſcere rebus.
 Hi poſtquam augurium laeti agnovere ſecundum,
Atque Jove a magno miſſam ſenſere volucrem,
Exarſere alacres ad pugnam, atque agmine denſo
Arma fremunt, teliſque inceſſunt eminus hoſtem.
Nemo tamen Grajûm certatim in bella ruentum
Jactavit ſeſe celereſve agitaſſe jugales,
Foſſarumve moras tranſiſſe, atque obvia Troum
Armis arma tuliſſe prius magno Diomede.
Ille dedit leto quaſſantem in vertice criſtas
Princeps Phradmoniden Agelaum. huic, territus, amens
Dum fugit, ac retro laxatis fertur habenis,
Haſtam humeros inter dorſo defixit, & atro
Per medium exegit madefactam ſanguine pectus.
Corruit exanimis, ſonitum ſuper arma dedere.
Poſt ambo excurrunt, pariterque feruntur Atridae:
Dehinc gemini Ajaces, praeſtanti robore uterque.
Poſt hos Idomeneus, atque armiger Idomeneos
Meriones, Marti magnis par viribus ille,
Atque animis: dehinc Eurypylus Euemone cretus,

v. 265.

Po-

Poſtremus valido Teucer volat inclytus arcu ,
Atque ſub Ajacis clypeum ſubit . ante ferebat ,
Ingentem clypei molem Telamonius Ajax :
Teucer at , e latebra proſpectans , fixerat ictu
Poſtquam aliquem certo media inter milia , dulcem
Ille animam efflabat moriens , ſub tegmen amicum
Hic rediens , puer ut ſub matris veſte , latebat .
Quem primum Teucer Phrygia de gente volucri
Stravit humi telo ? Orſilochum prius omnibus : inde
Ormenon . huic addit comitem magnumque Opheleſten ,
Daetoraque , Chomiumque , & magnanimum Lycophonten ,
Et Polyaemoniden Hamopaona , & Melanippum .
Horum denſa heros dejecit corpora leto .
Quem ſaevo cernens arcu vaſtare phalanges ,
Laetitia exſultans propior ſtetit , atque ita blandus
Affari verbis Atrides coepit amicis :
Teucer , dulce caput , Telamonie , perge ſagittis ,
Perge tuis denſos venari , ac figere Troas ;
Lucem aliquam ſi forte queas affundere Grajis ,
Et patri , qui te primis eduxit ab annis ,
Atque nothum tamen uſque ſuis curanſque fovenſque
In tectis aluit . fac per te clareat abſens
Ille , ſenem & magna ſuſtolle ad ſidera laude .
Hoc tibi ego verax dico , praeſtabitur ipſa
Quod re olim : altitonans mihi Jupiter , atque Minerva
Annuerint vaſtare olim ſi moenia Trojae ,
Prima tibi poſt me tribuam praeſtantia dona ;
Aut tripodem , aut currum inſignem geminoſque jugales ,
Iliadum aut aliquam forma praeſtante puellam .
Talia fatus erat . contra cui Teucer : Atrida
Magnanime , ardentem quid fruſtra incendis ? ut hoſtis
Pulſus nanque pedem retulit ſub moenia , nunquam

v. 295.

Spon-

Sponte mea ceſſo jaculans demittere morti
Corpora multa virûm. prompſi octo tela pharetra;
Belligeri totidem juvenes cecidere volucri
Confoſſi ferro. rabidum at contigere telo
Huncce canem nequeo. dixit, rurſumque ſonante
Impulit ab nervo magno ſtridore ſagittam
Hectora in adverſum: fruſtra; nam flexa, per auras
Dum volat, eximio trans altum Gorgythioni
Pectus iit, Priamo quem candida Caſtianira
Edidit, Aeſyma Trojam deducta, deabus
Aſſimilis. flexa moriens caput acclinavit
Supra humerum cervice, gravi ſub caſſide. pulchrum
Quale ſolet, foetuque olim, vernoque gravatum
Imbre, caput flexiſſe horto in fragrante papaver.
Rurſus mente furens avida petit Hectora; rurſus
Miſſa alio ſedenim (venientem avertit Apollo)
Flexit iter, dirum ſtridens, letalis arundo.
Ergo Archeptolemum, juxta delata papillam,
Hectoreum aurigam, figit, celſoque cruentum
Dejicit e curru. pavidi extimuere fragorem
Horrendum alipedes: vita olli, viſque ſoluta eſt
Una omnis. rapto auriga ingemuit bonus Hector,
Et gravis incubuit menti dolor: attamen illinc
Abſceſſit ſtratum linquens non ſponte ſodalem.
Tum fratrem, nam juxta aderat, conſcendere currus
Cerbionem, & manibus moliri juſſit habenas.
Frater juſſa facit: curru furibundus ab aureo
Deſiluit, ſaxumque heros immane revulſum
Tollit humo, vaſtoque ferens clamore ruebat
In Teucrum. rurſus diram tum forte ſagittam
Prompſerat e pharetra Teucer, nervoque ſonanti
Aptarat, dextraque trahens admoverat ipſi

v. 325.

Mit-

Nervum humero. vulnus cui jam letale paranti
Mittere, partem humeri, ſummo qua pectore cervix
Nectitur, & morti eſt via proxima, perculit aſper,
Hectorea intortus dextra, lapis; atque ſonantem
Dirupit nervum. ſtupuit manus: ille ſolutis
Concidit ad terram genibus; laeva excidit arcus.
Haud tamen oblitus fratrem eſt acerrimus Ajax;
Sed lapſo accurrens ſuperadſtitit, armaque contra
Omnia ſeminecem clypeo ſeptemplice texit.
Sublatum hunc humeris gemini ſubiere ſodales,
Meciſteus Echii proles, ac dius Alaſtor;
Et gemitus rumpentem altos in caſtra reportant.
  Heic iterum Teucris mentem ſaevo ipſe furore
Incendit, vireſque auxit Saturnius. ergo
Ad foſſam rurſus Grajos egere, tumultu
Ingenti retro pulſos. It turbidus Hector,
Atque acie in prima furit efferus, ille Moloſſo
Horrenti ſimilis, magnum qui per nemora alta
Urget aprum fretus pedibus, fortemve leonem;
Clunibus & dentes, coxiſque infigit acutos,
Vertentem ſeſe obſervans. nil ſegnius heros
Urgebatque acer Danaos, verſoque paventis
Tergo inſtans turbae poſtremos caedere nunquam
Ceſſabat. latos capti formidine campos
Tranſmittunt, alto donec ſe condere vallo
Contigit, ac Troas, diramque evadere cladem.
Huc poſtquam illati curvas tetigere carinas,
Inter ſe, trepidi rerum, exhortantur, & ambas
Attollunt cum voce manus; ſibi quiſque vocare
Cuncta nec auxilio ceſſabat numina divûm.
  Hector equos circum diffuſo at crine comantes
Torvus agit, luſtratque aditus; nec Gorgone ſaeva

Homer. v. 349.

Mitior eſt vultum atque oculos, nec Marte cruento.
Haec cernens, Grajûm duros miſerata labores,
Sic celeri Juno compellat voce Minervam:
Nata Jovis magni, Tritonia, ſiccine lentae
Stamus adhuc, Danaum nec fata extrema trahentum
Nos miſeret? quos Parca gravis jam conteret omnes
Unius edomitos manibus; quem nulla furentem
Vis cohibet, miſeris qui tot jam funera ſolus
Intulit. Haec Juno; Pallas cum talia coepit:
Jampridem hic patria putris tellure jaceret
Perditus Argivum telis; veſanus at uſque
Ille meus dirum genitor furit, ac mihi ſemper
Obſtat mente mala, coepti procedere quidquam
Nec ſinit; oblitus, credo, quam ſaepe, labores
Rege ſub Euryſteo duros cum pertulit, olli
Servarim gnatum. magnae qui pondere preſſus
Aerumnae ad caelum plorabat, me pater axe
Miſit ferre viro auxilium, curaeque levamen.
Aſt haec ſi ſciſſem praeſaga mente futura;
Orci cum portas audax intrare, triſaucem
Atque canem eſt ſuperas educere juſſus in oras,
Abſtractum ex Erebo; Stygiam non ille paludem,
Torrenteſque atro fugiſſet gurgite ripas.
Nunc me ſaevus enim pater odit; nunc mihi praefert
Ille Thetin, nymphae ſe indulgens, oſcula fixit
Quae genibus, tetigitque manu quae ſupplice mentum,
Multa rogans gravis ut Danais ornaret Achillem.
Aſt erit, ut rurſus caram Tritonida blanda
Voce vocet, poſcatque operam cum venerit uſus.
Verum age, tu currus, rapidoſque in bella jugales,
Diva, para: ipſa, altum ingrediens penetrale parentis,
Armabor bello; ut noſcam, Priameïus Hector

v. 377.

Quam

Quam leto cernet vultu nos ire phalanges
Per medias, magnoque aciem turbare tumultu.
Certe aliquis Troum pingui mox corpore diras
Paſcet aves, canibuſque feris data praeda, carinas
Ad Danaum duro confoſſus ab aere, jacebit.
  Haec Pallas. dictis paret Saturnia Juno;
Et currus feſtina parat, pulchriſque comantes
Ornat equos phaleris, multo fulgentibus auro.
At Jovis aegiſoni proles, Tritonia virgo,
Greſſa patris celſa in magni penetralia, ſolvit,
Demiſitque ſolo peplum, quod fecerat olim
Ipſa ſuis manibus, mira & variaverat arte.
Dehinc, pater indutus qua caeli nubila cogit,
Circumdans loricam humeris, fulgore micantem
Horrifico, armabat ſeſe ad lacrimabile bellum.
Tum rutilos celeri currus pede ſcandit, & haſtam
Corripit ingentem dextra, validamque, gravemque;
Heroum verſas dira inter praelia turmas
Magnanimo qua diva domat prognata parente.
At Juno bijugis longo regina flagello
Inſtat equis. caeli, nullo impellente recluſae,
Sponte ſua crepuere fores. queis Jupiter Horas
Praefecit, nube admota ſeu claudere apertum,
Amota ſit opus clauſum ſeu pandere Olympum.
Hac divae curru evectae ſe in bella ferebant.
  Quas pater ut ſummo proſpexit vertice ab Idae,
Infremuitque, auroque alas fulgente volucres
Pictam Irin miſit, non mollia juſſa ferentem.
  Iri, ait, i celeri niſu obvia, verte retrorſum
Atque deas, ultraque veta procedere; ne, ſi
Huc veniant, nobis jam foede praelia gliſcant.
Nanque hoc praedico, dictum nec tarda ſequetur

Res etiam . volucres currus frangam igne triſulco,
Evertamque ipſas , nec ſaevo fulmine tactis
Vulnera vel denis quibunt ſanarier annis .
Diſcet , quam deceat patri pugnare , Minerva .
Junoni haud aeque iraſcor ; ſolitum furit illa ,
Sueta meis nunquam non ſeſe opponere coeptis .
  Haec pater : illa levi vacuas pede trajicit auras ,
Atque Idam fugiens alti petit ardua caeli .
Nactaque vix primo ſinuoſi limine Olympi
Egreſſas , tenuit ; Jovis & mandata profatur .
  Quo ruitis , divae , quae mentem inſana cupido
Incitat ? auxilio Argivis nunc ire deorum
Rex vetat ; iratuſque , dabit quae facta , minatur .
Actutum currus franget pater igne triſulco ,
Voſque male evertet : nec ſaevo fulmine tactis
Vulnera vel denis quibunt ſanarier annis .
Diſces , quam deceat patri pugnare , Minerva .
Junoni haud aeque iratus : ſolitum furit illa ,
Sueta Jovis nunquam non ſeſe opponere coeptis .
Exitium , veſana , tibi ſed triſte minatur ,
Haſtam audax patrem incipies ſi attollere contra .
  Haec effata cito longe dea candida niſu
Ceſſit , & aërias fugit delapſa per auras .
  Tum Juno alloquitur moeſtam Tritonida . nec me ,
Nec te , diva , reor , mortalibus arma ferentem
Pro miſeris , nunc velle Jovi concurrere bello .
His vita , his letum contingat , quod ſua cuique
Fors feret : ut libitum eſt diſpenſet fata deûm rex ,
Utque decet , Troum & Danaûm res judicet aequus .
  Haec ait ; alipedes retro at dea vertit Olympi
Aërias rurſum ad ſedes pulchrae ocyus Horae
Excepere deas , & equos ſolvere comantes ,

v. 433.

At-

Atque hos ambroſia plenum ad praeſepe revinctos
Conſtituunt: claris fulgenti marmore currus
Parietibus rite acclinant. in ſedibus aureis,
Caelicolum coetu nullo diſcrimine mixtae,
Conſedere, alto fixae cor vulnere, divae.
  Jupiter Idaeo currus de vertice Olympum
Impulit, atque domos divûm pervenit ad altas.
Cui rutilos frater Neptunus limine in ipſo
Solvit equos, currumque aris admovit, & omnem
Rite operit, tenui circundans carbaſa textu.
At pater aurata de more in ſede locavit
Membra, tuens late gentes; quem ſubter Olympus
Contremuit. Juno hinc, hinc Pallas moeſta, ſedebant
Attonitae, non fari auſae, non hiſcere quidquam.
  Queis genitor: Juno, Pallas, quae cura, quis angit
Vos tantus moeror? non certe exercuit inter
Bella virûm feſſas longus labor, utraque Troas
Dum contra furit inviſos, ac triſtia genti
Arma infert. coepto me non abſterreat unum
Quidquid ineſt caelo ſuperûm: (nam robore cunctos
Et manibus praeſto validis) florentia vobis
Membra tremor prius invaſit, quam torva cruentae
Se pugnae objiceret facies, certamine pugnae
Et quae multa cluent in duro immania facta.
Et merito: nanque (hoc effabor, quod fuit ipſa
Re praeſtare animus) miſſo ictam fulmine utranque
Veſter non ſuperas retuliſſet currus in arces.
  Haec genitor: Juno compreſſo Pallas & ore
Muſſabant juxta, iratae, dirumque ſub alto
Exitium Teucris meditantes corde. profari
Nil auſa eſt Pallas, quamvis dolor aeſtuet intra
Indomitus: Juno haud tenuit ſub pectore vocem

v. 461.

Longius, impatiens irarum; ac talibus infit:
Nam quae iſtaec, rerum ſaeviſſime, verba locutus?
Nos quoque te invictum ſcimuſque, ultroque fatemur.
Sed Grajae miſeret gentis tamen, inclyta bello
Quae perit adverſis nullo pro crimine fatis.
Nunc, quoniam ſic, magne, jubes, abſiſtimus armis.
Conſilio at ſaltem liceat monitiſque juvare,
Illa tuas pereat prorſus ne perdita ob iras.
Tum pater, obſcuro cogit qui nubila caelo:
Cras iterum Oceano cum primum fulſerit Eos,
Diva, Jovem, ſi forte velis ſpectare, videbis
Magnanimum clade ingenti proſternere Grajos.
Nec prius abſiſtet, parcet nec caedibus Hector
Efferus, ad naves olim quam ſaevus Achillem
Suſcitet eximium luctus, qua luce jacentis
Patrocli ad gelidum pugnabit Graja cadaver
Preſſa malo pubes ingenti. hic vertitur ordo
Fatorum: hunc ſtatui finem: nec jurgia, nec te
Iratam curo. non ſi, digreſſa beatis
Aedibus e divûm, terraeque extrema capeſſas,
Et maris; Iapetuſque, & Saturnus jacet atro
Exſul ubi longe in barathro: nec luce fruuntur
Laetifica Solis ſupera in regione vagantis,
Nec dulci ventorum anima. nam Tartarus ambit
Incluſos tenebris, alta & caligine merſos.
Illo etiam ſi forte, ira ſtimulante, ferare,
Nil movear, veſana, omnemque exſuta pudorem.
Jupiter haec: auſa eſt contra nihil hiſcere Juno.
Interea Oceano Solis jubar incidit, atram
Pone trahens noctem. Solem videre cadentem
Trojugenae inviti; nigra caligine obortas
Grajugenae contra laeti ſenſere tenebras.

v. 488.

Tum

Tum ſocios Hector deducit litore curvo,
Flumineam cogens ad ripam, caede vacabat
Campus ubi. celſis confeſtim curribus omnes
Deſiliunt, ſeque affundunt; atque auribus adſtant
Arrectis. ille in mediis, Jove fretus amico,
Incipit haec, dextra praelongum haſtile cruenta
Bellator geſtans; fulget quo ferrea cuſpis
In ſummo, ſubter fulvo quam circulus auro
Alligat: undenas telum ſe tendit in ulnas.
Hoc nixus ſocios affatur talibus heros.

Huc omnes Teucrique, & pubes Dardana, & omnes
Qui miſſi auxilio, veſtras advertite mentes.
Spes erat igni altas injecto exurere puppes,
Et totam Argivûm leto demittere gentem,
Ac parta ingenti ſub muros laude reverti:
Magna ſed abrupit veniens nox orſa, viroſque
Servavit, certa & perituras peſte carinas.
Nunc, ſocii (quando ſacrae decedere nocti
Par eſt) laeti epulas curate, ac ſolvite curru
Quiſque ſuos vacuo bijuges; nec pabula quiſquam
Invideat feſſis. celeri dehinc moenia curſu
Pars adeant; & oves, & pingues cura juvencos
Ducere ſit, Bacchi & laticem, & Cerealia dona
Aedibus e patriis. nec deſit copia ſecti
Roboris, ut tota, quam longa eſt, ardeat ignis
Nocte ingens campis, donec ſe oſtendat ab ortu
Purpureo veniens Aurora; ad ſidera magnus
Paſſim ut fulgor eat. ne caeca noctis in umbra
Salſa fugam arripiant furtim ſuper aequora Graji;
Ne tutas certe nullo diſcrimine puppes
Securi ſcandant: patriam ſed moeſtus ad urbem
Sit curanda ferat qui vulnera, fixus adacta

v. 515.

Ille haſta navim ingrediens, volucrive ſagitta.
Unde ſibi metuant alii quoque; nullaque jam gens
Audeat armigeros in praelia poſcere Teucros.
At vos, cura Jovis, praecones, ite per urbem,
Pubenteſque aevo pueri, tum, cana ſenectus
Tempora queis ſpargit, patres, edicite ut altas
Continuo ſcandant turres, & moenibus inſtent.
At matres ferventque domos, nec parca reponant
Ligna focis vigiles, nocturna in lumina: ne quis
Forte dolis Grajum pateat locus; hoſtis ab armis
Ne vacuam inſidias moliri poſſit in urbem.
Nunc opus haec fieri, quae dixi; cetera dicam
Aurora extulerit cum primum craſtina lucem.
Cunctis ſpero equidem fretus dis, & Jove ſummo,
Has procul hinc abigam peſtes, gentemque nefandam,
Ducta malo Phrygias fato quae venit ad oras.
Nocte igitur cauti ſervemus noſtraque, noſque:
Mane novo ut primi ſub lumina Solis ahenis
Septi armis iterum pugnemus litore in ipſo
Argivas circa naves, Martemque novemus
Indomitum. Experiar mene inde a puppibus urbis
Ad muros vertet pulſum Tydeïus heros;
An magis haec ſternetque, aerata cuſpide pectus
Confoſſum, laceriſque virum dextra exſuet armis.
Ille ſuam noſcet virtutem, interritus haſtam
Contra hanc ſi maneat vel parvo tempore: verum
Non erit ut maneat; foedo ſed vulnere ſtratum
Orta dies ipſumque una, ſocioſque videbit.
Sic utinam immortali aevo fruar uſque, ſenectae
Nec mea mutato vim robore ſentiat aetas,
Tamque colar, colitur quam Phoebus, quamque Minerva,
Craſtina lux Danais cladem ut latura ſupremam eſt.

v. 541.

Ta-

Talia Priamides: Troës clamore ſecuti
Dicta probant, & equos largo ſudore madentes,
Ut juſſi, abjungunt, curantque; allata revinctis
Pabula dehinc ponunt, non longe a curribus altis.
Jamque greges ovium, jam pingues urbe juvencos
Adduxere citi. Bacchi pars dona ferebant,
Pars Cereris. congeſta ingens jam copia ſecti
Roboris. it vento ſublatus ad aethera nidor.
Illi, exſultantes animis, partaque ſuperbi
Laude, omnem tota per campum nocte ſedebant
Diſcreti ordinibus. multus micat ignis, & ingens
Planities paſſim flammis diſtincta coruſcat.
Ut lunam circa fulgent cum lucida pulchro
Aſtra choro, nuſquam caelo dum nubila, nuſquam
Aërios turbant ventorum flamina campos;
Apparent ſpeculae, nemoroſo & vertice montes,
Frondiferi & ſaltus; late ſe fulgidus aether
Pandit in immenſum, penituſque abſtruſa remoto
Signa polo produnt longe ſeſe omnia; gaudet
Viſa tuens, haeretque immoto lumine paſtor:
Sic, naves inter Danaûm Xantique fluenta,
Crebri fulgebant Troum pro moenibus ignes.
Mile ignes campo fulgebant, quenque ſedebat
Quinquaginta manus juvenum, flos gentis, ad ignem.
Currus propter equi, mandentes hordea, avenam
Et tenuem, roſeis venturam ex equore bigis
Auroram, & belli certamina ſaeva manebant.

HOMERI ILIADOS
LIBER NONUS.

SIc laeti excubias pro moenibus urbis agebant
Trojugenae : at Danais pectus fuga concitat imum,
Terroris comes atra. ducum moerentia ſaevus
Uſque dolor penitus fodit alto vulnere corda.
Horrendi ceu vaſta cient cum caerula venti,
Trux Boreas, Zephyruſque, ambo de finibus orti
Threïciis; ſubito propulſu attollitur alte
Unda tumens immane, fretumque exaeſtuat imis
Sedibus, & multa litus perfunditur alga :
Sic Danaûm vario fervebant corda tumultu,
In partes diſtracta omnes, turbataque luctu.
It vultu moerens demiſſo ingentibus aeger
Atrides curis, & obit tentoria, & uni
cuique, jubet, regum praecones dicere ſeorſus,
In coetum veniant; clamori at parcere: primas
Ipſe ſibi & ſumit partes operae, atque laboris.
Conſedere omnes moeſti: conſurgit Atrides
Ora madens lacrimis. Celſa ut de rupe cadit fons
Dulcis aquae, ac pleno trepidat per confraga rivo:
Sic fletu rigat ille genas. tum, pectore ab alto
Ingentem ducens gemitum, ſic farier orſus;
O ſocii unanimes, Grajûm regeſque duceſque,
Jupiter, heu, me fraude mala Saturnius ipſe
Inſontem implicuit; laetos qui ad tecta Laremque
Promiſit reditus, magno poſt eruta bello
Pergama: nunc idem captum ſpe luſit inani,

v. 21.

Fruſtra operis feſſum & longi jubet irrita ferre
Orſa domum, & vacuum, tot poſt amiſſa virorum
Milia, & indecorem nulla cum laude reverti.
Hunc magnus finem rebus dat Jupiter; urbes
Dejecit multas qui celſo a culmine, multas
Dejiciet, vertetque (poteſt nanque omnia) fundo.
Ergo agite, atque meis cuncti parete volentes
Conſiliis: longe hinc patrias fugiamus ad oras.
Jam ſpes nulla, capi noſtris poſſe Ilion armis.
Dixerat Atrides: olli obſtupuere ſilentes,
Attoniti & moeſto curam ſub corde premebant.
Armipotens tandem haec fatur Tydeïus heros:
Nunc primum incipiam verbis contendere tecum
Heic procerum in coetu, qua fas, Atrida; loquenti
Stulta nec ignavus cedam, verum obvius ibo.
Tu, quaecunque loquar, rex, irae parce. peperci
Ipſe prior; lenta & ſum paſſus mente vocari
Degener in Danais, nec fortia natus ad arma.
Haec etenim jactata omnes, juveneſque, ſeneſque,
In me foeda palam norunt convicia Graji.
De geminis tibi quippe dedit Saturnius unum.
Imperio praeſtare dedit, ſceptriſque potiri:
Virtutem, imperiis quae firmior omnibus una eſt,
Et ſceptris praeſtat longe omnibus una, negavit.
Tamne igitur timidos, tam molli pectore credis,
Tamque ſui oblitos decoris, quam dicis, Achivos?
Ire domum tibi ſi properat mens percita, ſolus
I, licet: ampla patet reditu via. ſtant tibi naves
Ad mare tot, patriis quae te huc vexere Mycenis.
Coeptum opus urgebunt alii, forteſque manebunt,
Tandem Troja cadat Grajo dum Marte: capeſſant
Vel, ſi tantus amor patriae telluris, & ipſi,

Qua vult quiſque, ſugam curvis in navibus; unus
Ipſe tamen, mecum & Sthenelus, bellabimus, alta
Dum noſtris exciſa armis cadat Ilios; ambo
Dîs quando auſpicibus Phrygias advenimus oras.
  Sic ait: at Graji magno clamore probarunt,
Conſiliumque ducis mirati, & fortia verba.
In mediis ſurgens Neſtor dehinc talia coepit.
  Tydide Armipotens, idem virtute, ſagaci
Mente idem longe cunctis aequalibus anteis;
Nec tua verba, reor, quiſquam contemnet Achivûm,
Nec erit ut dictis dicat contraria quiſquam.
Conſilii ſed non potuiſti attingere finem.
Nec mirum: juvenis nanque es; mihi filius eſſe
Multorum & minimus poſſes. non vana locutum
Argivis tamen eſſe ajo te regibus, at, quae,
Apta loco, ratioque, & rerum poſceret uſus.
Nunc age, qui multo ſenior te glorior eſſe,
Eloquar, & pulchro pandam cuncta ordine; cunctis
Quae placeant Grajis, & quae probet ipſe Agamemnon.
Gente, domo, patriaque exlex caret ille, tumultus
Cui ſunt, ac turbae cordi, & civilia bella.
Mox tamen haec. furvae nunc praeſtat cedere nocti,
Et, quod opus, curare dapes; omnique virorum
Deligere ex numero vigiles, qui milite murum,
Egreſſi ad foſſas, & propugnacula, ſervent.
Tu princeps Atrida (tibi nam ſumma poteſtas)
Incipe, & ex omni longaevos gente vocato,
Atque epulis adhibe proceres. tentoria vino
Plena tibi, nulla Grajis non luce carinis
Quod ponto advehitur Thracum de finibus. ingens,
Accipere ut multos poſſis, tibi copia rerum
Praeſto eſt, multorum regi. conſederit omnis

v. 73.

Cum

Cum procerum numerus, qui dixerit optima facto,
Conſilium ne ſperne. & opus ſapiente, bonoque eſt
Conſilio Danais. non longe a navibus ardet
Ignis enim, vigilatque hoſtis. diſcrimine quiſnam
Gaudeat in tanto? nox haec, rex, una ſalutem
Vel feret, exitio ingenti vel perdet Achivos.
  Haec ſenior: Grajûm nemo non dicta probavit,
Aut renuit praecepta alacri facere omnia mente.
Continuo vigiles cincti fulgentibus armis,
Neſtoris egregii proles fortis Thraſimedes,
Tum duo Martigenae Aſcalaphuſque & Ialmenus acer,
Merioneſque, Aphareuſque, & Deïpyrus, Lycomedes
Et dius magni Creontis clara propago,
Procedunt, ſeptem numero; centena ſecuta eſt
Quenque manus juvenum, ſublatiſque horrida telis
Egreditur, foſſaſque inter murumque reſedit.
Heic ſtructos coenam ſibi quiſque parabat ad ignes.
  Atrides proceres vocat in tentoria. denſi
Conſidunt, celebrantque dapes, tacitique fruuntur
Appoſitis, jactantque manus ad fercula, edendi
Donec victus amor tandem eſt, vireſque refectae.
  Primus ibi ante omnes Neſtor tunc farier infit,
Conſilium ob ſapiens dudum laudatus Achivis.
Hic procerum in medio ſic dulci eſt ore locutus.
  Atride venerande, virum rex magne, Agamemnon,
A te principium, ſermo in te deſinet omnis,
Cui populos fraenare dedit regnator Olympi,
Conſulere & cunctis, legeſque & ponere jura.
Ergo decet ſtudioque omni te dicere facto
Quid ſit opus, ſtudioque pari, ſi forte voluntas
Eſt alii monſtrare aliquid, quod profore credat,
Nulli non aures, mentemque advertere. poſtquam

v. 102.

Au-

Audieris, ſtatues unus, diceris & auctor.
Nunc igitur, ſedeat quae nam ſententia menti,
Dicam equidem. melior qua dici haud ulla profecto
Eſt potis. una placet quae nunc, atque una placebat
Tempore jam ex illo, raptam Briſeïda quo, rex
Inclyte, ab irato furiis incenſus Achille
Abduxti foede, me non laudante, rogante
Me fruſtra, immani coepto ut deſiſtere velles.
At te ſaeva animis elatum ingentibus egit
Ira virum contra, nemo quo fortior unus,
Quem ſuperi eximio divi dignantur honore.
Huic ſua contempto rapuiſti munera, habeſque
Nunc etiam. ſedenim jam tempus quaerere ſi qua
Forte queat mitis reddi, ponatque tumorem
Muneribus victus blandis, blandaque loquela.
  Talia Nelides; contra cui talibus infit
Atrides: Commiſſa mihi quaecunque recenſes,
Vera, ſenex, fateor. demens mihi, & improbus ipſe
Hanc merui noxam. multis par milibus unus
Vir pretio eſt, pater eximio quem curat amore
Ille deûm; huic magnum ceu nunc decus attulit ultro,
Et domitos clade ingenti protrivit Achivos.
Sed mea quandoquidem culpa eſt, exſolvere noxam
Eſt animus, largiſque virum placare furentem.
Actutum donis. numerans quae ſingula coram
Omnibus heic olli ſpondebo, atque ordine dicam.
Septem igni intactos tripodas, fulvique talenta
Auri bina dabo, fulgentes aere lebetas
Biſdenos; addam biſſex compacta nitentum
Corpora cornipedum, rapido in certamine curſus
Praeſtantum cunctis, & praemia prima ferentum.
Nec foret ille & opum variarum, & divitis auri

v. 126.

Indi-

Indigus, egregias cui tot ſors aequa dediſſet
Res, quot pulchra mihi multo e certamine dona
Attulerunt primi curſu pernice jugales.
Septem praeterea forma praeſtante puellas
Lanificae adjungam doctas opus omne Minervae,
Lesbidas; ipſe mihi, cum Lesbo eſt ille potitus,
Quas legi e cunctis famulas. Briſeïda raptam
Inſuper adjiciam, dîs hoc jurare paratus
Teſtibus: intactam reddi, probroque remotam
Longe omni, atque meum nunquam tetigiſſe cubile.
Confeſtim haec aderunt ſimul omnia. moenia Trojae
At faciles dederint ſi tandem evertere divi,
Aere cavam aggeſto princeps, auroque carinam
Compleat ingrediens, captam cum venerit hora
Partiri Danais gazam; & ſibi Troadas inter
Ipſe legat primus vicenas, plurima rarae
Poſt Helenam caelo attollat quas gloria formae.
Si vero patrium remeabo victor ad Argos,
Felices, gleba & foecundos ubere campos;
Ille mihi gener eſto; ipſi nec cedat honore,
Unicus in magna qui re nutritur, Oreſti.
Tres adeo gnatas mihi nunc domus educat alta
Chryſotheminque, & Laodicen, atque Iphianaſſan.
Harum unam, gratamque animo, nulliſque repenſam
Muneribus, ducatque domum, dotemque puellae
Accipiat tantam, quanta ulli haud obtigit unquam.
Septem olli addicam florentes civibus urbes,
Cardamylen, Enopenque, herboſam in ſaltubus Hiram,
Et Pheras, clarum nomen, pratiſque virentem
Antheam, pulchramque Aepeam, & Pedaſon uvis
Felicem. maris hae non longe a portubus omnes,
Litoreaque Pylo diſtant, lateque coluntur

v. 153.

Civi-

Civibus, atque boum, atque ovium quos copia ditat
Ingens; multa viro pendent qui dona quotannis,
Utque deo, eximios certabunt reddere honores.
Haec ego polliceor; praeſtabo haec omnia, ſaevae
Tandem exoratus finem ſi fecerit irae.
Jam prece ſe tandem flecti ſinat. unus ab ullis
Orcus enim precibus flecti nequit: efferus ergo
Dicitur, inviſum numen mortalibus omnes
Ante deos. cedat majori, qui minor aevo,
Qui minor imperio eſt. Atrides, talia fatus,
Conticuit. coepit contra cum talia Neſtor:
Inclyte Grajugenum dux & regnator, Achilli
Quae das dona, queat nemo non magna putare.
Nunc procerum e numero quaerendi, ac rite legendi,
Ocyus irati qui ſe ad tentoria regis
Alta ferant, placentque virum, & mandata loquantur.
Aut, age, ni renuis, placeat quos ire, profabor
Ipſe: meis nemo at dictis parere recuſet.
Cura Jovis Phoenix praeeat, geminique ſequantur
Hunc reges magnuſque Ajax, & dius Ulyſſes.
Hos duo praecones pariter comitentur euntes,
Eurybates, Hodiuſque. citi nunc ferte liquentes
Confeſtim huc manibus lymphas, linguiſque favete.
Tempus enim libare Jovi, ſi forte precantes
Audiat, & Grajae incipiat miſereſcere gentis.
  Haec ait ille; ſenis placuit ſententia cunctis.
Dant manibus lymphas praecones: rite miniſtri
Crateras juſſi ſtatuunt, & vina coronant,
Exorſique almum cyathis tribuere liquorem.
Inde, ubi pars libata deo, pars hauſta, voluntas
Dum tulit, Argivi menſam & tentoria regis
Delecti heroës linquunt. quos Neſtor euntes,

v. 179.

Blan-

Blandus quenque tuens, affatur, multaque mandat
Dulichio ante alios regi: curam exerat omnem
Impiger, eximium Grajis & placet Achillem.
Ibant fluctiſoni propter ſpumantia ponti
Litora digreſſi a ſociis, multiſque vocabant
Neptunum votis, magnum qui fluctibus orbem
Caeruleis ambit, praeſens pacaret amico
Numine ut Aeaciden, triſtes & flecteret iras.
Jamque adeo ad puppes ventum, ac tentoria celſa
Myrmidonum. heic lentus citharam pulſabat Achilles
Daedaleam, arguta reſonantem voce, ſuperne
Atque jugum argento claram fulgente; repertam,
Eetioneae cum moenia diruit urbis,
Ditibus in ſpoliis, olim quam ceperat heros.
Hac, aegrum oblectans animum, pugnataque bella,
Et veterum decora alta virûm, laudeſque canebat.
Solus in adverſa Patroclus ſede ſedebat,
Exſpectans cantu dum finem poneret heros.
Tum Phoenix, Ajaxque una, progreſſus & ante
Hos Laërtiades, venere, ac limine ab alto
Intuleruntque pedem taciti, coramque canenti
Adſtiterunt. quos admirans, ut vidit, ab alta
Sede, manu citharam geſtans, & eburnea plectra,
Exſiluit, ſimul ipſe, ſimul Patroclus; amico
Obvius & vultu dextram dans talia fatur:
Salvete, o cari ante omnes. fors urget Achivos
Dura, viros quando tales, tam dulcia mittunt
Huc capita, iraſcens aliis, quae ſemper amavi.
Haec fatus, duxitque altum in penetrale, toriſque
Purpureos ſupra pulchris locat ipſe tapetas.
Tum, prope qui adſtabat, Patroclo talia mandat:
Majoremque volo ſtatui cratera, merique

Plus miſceri hodie, nec non ingentia poni
Pocula, cuique ſuum; exceptis cum gaudet amicis
Laeta domus. dixit Pelides; juſſa capeſſit
Grata Menetiades, & vina liquentia promit:
Ipſe manu at vaſtum flammis admovit ahenum,
Huic armos ovis imponit, pinguiſque capellae,
Atque ſaginati tergum ſuis, unde fluebat
Multus adeps; bonus Automedon quae rite ſecanda
Suſtulit, Aeacides ferro at fulgente ſecabat.
Nec mora, ſecta veru fixit. ſuccenderat amplum
Ligna focum ſupra Patroclus. quae citus ignis
Hauſit ubi correpta, ingens & flamma reſedit,
Sub verubus ſternit prunas. mox omnia, parco
Toſta igni, tollit, fulcriſque amota ſuperbis
Rite manu inſpergit ſacro ſale; deinde patentem
Exempta in diſcum fudit. tum denique menſae
Intulit in pulchris Cerealia dona caniſtris
Patroclus; poſitaſque dapes diviſit Achilles.
Munia qui poſtquam eſt ſua functus, ſedit & ipſe
Parietem ad oppoſitum divino adverſus Ulyſſi;
Et fidum de more deis perſolvere juſſit
Sacra Menetiaden. juſſos adolevit honores
Ille citus, jecitque ſacros libamina in ignes.
Inde manus epulis taciti admovere paratis.
  At poſtquam potuſque, eſuſque expleta cupido eſt,
Phoenici vultu atque oculis quiddam innuit Ajax.
Nec mora (ſenſit enim) pateramque implevit, Achillem
Atque tuens, leni ſic voce eſt orſus Ulyſſes:
  Magnanime Aeacide, ſalve. convivia praebes
Larga; modo Atrides intra tentoria & ipſe
Praebuit haud parce: ſed quis convivia quaerat,
Saucia dum curis aegreſcunt pectora, cladem

v. 227.

Hor-

Horrendam, & diras extremo in litore caedes
Cernentum? dum corda timor quatit anxia; dum res
Pendet in ambiguo, peſtemne arcere carinis
Indignam dabitur, cunctas anne hoſtis, adempta
Spe reditus, igni perdet; fortiſſime rerum,
Ni tua ſe reddat Grajis, tandem excita, virtus.
Nanque rates juxta, & murum ſua caſtra ſuperbi,
Cum ſociis longe varia e regione vocatis,
Dardanidae poſuere. igni late horrida crebro
Caſtra micant: pubes furit effera, jamque teneri
Poſſe negat, medias quin vi ſeſe irruat ardens
In puppes. favet ipſe viris, dextrumque ſecundus
Fulgurat Idaeo de vertice Jupiter. audax
Viribus, atque ſuo fretus Jove perfurit Hector
Horrendum; non ille hominum, non ille deorum
Vel metuens quenquam, vel curans; corda furenti
Sed veſana tumens rabie ferus, uſque morantem
Increpat Auroram; primo & cum lumine ſolis
Velle apluſtra altis ratibus praecidere, & ipſas
Urere, ait, trepidoſque atra in caligine fumi
Turbare, ac leto crudeli perdere Achivos.
Has metuo nequod Grajis male numen amicum
Detque viro complere minas; Argiſque remotos
Dulcibus Iliaca fatum heic nos perdat in acta.
Verum, age, ſurge alacer, ſi quo unquam tempore mens eſt
Grajugenas diro Troum eripuiſſe furori.
Ipſi magnus erit moeror tibi, caede peracta,
Cum jam nulla mali fuerit medicina. futuram
Anteveni ſapiens cladem, Danaiſque ſupremam,
Arceri dum fata ſinunt, peſtem impiger arce.
Ergo animo exciderunt ſenior pulcherrima Peleus
Quae mandata dabat, flens cum te, dulcis amice,

Mitteret Atridae auxilio, Phthiaeque paternas
Linquentem ſedes blanda ſic voce moneret:
Gnate, dabunt validas tibi vires, aptaque bello
Robora, ſi libeat, Pallaſque, & regia Juno.
Tu magnos cohibere animos, torvumque memento
Ingenium. melior multo eſt clementia. parce
Litibus ah ſaevis, devita & noxia lenis
Jurgia: ſic, nulli non carum, ſemper honore
Eximio tollent Danaûm juveneſque ſeneſque.
Haec ſenior mandata dabat: verum omnia mente
Immemori fluxere. fero ſed parce furori
Vel nunc, parce irae, atque animi compeſce dolorem
Indomitum. noxam Atrides meruiſſe fatetur,
Et te digna tibi placato munera ſpondet
Largus opum. quae cuncta, piget ni diſcere, coram
Ut modo pollicitus Grajorum eſt regibus ipſe,
Sic tibi ego numerans itidem longo ordine dicam.
Septem igni intactos tripodas, fulvique talenta
Auri dena dabit, fulgentes aere lebetas
Biſdenos. addet biſſex compacta nitentum
Corpora cornipedum rapido in certamine curſus
Praeſtantum cunctis, & praemia prima ferentum.
Nec foret ille & opum variarum & divitis auri
Indigus, egregias cui tot ſors aequa dediſſet
Res, quot pulchra olli multo e certamine dona
Attulerunt primi curſu pernice jugales.
Septem praeterea forma praeſtante puellas
Lanificae adjunget doctas opus omne Minervae,
Lesbidas; ille ſibi, cum Lesbo es tute potitus,
Quas legit numero ex omni. Briſeïda pulchram
Inſuper adjiciet, divis jurare paratus
Teſtibus: intactam reddi, probroque remotam

v. 275. Lon-

Longe omni, atque ſuum nunquam tetigiſſe cubile.
Confeſtim haec aderunt ſimul omnia. moenia Trojae
At faciles dederint ſi tandem evertere divi,
Aere cavam dabit ante alios, auroque carinam
Complere, ut Danais congeſtam venerit hora
Partiri gazam; nec non tibi Troadas inter
Deligere ante alios vicenas, plurima rarae
Poſt Helenam caelo attollat quas gloria formae.
Si vero patrium remeabit victor ad Argos,
Felices, gleba & fecundos ubere campos,
Te generum adſciſcet, nec conceſſurus honore es,
Unicus in magna qui re nutritur, Oreſti.
Tres adeo gnatas olli domus educat alta,
Chryſotheminque, & Laodicen, atque Iphianaſſan.
Harum unam, gratamque animo, nulliſque repenſam
Muneribus, duceſque domum, dotemque puellae
Accipies tantam, quanta ulli haud contigit unquam.
Septem nanque dabit florentes civibus urbes,
Cardamylen, Enopenque, herboſam in ſaltubus Hiram,
Et Pheras, clarum nomen, pratiſque virentem
Antheam, pulchramque Aepeam, & Pedaſon uvis
Felicem. maris hae non longe a portubus omnes,
Litoreaque Pylo diſtant, lateque coluntur
Civibus, atque boum, atque ovium quos copia ditat
Ingens; multa tibi pendent qui dona quotannis,
Utque deo, eximios certabunt reddere honores.
Ille tibi haec ſpondet, praeſtabitque omnia, ſaevae
Tandem exoratus finem ſi feceris irae.
Quod ſi animo Atridenque ipſum, & ſua munera ſpernis,
At Danaum ſaltem cladis miſerere, gementum
Marte ſub adverſo. qui te ſibi ſcilicet unum
Auxilioque vocant; ſanctum & ceu numen honore

Servati afficient, tollentque ad ſidera laude,
Hectora ſi leto ſternas, cum turbidus ira,
Inſanaque tumens rabie, te cominus ipſum
Invadet. ſibi nanque parem negat improbus ullum
Eſſe virûm numero ex omni, quoſcunque carinae
Advexere cavae Trojani ad litoris oras.
  Haec Ithacus; contra quem talibus orſus Achilles.
O Laërtiade ſolerti pectore Ulyſſe,
Haec me opus eſt, omni ſine fuco, vera profari,
Conſiliumque, animique imos exprомere ſenſus;
Ne vanis fruſtra precibus, quaeſtuque moleſto
Me ſine fine aliuſque aliuſque obtundere pergat.
Odi ego, Plutonis velut oſtia nigra, ſub alto
Pectore qui celant aliud, falſaque loquuntur
Voce aliud. quae certa ergo ſententia dicam.
Me non Atrides Agamemnon flexerit, ullus
Nec Danaûm: aſſidue pugnantem gratia quando
Nulla ſequi, longique operis compendia ſuerant.
Aequa etenim pars eſt ceſſanti, & dura gerenti
Bella; cadunt aeque, ſtrati ſine honore, bonique,
Ignavique; labor quos longus conterit, & qui
Immuneſque operum degunt, curaque ſoluti.
Nam quid ego majuſve habeo, meliuſve, laborum
Anxius ingenti poſtquam ſub mole periclis
Objeci caput hoc duro in certamine pugnae?
Illa velut, pullis quae fert implumibus eſcam
Praedae quidquid, avis, nacta eſt; ſe negligit unam
Interea, macieque horret jejuna: peregi
Sic & ego multas ſomni ſine munere noctes,
Atque dies toties duro ſub Marte cruentos,
Iſtorum pro conjugibus dum praelia obire
Uſque juvat, triſtique ipſum me opponere leto.

v. 327.

Biſſenas vaſtavi urbes nam claſſe, pedeſque
Undenas, Trojae per pingues fertilis oras.
Ex his capta manu eſt multa, & pretioſa ſupellex
Omnibus. Atridae quam totam ferre ſolebam
Demens: ille manens ad naves, pauca maligne
Atque mihi, atque meis partitus, plura premebat
Ipſe ſibi retinens; partem primoribus, atque
Regibus Argivûm donabat. queis, ſua cuique,
Munera certa manent: ſoli mihi munus ademit
Omnibus e Danais, toto & quam pectore amabam,
Conjuge nunc potitur. quam juxta dormiat omni
Semotus cura. Grajos quae cauſſa cruento
Commiſit bello Teucris? in bella coëgit
Cur pubem Atrides? Phrygias cur duxit ad oras?
Non pulchrae his Helenae raptus ulciſcitur armis?
Anne hominum ſolis ſua cordi eſt uxor Atridis?
Nempe ſuam, quicunque ſapit vir, curat amatque;
Hanc ut ego, captiva licet ſerviret, amabam.
Nunc, mea quandoquidem rapuit mihi munera, meque
Luſit fraude mala, ne gnarum, & cuncta videntem
Tentet adhuc, nec, quo vult, poſſe inducere ſperet.
Sed tecum, Laërtiade, cum regibus & tot
Conſilium Argivis capiat, quo denique pacto
Inſtantem valeat flammam depellere claſſi.
Me quid opus? rerum ſine me jam plurima felix
Confecit. murum ſtruxit, foſſamque cavavit
Circum amplam, ingentem, valloſque infodit acutos.
Nec miſer his tamen ille poteſt arcere cruentum
Hectora. contra olim, cum Grajos inter & ipſe
Pugnabam, audebat nunquam ſecedere muris
Improbus a patriis Hector, Martemque ciere
Longius, ad fagum vix Scaeae ab limine portae

v. 354.

Progrediens. illic me contra reſtitit audax
Ille ſemel: propius venientem, & dira frementem
Sed fugit, vitans tremefacto pectore mortem.
Nunc, quoniam certum eſt jam nolle inceſſere bello
Hectora, cras, cum rite Jovi, cunctiſque litaro
Caelicolis, curvo deducam litore puppes,
Omni gaza onerans. claſſem, ſpectare voluntas
Si fuerit, ſurgente meam cum ſole videbis
Aequora piſcoſi ferri ſuper Helleſponti,
Remigio & lectam tranſtris conſidere pubem.
Quod mihi ſi facilem det curſum, & vota ſecundet
Neptunus, Phthiae pingui me ſiſtet in ora
Tertia lux. illic ingens mihi copia rerum eſt.
Multa itidem hinc avecta aderunt, aurique talenta,
Aeraque fulva, micans & ferrum, agileſque puellae
Doctae operum. ſorte obtigerunt haec omnia: munus
At, ſorti exemptum dederat quod ferre merenti,
Abſtulit, atque ſibi contra fas vindicat omne
Atrides. cui tu noſtra haec mandata referto
Cuncta palam, cuncti ut ſcelus indignentur Achivi,
Si quos ſperat adhuc fraudare, & ludere poſſe
Improbus ille alios. nam me, ſit quamlibet audax,
Audebit non ille oculos attollere coram.
Nec ſibi conſilii ſperet commercia mecum
Ulla, nec ulla operum. ſatis eſt quod prodidit, & quod
Fraude mala immeritum laeſit. ne laedere poſthac
Poſſe putet, captum blandis nec fallere verbis;
Sed male tabeſcat, pereatque ut dignus, ademit
Jupiter ipſe ſuo ſanam cui numine mentem.
Dona inviſa mihi ſua ſunt, inviſus & ipſe.
Non mihi ſi denis, vel bis tot partibus auctum
Quidquid habet donet, majoraque pluraque large

v. 380.

Con-

Congerat; Orchomenum non ſi quaecunque vehuntur,
Aegyptive urbem Thebas, ubi plurima gaza
In domibus congeſta jacet, centumque ſuperbae
Urbem ornant portae, tum porta ex quaque ducenos
Ire ferunt ad bella viros in curribus altis;
Non, donis cumulet ſi dona, & pulveris, & quae
Omnis litoreae numerus non aequet arenae,
Flexerit idcirco me Atrides ante, nefandi
Quam ſceleris poenas, noxamque expenderit omnem.
Nec placet ulla Agamemnonio de ſanguine conjux.
Non, Veneri forma ſi certet, ſique labore
Ipſam operum ſolers aequet, vincatque Minervam.
Ergo alium, quem vult, generum ſibi deligat inter
Grajugenas, ſceptro qui major, quique ſit olli
Aptior. at, ſi me ſervent dî, dentque reverti
Ad patriam incolumi ſedem, pater ipſe repertam
Mi thalami ſociam prima de gente jugabit.
Multas Hellas habet, multas & Phthia puellas
Patribus eximiis natas, qui mente ſagaci,
Invictaque urbes patrias virtûte tuentur.
Harum unam, quamcunque velim, duxiſſe licebit.
Illic nanque aveo tandem ſtabilique potiri
Conjugio, ſimul atque mea cum compare, triſti
Vivere ſemotus bello, curiſque ſolutus,
Atque frui, mihi quae congeſſit plurima Peleus.
Nullum vitam aequat pretium: non quidquid habebat
Ilios, ut fama eſt, cum longa in pace vigeret,
Argolicis nondum bello tentata carinis;
Non quidquid ſolido conſtructum marmore Phoebi
Intus habet templum Pythus in rupibus. omnis
Gaza viro bellove capi, pretiove parari
Poſſit enim; atque greges ovium, pingueſque juvenci,

Homer. v. 406.

Et tripodes , curruſque : unam , cum fugerit oris
Septum , animam nullo poſſit vel quaerere pacto,
Vel capere egreſſam , gelidoſque reducere in artus .
Quod ſi pulchra Thetis mater mihi vera locuta eſt,
Ad mortis finem duplex me ſemita ducit .
Si maneo pugnax Trojae ſub moenibus, ullus
Non mihi erit reditus , ſed fama vigebit in aevum :
Sin dulcem in patriam redeo, non ulla futura eſt
Fama mihi , incolumis longum ſed vita manebit ,
Nec cita mors viridi juvenem deprendet in aevo .
Hoc mihi ego malo : quin Grajis omnibus auctor
Sum quoque , ut ad patrium , Troja, Phrygibuſque relictis ,
Quiſque larem actutum redeant . nam vertere turres
Pergameas nunquam dabitur ; quas Jupiter ipſe
Ingenti altitonans dextra tegit , atque virorum
Freta deo , vi freta ſua , tot milia ſervant .
Grajûm igitur primos , legati , haec dicta referte
Ad proceres , veſtrum eſt quod munus . dicite, quidvis
Conſilii melius capiant : hoc nanque , repertum
Quod ſibi crediderant , fruſtra cecidiſſe ; meum cor
Fervet enim penitus , triſtique exaeſtuat ira .
Vos ite : heic maneat Phoenix , defeſſaque ſomno
Membra levet, cras ut mecum det vela paternas,
Si volet , ad ſedes ; nolentem nanque moleſtus
Non erit ut Phrygiis cogam decedere ab oris .

Sic ait Aeacides . illi obſtupuere ſilentes ,
Mirati vultuſque truces , atque aſpera dicta .
Tum ſenior Phoenix fletus incendere coepit ,
Exitium claſſi metuens , ac talia fatur .

Tantus amor ſi te patriae tenet, inclyte Achilleu ,
Nec placet infandos arcere a puppibus ignes ,
Ira quod heu menti gravis incidit ; anne ego linqui

v. 437. Te

Te ſine ſuſtineam ſolus ? comitem tibi Peleus
Quem pater aſſiduum junxit (quo tempore miſit
Te puerum Atridae auxilio , nondum arma , nec artes
Eloquii varias doctum , queis clara paratur
Fama viro) fieres ut , me monſtrante , peritus
Verborum orator , rerumque effector Achivis .
Ergo a te patiar nulla mercede relinqui ;
Non mihi ſi divûm quis rugoſamque ſenectam
Abradat , primaeque iterum me in fine juventae ,
Pubentemque genis ſtatuat , genibuſque vigentem :
Qualis eram patriae fugi quando exſul ab oris
Hellados , evitans , genitor quae ſaevus Amyntor
Ormenides in me congeſſit pellicis ergò
Jurgia flavicomae ; quam foede inceſtus amabat ,
Conjuge contempta : mater me , at ſpreta rogavit
Supplex genua tenens , patrios ut blandus amores
Praeriperem ; juvenem pellex ut nactà , ſeniles
Horreret thalamos . tandem precibus , lacrimiſque
Victus ego ceſſi maternis . ſenſit , & ira
Horribili exarſit ſaevus pater , atque precatus
Dira mihi eſt ; triſteſque vocabat Erinnyas , orans
Nequa ſibi orta meo de ſanguine luderet unquam
Excepta in genibus ſoboles . nec inania fudit
Vota ; preci annuerunt infernus Jupiter , ac trux
Perſephone , horrendum , nulli & placabile numen .
Hunc ego tum ferro volui furiatus acuto
Confodere : injecit veſano at fraena dolori
Neſcio quis divûm , mentique opprobria ſamae
Objecit ; Grajûm ne paſſim in gente vocarer
Impius , atque mei temeratus caede parentis .
Sed mi animus , patre irato , & tam dira precante ,
Amplius in patria verſari exhorruit aede .

Multi me noti circum, multique propinqui
Affuſi orabant, profugus ne tecta, Laremque
Deſererem. tum multa oviumque, ſuumque, boumque
Corpora caeſa ignis torrebat: multaque verſis
Fuſa cadis, vidit ſenior ſibi vina perire.
Noctes illa novem manus egit me prope, ſomnum
Partita excubiaſque alternis; arſit & uſque
Ignis inextinctus, media hic ſuccenſus in aula,
Hic thalami ante fores, & primi ad limina tecti.
Sic noctes abiere novem. nox attulit umbras
Cum decima, effregi thalami firma oſtia, & aulae
Parvo tranſiliens evaſi ſepta labore;
Nec famulae ſenſere fugam, nec turba virorum,
Servabant qui me cuſtodes. Hellada fugi
Per mediam; Phthiaeque agros & paſcua laeta
Ingreſſus, veni tecta in regalia Pelei.
Is bonus excepitque, & miro fovit amore
Me, pater ut gnatum, ſolus qui, urgente ſenecta,
Obtigerit magno in cenſu; largiſque beavit
Divitiis, genteſque ampla ditione regendas
Conceſſit. Phthiae extremas nam miſſus in oras
Imperio Dolopas fraenabam. tunc ego, Achilleu
Magne, ipſis nunc par ſuperis, te ſedulus altor
Eduxi, ac feci tantum. nam parvulus a me
Avelli haud uſquam poteras, convivia ad ulla
Nec duci, veſcive domi prius, ipſe locato
In genibus praeciſa darem quam obſonia; vinum
Ori adhibens, quod tu, puerorum qualia triſtis
Fert aetas, hauſtum ejectans, mihi ſaepe rigaſti
Bacchi flore almo perfuſam ad pectora veſtem.
Sic multa eduxi te cura; quodque moleſti
cunque fuit, facilique, & laeta mente ferebam,

v. 488.

Hoc animo verſans; quando mihi nulla deorum
Numine nata meo obtigerat de ſanguine proles,
Te generi ut noſtro insererem, mihi dulcis ut eſſes
Filius, atque ſeni poſſes depellere quondam
Indecores obitus, & durae incommoda vitae.
Sed jam age, parce odiis: animum, fortiſſime, vince
Ipſe tuum, quo nil majus. te non decet eſſe
Corde fero indocilem flecti. flectuntur & ipſi
Dî, quorum major multo vis, atque poteſtas,
Atque honor eſt: tamen hos votis, nidore, profuſo
Atque mero placant mortales faſque piumque
Tranſgreſſi; nec verba cadunt neglecta precantum.
Ipſe Preces genuit magnus nam Jupiter: illae
Incedunt greſſu malefirmo, triſtibus ora
Contractae rugis, dejectae lumina; diram
Et Noxam aſſiduae procurant pone ſequentes.
Illa vigens, valido nixa & pede, praevolat almas
Torva deas, laeditque viros late improba in oris
Omnibus. inde Preces veniunt, laeſiſque medentur.
Hae, quicunque volens venientes excipit, alti
Et bonus obſervat natas Jovis, omnibus illum
Uſque bonis augent, nec ſpernunt vota precantis.
Contra abigit ſi quis venientes efferus, & ſi
Abnuit oratis, tum ſummi celſa parentis
Tecta adeunt, orantque malum mala Noxa ſequatur
Ut ſemper, poenaſque viro ſaeva irroget aequas.
Ergo aliquo magni prolem Jovis affice honore.
Flectit honos mentes, & mitia corda bonorum.
Dona tibi ſi nulla daret, ſi nulla daturum
Sponderet, ferus & nondum pacatus, Atrides;
Non ego te hortarer, poſita jam mitis ut ira
Auxilium Danais ſupremo in tempore ferres.

v. 514. Nunc

Nunc dat multa tibi, nunc ſpondet plura; viroſque
Huc miſit ſupplex, tota quos legit Achivûm
De gente, & bello eximios, & foedere tecum
Dulcis amicitiae junctos magis omnibus. horum
Noli verba, pedes noli contemnere. juſta
Ultra ne veniae ſe fines proferat ira.
Sic priſcos perhibent heroas, prima virorum,
Si quando ſubito laeſi exarſere furore,
Placari ſolitos verbis, nec ſpernere dona.
Hoc olim factum memini; remque ordine totam,
Ut fuit, expediam dulces heic inter amicos.
Pugnam Curetes, Aetolûm & Martia pubes
Contulerant pulchram propter Calydona. tueri
Certabant muros Aetoli, evertere contra
Curetes diro ſuccenſi corda furore.
Hunc Trivia Aetolis objecit ſaeva laborem,
Quod frumenta olli poſt condita muneris Oeneus
Nil dederat, dum feſta agitat Cerealia in arvis.
Quiſque deûm tulerat ſolitos epulatus honores;
Nata Jovis ſacra caruit dape ſola, relictam
Vel quod praeteriit gnarus, vel mente quod olli
Excidit oblita. magnas exarſit in iras
Diva potens arcu, germen Jovis; atque, furore
Acta gravi, Oeneos immanem ſaeva per agros
Miſit aprum; qui vaſta dabat late omnia, dente
Fulmineo ſternens radicibus eruta ab imis
Obvia quaeque. ſolo paſſim ſquallente jacebat
Multa ſuis dejecta ingens cum floribus arbos.
Hunc tandem Oenides leto ſtravit Meleager,
Urbibus arceſſens e multis robora pubis
Venatu adſuetae nemorum, celeremque canum vim.
Tantus enim paucis nulla virtute domari

v. 541.

Ille

Digitized by Google

Ille viris poterat : quin multos efferus atras
Impulit in flammas, & funere merſit acerbo.
Qui ſimul ac jacuit victus, Dictynna tumultu
Incendit mentes; acuitque in triſtia bella,
Horrendumque caput propter ſetoſaque terga,
Curetas duros, & magnanimos Aetolos.
Ac dum Marte ferox Meleager in arma ruebat,
Preſſa malo gens eſt Curetum, & milia quamvis
Multa virûm, haud poterant extra conſiſtere muros.
Ira ſed ut ſubiit Meleagrum ſaeva (tumeſcit
Qua cor ſaepe viris etiam, quos praedita multo
Mens decorat ſenſu) matris facta impia propter
Althaeae; moeſtuſque animi, flagranſque furore
Tectorum & thalami ſecreta in parte ſedebat
Uxorem juxta Cleopatram; filia pulchra
Eveni quam magno Idae Marpiſſa crearat.
Idae, illo, ut perhibent, quo nemo fortior aevo
Eſt natus; Phoebum qui, rapta conjuge, contra
Corripuit validoſque arcus, invictaque tela.
Hanc genitor, verſo Cleopatrae nomine, dulcis
Et genitrix aede in patria vocitare ſolebant
Alcyonen, Marpiſſa parens quod rapta querelas
Alcyones ritu longas, fletumque profudit.
Quam prope turbata Meleager mente ſedebat.
Indomitos volvens alto ſub corde dolores;
Iratus matri Althaeae, quae, caede perempti
Fratris dira furens, gnato crudele precata eſt
Exitium; terraeque manu percuſſit utraque
Frugiferum matris gremium; genibuſque volutans
Prona, genas largo & fletu perfuſa madentes,
Plutonem e tenebris nigrum, nigramque vocabat
Perſephonen, gnatum crudeli numen utrumque

v. 566.

Per-

Perderet ut leto. clamantem dira profundo
Audiit ex Erebo, tenebras quae luſtrat, Erinnys.
Jamque adeo ad portas fragor ingens, armaque, pulſae
Horrendum & duro reſonabant ariete turres.
Turba ſenum at moerens, duroque exterrita caſu,
Supplex orabat Meleagrum, multus & ibat
Ad limen prima lectus de gente ſacerdos.
Arceret cladem extremam, auxilioque veniret
Civibus atque urbi. nec non ingentia dona
Spondebant. qua parte nitet Calidonys amoenae
Pinguis ager melius, legeret ſibi jugera terrae
Quinquaginta illic; quorum pars conſita pulchris
Vitibus una foret, Cereri pars altera longe
Optima ſe curvo facilem praeberet aratro.
Ipſe etiam triſti ſenio tum feſſus, at olim
Acer equis, Oeneus ſupplex ad limina venit;
Ac thalami poſtes manibus quaſſabat, opertas
Ante fores orans. nec mater, turba ſororum
Nec deerat fratrem conclamans. ille moveri
Nil, ferus indomituſque animi. venere ſodales
Unanimes, ut quiſque viro conjunctus amore,
Atque diu longo fuerat mage cognitus uſu.
Nec tamen idcirco poterant inflectere mentis
Conſilium durae precibuſve, aut fletibus ullis
Ante, domum circa ingrueret quam ferrea grando
Telorum, turreſque furens evadere in altas
Curetum inciperet pubes, ac templa deorum,
Atque domos late ſubjectis urere flammis.
Tum formoſa virum conjux orabat, obortis
Triſte gemens lacrimis; longam & numerare malorum
Aggreſſa eſt ſeriem, capta quae civibus urbe
Eveniunt. atros urbem conſidere in ignes,

Sterni caede viros paſſim ; durumque ſubire
Servitium abductos longe, miſerabile vulgus,
Et pueros, raptas & foeda ad munia matres.
Talia perſtabat memorans. flexere ferocem
Dicta virum, lento audivit nec pectore ſaevos
Luctifici caſus belli, ſed fortis in hoſtem
Proſiluit tandem, fulgentiaque induit arma.
Nec mora Curetas longe verſo agmine victor
Depulit, Aetolis & fata horrenda, diemque
Supremum avertit, patriae non ille precanti,
Ipſe ſuo aſt animo parens: nulla ergo dedere
Deinde viro, gratis ſervati, munera cives.
Haec eadem tibi ne ſedeat ſententia; ne quis
Hanc deus injiciat tibi mentem, dulcis amice,
Conſilium & laevo pervertat numine. flammam
Pulchrius inſtantem claſſi eſt avertere, ſerum
Quam ferre ardenti auxilium. cape munera laetus,
Atque veni Danais lux una atque unica; magnis
Qui ſimilem excipient te dîs, & laude locabunt
Aſtra ſuper. quod ſi nunc ſpernas dona, cruentam
Ultro dehinc ſubeas extremo in tempore pugnam,
Non erit ut parilem referas vel victor honorem.
  Haec ſenior longo Phoenix ſermone peregit.
Tum breviter contra Pelides talia fatur:
  O Phoenix, longoque aevo ſceptroque verende,
Nil mihi opus tali eſt, qualem tu dicis, honore;
Nec mihi honos unquam ſummo ab Jove defuit, unquam
Nec deerit; cujus me nutus, genua moveri
Dum poterunt, pectus nec vitae liquerit aura,
Ut tenet, ad puppes heic, ſi volet, uſque tenebit.
Praeterea hoc dicam; tu pectus dicta ſub altum
Conde, pater: miſera fruſtra hunc miſcere querela

Homer. v. 608.

Parce animum flens multa, & plorans, atque probari
Atridae cupiens. non te decet, optime, noſtri
Hoſtis amor, ne ſis odio mihi dignus amanti:
Sed, me qui laeſit, mecum a te laedier uſque,
Id decet, id dignum eſt te, Phoenix. nil tibi mecum
Non commune volo: vel regni fraena capeſſe
Mecum una, imperio mihi par, atque alter Achilles.
Nunc adeo hi reſponſa ferent: tu feſſa reclina
Strato membra ſuper molli. cras, fulſerit Eos
Cum caelo exoriens, pariter ſtatuemus uterque,
Heic perſtare, domum an praeſtet jam claſſe reverti.
  Sic ait; ac nutu Patroclum ponere juſſit
Mollia ſtrata ſeni condenſo vellere; viſa,
Tandem oratores ut, re, tentoria celſa
Linquentes irent jam facto fine: deo par
Cum Telamoniades infit ſic farier Ajax:
  O Laërtiade ſolerti pectore Ulyſſe,
Tempus abire, via eſt quando haec praecluſa, nec ullus
Exitus eſt longis ſermonibus. ire neceſſe,
Regibus & Danaûm tandem haec reſponſa referre,
Quamvis laeta parum, noſtrum qui mente ſedentes
Expectant cupida reditum. nam pectore in hirto
Hic gerit indomitumque animum, mentemque ſuperbam
Ferreus; & dulces haudquaquam curat amicos;
Nec meminit quanto ſit nobis cultus honore.
Immitis! fraterna aliquis pro caede ſolutum
Accepit pretium tandem, gnatove perempto.
Atque alter patria tutus verſatur in urbe
Rite ubi perſolvit noxam, placatus at alter
Triſte odium ac diros ponit de corde furores:
At tibi dî ſaevos, nulla & ratione domandos,
Injecere animo ſenſus, iramque puellae

v. 633.

Unius

Unius ob raptum, finem quae neſciat, ullis
Muneribus vinci quae non queat. en tibi ſeptem
Eximias unam contra praebere paramus,
Praeter & has tot dona. bonus tantum indue demum
Mitem animum. reverere, habitas quae tecta. tuos en
Heic ſumus ante focos, de caetu miſſus uterque
Huc Danaûm; nemo queis certe impenſius alter
Remve tuam curat, tibi vel conjunctior uſu eſt.
  Haec Ajax. contra Pelides: Optime regum
Magnanimi clarum germen Telamonis, amico
Iſta quidem verax es viſus dicere cuncta
Ex animo: mihi ſed tumidum cor fervet ab ira
Uſque, ſubit quoties menti malus ille, ſuperbo
Qui me animo in mediis contemptum ſprevit Achivis,
Erronem veluti patriaque domoque carentem.
Ite igitur, Danaiſque actutum audita referte.
Non erit ut pugnae ſubeat me cura cruentae
Ante, ferox bello curvas quam venerit Hector
Myrmidonum ad naves, celſa & tentoria, ſternens
Argivam ferro pubem, victorque carinas
Uſſerit: at, veniet poſtquam ad mea ſepta meaſque
Ad puppes, pugnae, reor, ultro deſinet ipſe,
Quamvis Marte furens, caediſque incenſus amore.
  Talia Pelides: hi vina liquentia ſumptis
Libarunt pateris, tacitique abiere carinas
Ad Grajûm. ante Ithacus graditur; Mavortius Ajax
Pone ſubit, moeſto figens veſtigia vultu.
  Patroclus ſocios juſſit, famulaſque relicto
Velleribus denſis Phoenici rite cubile
Sternere. feſtinant alacres, mora nulla, torumque
Suppoſitis ovium villis, ſtratiſque ſuperne
Veſtibus, & lini candentis flore pararunt;

Feſſa ubi membra ſenex poſuit, roſeamque jacebat
Auroram opperiens, curis ingentibus aeger.
Pelides etiam, celſum in penetrale recedens,
Somno membra dedit: regem juxta Diomede
Filia Phorbantis, quam Lesbo abduxerat ipſe,
Accubuit. bonus adverſum penetrale petivit
Patroclus; preſſitque idem captiva cubile
Iphis, quam dulci ſocio donarat Achilles,
Scyrum urbem regis cum victor cepit Enyei.
  Multa oratores digreſſi at noctis in umbra,
Ut magni venere Atridae ad ſepta; frequentes
Exſiliuntque ſua de ſede, atque aurea circum
Affuſi praebent certatim pocula Graji,
Pro ſe quiſque rogans. primus ſcitatur Atrides:
  O Laërtiade, Grajûm lux, navibus ignem,
Dic, abiget, ferus an renuit; pectuſque ſuperbum
Miſcet adhuc, Danaûm precibus nec flectitur ira?
  Ingemuit; lacrimans dehinc talia reddit Ulyſſes:
Maxime Grajugenum regnator Atrida, movetur
Ille nihil, triſtemque iram reſtinguere ſaevus
Abnegat; ardeſcit quin & magis uſque furore
Indomito, ac ſpernit teque, & tua munera; miſſo
Et ſe, Grajorum cum primis te jubet ipſum
Conſulere, exitium qua genti, quaque carinis
Arte queas triſtes longe depellere flammas.
Ille autem, tenebras ut primum Aurora fugarit
Exoriens, puppeſque ſuas deducere in aequor
Velle ait, & ſalſas Phthiam dare vela per undas:
Auctor & eſt aliis, cuncti ut remeare Penates
Ad patrios ponto properent. nanque Ilion altam
Verti poſſe negat, dextra quam Jupiter ipſe
Altitonans tegit ingenti; quam firma virûm vis

v. 683.

Tu-

Tutatur fidens, elata & Marte ſecundo.
Haec mandata dedit: teſtes mihi vera loquenti
Magnanimuſque Ajax, nobiſcum & miſſus uterque
Praeconum, fidi comites, rerumque periti.
At ſenior Phoenix cubat illic; juſſit Achilles
Quod fieri, ad patrias ut ſecum in puppibus oras
Cras abeat, ſi forte velit; nanque ire negantem,
Haud coget, nec vi abducet per caerula ponti.
  Sic ait: illi autem, perculſa mente, ſilentes
Obſtupuere. feri mirantur triſtia regis
Dicta omnes, moeſtoque premunt ſub pectore curam.
Armipotens tandem Diomedes talibus infit:
  Inclyte Grajorum dux & regnator Atrida,
Nunquam utinam oraſſes Peliden, tantaque totque
Munera pollicitus: faſtu ſatis ante tumebat
Sponte ſua; inflaſti nunc tu magis. attamen illum
Mittamus, ſive ire, mari & dare vela, manere
Sive parat. bellum rurſus pugnamque capeſſet
Cum mens dira virum, vel cum deus ipſe ciebit.
Vos agite, atque meis, ſocii, parete volenti
Conſiliis animo. potu dapibuſque refecti,
Unde viro vis & robur venit omne, ſopori
Ite artus placido feſſos date: deinde, rubebit
Cum veniens Aurora, altis pro navibus omnem
Siſte aciem, peditesque, & currus, pectora dictis
Exacuens, o rex, pugnans praeque omnibus ipſe.
  Sic ait: at reges cuncti aſſenſere loquenti,
Laudaruntque acres animos, & verba diſerta.
Ergo ubi libatum dîs eſt, tentoria quiſque
Ad ſua digreſſi, noto abjecere cubili
Corpora feſſa, almi cepere ac munera Somni.

v. 709.

HO-

HOMERI ILIADOS

LIBER DECIMUS.

AD naves alii, multa jam nocte, jacebant
Alto feſſa duces devincti membra ſopore:
At non Atriden Agamenona dulcis habebat
Sopitum requies curarum. multa volutat
Secum animo, ac trepidam verſat circum omnia mentem.
Formoſae ut conjux Junonis fulgurat olim,
Ille parans pluvioſam hyemem, vel grandinis imbrem,
Sive nivem vaſtos late quae contegat agros,
Sive mali clades ac dira incendia belli;
Crebra poli micuere; igni tremit aura coruſco:
Sic gemitus imo ducebat pectore; ſaevo
Pulſa metu aſſidue ſic regi corda micabant.
Et nunc ſpectabat campum, Trojanaque caſtra,
Admirans crebros urbis pro moenibus ignes,
Ingentique ſono attonitus, quem plurima paſſim
Tibia, multa dabat quem paſſim fiſtula, creber
Atque virûm fremitus citroque ultroque meantum;
Argivas nunc ad puppes tremefactaque vertens
Caſtra oculos, nudo multum de vertice crinem
Vellebat, caelo attollens manantia fletu
Lumina, triſte gemens alto de corde, Jovemque
Obteſtans. animo tandem haec ſententia ſedit,
Neliden citus ut ferret ſe ad Neſtora, ſi quid
Conſilii ſtruerent pariter, quo lapſa juvari
Poſſet res Danaûm, prohiberi & flamma carinis.
Ergo membra toro arrexit; tum pectora circum

Digitized by Google

Induitur tunicam, plantiſque Argiva revinxit
Vincula, & horrendi, ex humeris ingentibus imos
Demiſſa ad talos, ſe involvit pelle leonis,
Fulgentemque manu bellator corripit haſtam.
  Nec minor interea Menelaum nocte ſub alta
Exercet metus inſomnem, curaeque ſoporem
Avertunt trepido rerum; fata ultima fortes
Ne ſubeant Graji, pubes delecta virorum,
Olli quae, longum ratibus delata per aequor,
Venerat auxilio, belloque exarſerat audax.
Raptim humeris tegmen pantherae ingentibus heros
Circumdat varium, galeamque attollit ahenam
Imponens capiti; validamque haſtile coruſcum
Implevit dextram. tum ſic tentoria fratris
Celſa petit, ſomno ut regem citus excitet, omnes
Cui ſoli parent Danai, ſolumque verentur,
Obſervantque, altis ceu lapſum numen ab aſtris.
Hunc puppim, dum ſe cingit fulgentibus armis,
Nactus ad extremam eſt, gratuſque advenit, amico
Et vultu exceptus, prior eſt ſic farier orſus:
  Quid, frater venerande, armis nunc te induis? omni
Anne aliquem e numero lectum vis mittere, Troum
Callidus exploret caſtra ut ſpeculator? at iſtud
Hortanti quiſnam promittat, ſolus ut hoſtem
Noctu adeat ſpeculans? audax certe, atque pericli
Nil metuens fuerit, ſi quis non abnuet ire.
  Haec ait: aſt lacrimans Agamemnon talia contra:
Conſilio nunc prudenti, multumque ſagaci
Eſt opus, immani quod Grajos, quodque carinas
Subtrahat exitio, cum nos mutatus iniqua
Mente premit, ſacriſque animum, fati ordine verſo,
Jupiter Hectoreis adjecit. nanque nec ipſe

v. 47.

Vidi unquam, audivi quenquam nec dicere, totque
Uni & tanta viro geſta una luce, quot Hector,
Ille quidem non patre deo, non matre creatus
Ille dea, in miſeros geſſit Jove fretus Achivos,
Quantaque molitus rerum una eſt luce, cruenta,
Triſtia, dira; dies quae nulla, & nulla fluentum
Eximat annorum ſeries de pectore Grajis.
Tot paſſim clades dedit, & tot funera victor.
Verum agedum Ajacemque celer, fidumque vocato
Idomenea rates adiens. ego Neſtora dium
Conveniam, hortaborque ſenem conſurgere; ſacrum
Cuſtodum ſi forte velit procedere ad agmen,
Quodque opus eſt, mandare viris. nemo aptior illo eſt,
Cuique velit potius pubes parere jubenti.
Nam vigilum dux eſt Thraſymedes, inclyta proles
Neſtoris, atque una bonus armiger Idomeneos
Meriones, cunctis delecti e milibus ambo
Rectores juvenum, excubiis qui caſtra tuentur.
Haec frater: contra Menelaus talia reddit.
Quo mandas pacto, atque jubes? maneamne, tuumque
Illic adventum opperiar; feſtinus an ad te
Huc redeam ut curſu celeri, mandata peracta
Rite ubi jam fuerint, regumque vocatus uterque?
Ille refert: illic praeſtat, Menelaë, manere
Dum veniam, ne forte viae nos ſemita fallat.
Diverſo nam multa ſecat via tramite caſtra.
Praeterea clamaque altum, & vigilare jubeto,
Praeteriens dum carpis iter, propriaque vocato
Quenque a gente virum, multo & blanditus honore
Compella, faſtumque, & magnos, comis in omnes,
Pone animos. duri nam pondus ferre laboris
Nos quoque opus, primo quando nos magnus ab ortu

v. 70.

Ju-

Jupiter aerumna, curiſque oneravit iniquis.
 Haec poſtquam eſt fatus, mandavitque omnia rite,
Ipſe petit Pyliae rectorem Neſtora gentis.
Hunc, ſepta ingreſſus, puppes invenit ad altas,
Membra toro ſtratum in molli. multo arma lepore
Picta jacent juxta regem, ſcutum aere coruſco,
Tela duo, inſignis triplici galea aurea cono;
Nec procul inde ingens, opus admirabile, balteus,
Quo cingi ſuerat ſenior cum triſtia torvus
Armabat ſe in bella, ſuas ad praelia turmas
Acer agens: nec enim ſenio cedebat inerti.
Qui, ſimul ac ſenſit venientem, ſuſtulit alte
Cervicem, &, cubito nitens, haec ore profatur:
 Quis juxtaque rates, media & per caſtra ſub atra
Nocte meat ſolus, ſomno dum cetera pubes
Strata jacet? vigilum nunquem tibi? numne ſodalem
Quaeris? age, eloquere. huc tacitus ne accede. quid heic eſt,
Quid tibi opus? Tales jactanti e pectore voces,
Atrides lacrimis fatur ſic moeſtus obortis:
 O Neſtor Nelide, o Grajae gloria gentis,
Noveris Atriden Agamemnona, Jupiter omnes
Quem miſerum in curas mergit; luctuſque laboreſque
Aggeret uſque, meum donec ſpirabilis aura
Incolet hoc pectus, genibuſque erit his vigor ullus.
Sic erro; nec enim dulcis mihi lumina ſomnus
Aegra ſuper ſedit; belli ſed cura, ſed inſtans
Jam clades mentem pavido quatit uſque. ſupremum
Exitium metuo Danais; nec pectora conſtant
Firma: timor mentem attonuit; micat uſque, ſinuque
Exſilit e medio trepidum cor, membraque ſubter
Quaſſa tremunt; nec vis animove aut artubus ulla eſt.
At tu, ſi quid habes fieri quod poſſit, Achivam

Homer. v. 97.

Si quid moliris quod rem juvet, (& tibi nanque
Nox agitur dulci ſomni ſine munere) mecum
Egreſſus caſtris paullum deſcende, juventus
Lecta ubi pro muro vigilat; ne forte, labore
Deſeſſa atque gravis ſomno, dare membra ſopori
Coeperit, excubias & negligat immemor. hoſtis
Nam prope adeſt; metuoque, audax ne nocte ſub ipſa
Arma ferat, ſubitoque invadat Marte carinas.
Haec ait. at Neſtor: Fide, o rex optime regum,
Fide animo. non cuncta, ferus quae cogitat Hector,
Atque ſtruit vana tumidus ſpe, Jupiter illi
Providus & perfecta dabit: quin pluribus angi
Ut reor, incipiet curis, placatus Achilles
Si modo magnanimum cor triſti vertet ab ira.
Nunc te mente ſequor, quo ducis cunque, volenti.
Verum alios etiam pulſo jam ſurgere ſomno
Hortemur Danaûm reges, haſtaque ſuperbum
Tydiden, vafrum & Laërtiaden, & Oilei
Pernicem, & Phylei praeſtantem robore gnatum.
Atque utinam Ajacemque parem dîs, Idomenea
Et regem ſit qui nobis adeatque vocetque.
Ambo etenim longe hinc abſunt, curvaſque locarunt
Secreti extrema caſtrorum in parte carinas.
At, quem praecipuo, ut dignus, complector amore,
Atque colo, quid ni Menelao iraſcar; acerbo
Et quamvis doleas dicto, nil pectore celem
Diſſimulans; mollis quod ſomno indulget inerti,
Et patitur ſolum te duro inſtare labori.
Quem decuit curiſque angi, nec parcere multae
Ipſum operae, cunctos orantem ex ordine reges
Suppliciter; cum dura urget res, cumque malorum
Immane incubuit, nec jam tolerabile pondus.

v. 119.

Haec

Haec Neſtor : cui ſic Atrides : hortor ut illum
Incuſeſque alias , Neſtor , culpeſque ; laborem
Saepe ubi res poſcit celerem , ceſſatque , ſedetque
Nam lentus ; (non ille quidem male ſegnis , inopſve
Conſilii ; ſed me reſpectans uſque , nec audens
Incoeptare meo rerum ſine numine quidquam)
At nunc ſtrata prior liquit , ſeque obtulit ultro
Ipſe mihi ſubito adſiſtens . quin miſſus ad iſtos
Dudum abiit , tibi quos arceſſi nunc placet ambos .
Ergo age , ne pigeat mecum una pergere murum
Extra , ubi nos (illic etenim conſiſtere juſſi)
Expectant vigilum lecta cum pube ſedentes .
Tum Neſtor : Laudo ; ſic nemo iraſcier olli
Argivûm poterit ; nemo non dicta faceſſet ,
Hortetur ſi quem , vel ſi quid juſſerit unquam .
Sic ait , & mollem tunicam dat pectora circum ;
Aptat pulchra pedum vario dehinc vincula plexu ;
Tum laenam induitur , multo quam fibula morſu
Aurea connectit , duplicem , latamque , colore
Puniceo inſignem , criſpa & lanugine mollem ;
Deinde capit ferro praefixum robur acuto .
Jamque viam carpit gradiens per caſtra , cietque ,
Magna voce vocans , propius cum venit , Ulyſſem .
Cui ſimul ac ſubitus mentem ſonus attigit , heros
Corripuitque toro corpus ; tentoria & extra
Proceſſit , trepidoque viros ſermone rogavit :
Cur naves propter ſoli & per caſtra ſub alma
Itis nocte ? urget quae res , cogitque vagari ?
Cui Neſtor : Parce iraſci , tam ſaevus Achivis ,
O Laërtiade , dolor ingruit . en age , nobis
I comes , hortatu noſtro ut jam ſurgat & alter ,
Conſiliumque una capiat , pugnamne ſubire

v. 147.

Praeſtet, caeruleas longe an dare vela per undas.
Haec ſenior: mora nulla, Ithacus tentoria rurſus
Alta ſubit, clypeumque humeris ingentibus aptat,
Et comes ambobus graditur. magni Diomedis
Septa petunt. regem heic propter tentoria ſomno,
Ut venere, vident ſtratum, fulgentibus armis
Cinctum artus. juxta ſocii caput acclinarant
Scuta ſuper; fixaeque ſolo ſtant omnibus haſtae,
Aerata lucem jactantes cuſpide, fulgur
Ut Jovis. hi nuda circum tellure jacebant:
Heros terga feri ſupra cubat horrida tauri,
Purpureo caput effultus regale tapete.
Huic tum Nelides propior ſtetit, ac, pede tactum
Urgens, increpuit, ſtrato & conſurgere juſſit.
Surge, ait, o Tydei proles generoſa. ſoporem
An carpes tota, quam longa eſt, nocte? nec hoſtem
Conſediſſe audis non longe a puppibus altis,
Et parvo hinc ſpatio diſtare in colle propinquo.
Sic ait: exſiluit ſomno citus ille fugato,
Atque ſenem dictis alacer compellat amicis:
Infelix, nunquam parcis tibi, at uſque ſenectam
Ferreus exerces opera omni, omnique labore.
Quid? juvenes deſunt obeant qui caſtra, ſopore
Et pulſo, conſueta vocent ad munia reges?
Sed tu opere a duro nulla es revocabilis arte.
Talia Tydides. cui Neſtor talia reddit:
Vera quidem fateor, quae dicis, dulcis amice.
Egregii mihi nec gnati, nec copia deſit
Multa virûm, mitti qui poſſint, quique vocare.
Sed fors dura premit Grajos, tempuſque ſupremum.
Summa etenim extremo eſt res in diſcrimine, cuncti
Fatum triſte obeant, an pergant vivere Achivi.

v. 174.

Nunc

Nunc agedum Phylei gnatum, celeremque vocato
Ajacem, excuſſoque jube conſurgere ſomno;
Junior es quando, atque meum miſerare laborem.
  Haec ſenior. fulvi exſuvias, atque hirta leonis
Terga humeris heros circumdat, magnaque, & imos
Demiſſa ad talos: tum dextra corripit haſtam.
Dehinc abiit, juſſitque viros conſurgere, ſecum
Et rediens ambos parvo poſt tempore duxit.
  Hi poſtquam egreſſi portis venere catervas
Ad vigilum, ſomni expertem videre ſub armis
Quenque ducum, campo lecta cum pube ſedentem.
Ut quondam, ad caulas, paſtorum & ſepta, Moloſſos
Cum vigil exercet noctu cuſtodia, denſum
Per nemus ut ſenſere trucem deſcendere ab alto
Monte feram; magno circum vox crebra tumultu
Atque virûm atque canum reſonat, nec cura quietis
Ulla ſubit; ſopor ex oculis prorſum excidit omnis:
Sic juvenum ex oculis fugit ſopor; ulla quietis
Nec ſupereſt jam cura, atrae dum noctis in umbra
Triſtes excubias agitant; ac lumina vertunt
Ad campum aſſidue, quoties Troumve meantum,
Aut alius longe arrectas ſonus impulit aures.
Hos ſenior laetuſque animi conſpexit, & ore
Compellat blando; firmatque his pectora dictis:
  Sic eat; o dulces pueri, vigilate, nec ulli
Obrepat ſomnus, ne gens inimica repente
Ingruat, ac faciat ſibi nos riſumque jocumque.
  Haec fatur foſſamque ultra procedit, euntem
Pone manus regum ſequitur, quoſcunque vocarant.
Meriones comitem queis ſeſe, & clara propago
Neſtoris addiderat, magna ad conſulta venire
Ipſi etiam, & regum coetu ſe adjungere juſſi.

v. 197.

Ingentem egreſſi foſſam, qua parte vacabat
Caede locus, ſpatiique horrenda in ſtrage relictum
Eſt paullum congeſta virûm prope corpora; ſaevus
Unde Hector, Danaûm clades, ad moenia greſſum
Rettulit, obſcura noctis deprenſus ab umbra;
Conſedere omnes; atque orſi dicere ſumma
De re. quos inter Nelides talia fatur:
O ſocii, nec erit cui ſit fiducia Troas
Hinc ad magnanimos furtivo accedere greſſu?
Si quem forte virum, caſtrorum in parte repertum
Extrema, capiat; vel ſi quem proximus aure
Rumorem excipiat: quid rerum ſcilicet inter
Seſe conſultent; placeatne heic uſque manere
Urbem extra, Grajûm non longe a navibus, urbem
An magis in patriam parta jam laude reverti.
Haec fors audiret catus omnia, ſoſpes & inde
Huc rediens, omnes ingenti laude clueret
Per populos, caeli quotquot convexa tuentur.
Nec vero eximio Grajorum in gente carebit
Munere. nam reduci, qui praeſunt navibus, omnes
Pro ſe quiſque dabunt pinguem atri velleris agnum
Lanigera cum matre, viro quibus utilis aeque
Non ulla eſt rerum, in cenſu quas poſſidet omni.
Omnibus ille choris aderit, ſpectabilis omni
Ille epulo in regum ſemper conviva ſedebit.
Sic ait: at vultu dejecto quiſque ſilebat.
Magnanimus tandem Diomedes talibus infit:
En mihi, Neſtor, avet nullo tremefacta periclo
Mens ire, utque jubes, hoſtemque inimicaque caſtra
Haec petere: at, veniat ſi quis comes, acrior ibo,
Et multo ad rerum caſus audentior omnes.
Nam, duo cum pariter concordi mente feruntur,

v. 224.

Alte-

Alterius mentem quod praeterit, id videt alter,
Atque monet. ſoli, quamvis rem viderit ipſam,
Tardior eſt animus, ratioque infirma leviſque.
Haec ubi ait; multi cum magnanimo Diomede
Ire volunt. ambo Ajaces, fortiſſima bello
Pectora, Meriones, Thraſymedes, inclytus haſta
Atrides Menelaus, & aſpera ſuetus Ulyſſes
Ferre, cupit Troum caſtris irrepere furtim,
Ille animi fidens audaxque ad fortia ſemper:
Quos inter tali eſt Agamemnon voce locutus:
Care mihi ante alios, Tydide, quem tibi cunque
Vis comitem, hos inter melior quicunque videtur,
Delige. nanque alacres animis, tecumque paratos
Ire, vides multos. laeva ne mente verere
Tu quenquam; ſocium tibi nec malecautus adopta,
Deterior quicunque fuat, meliore relicto,
Dans aliquid generi; quamvis & ſanguine longe
Clarior, & regno ſit longe major avito.
Sic ait, ille timens Menelao, arcere periclum
Et caro cupiens fratri frater. Diomedes
Inclytus haec alacri tum rurſus voce profatur:
Quandoquidem jubeor ſocium legere ipſe, mihique
Unum optare inter multos, an pectore poſſum
Immemor oblito divinum ſpernere Ulyſſem?
Eximio qui me ſemper complexus amore eſt;
Magnanimo cui vis invicta in pectore; nullus
Quem frangit terretve labor; Tritonia Pallas
Quem juvat ac mediis praeſens tutatur in armis.
Hic mihi ſi veniat fidus comes, igne reverti
Ex ipſo incolumes, credo, poſſimus uterque;
Tantum conſilio praeſtat, vafriſque repertis.
Arridens paucis contra reſpondit Ulyſſes:

Ne lauda nimium, neu culpa; nanque ſcientes
Iſta inter Grajos loqueris. jam tempus abire:
Nox ruit, adventat propior lux, ſidera caelo
Prona cadunt, geminae ternis de partibus actae
Jam ſunt, vix tantum ſupereſt pars tertia noctis.

Haec fati, ſaevis feſtinant cingier armis.
Ancipitem Tydidae enſem fortis Thraſymedes
Donat: nanque heros clypeumque, enſemque carinas
Liquerat ad curvas. capiti dehinc impiger idem
Impoſuit galeam, cono criſtaque carentem,
Taurinam, priſco quae nomine dicta cataetyx,
Geſtamen juvenum primaevo in flore vigentum.
Meriones arcum pharetramque enſemque coruſcum
Dat Laërtiadae; dura & de pelle rigentem
Impoſuit capiti galeam; quam multa coërcent
Lora intus, candent extra, valloque frequenti
Setigeri dentes apri horrent, lanaque textu
Daedaleo mediam, nutet ne in vertice, complet.
Hanc olim Autolycus cum victor Amyntoris aedes
Hormenidae effregit, captam abſtulit ex Eleone,
Scandeam & veniens munus dedit Amphidamanti;
Amphidamas tum deinde Molo, cum jungeret heros
Hoſpitium; Molus at gnato conceſſit habendam
Merioni. caput egregii tum clauſit Ulyſſei.

Corpus ut horrendis ambo incluſere ſub armis,
Continuo linquunt ſocios, Trojanaque furtim
Caſtra petunt. iter ingreſſis Tritonia virgo
Ardeolam dextra miſit de parte. volabat
Illa viam juxta; ſed caeca in nocte videri
Ipſa quidem haud potuit, clangor tantum attigit aures.
Senſit avem, laetuſque deam compellat Ulyſſes:

Audi haec, aegiſoni proles Jovis, aequa labore

v. 278.

Quae

Quae mihi, diva, faves, atque adſtas ſemper in omni;
Quam lateo nunquam gradiens quacunque; Minerva,
Nunc mihi ades, nunc me, ſi quando, mitis amore
Proſequere. ad naves da ſalvum in caſtra reverti;
Da magnum patrare aliquid, quod Troica factum
Mireturque omni doleatque in tempore pubes.

Has Laërtiades; dehinc has de pectore voces
Suſpiciens caelum fudit fortis Diomedes.
Audi, nata Jovis Tritonia, me quoque; praeſens
Atque veni mihi fida comes; veniſſe parenti
Diceris ut Tydeo quondam, Thebana petebat
Moenia cum linquens Aſopi clara fluenta,
Solus ab armigeris orator miſſus Achivis.
Ille quidem Cadmi ad gentem tunc mollia comis
Verba tulit, ſed dura abiens horrendaque geſſit,
Te fretus, dea magna, Jovis genus. ipſa ferebas
Adſtans nanque viro auxilium. ſic me quoque ſerva,
Diva, tuum, facilíſque volenſque adſiſte vocanti.
Ipſe tibi lata ſpectandum fronte juvencum,
Indomitum, intactaque ferum cervice, revertens
Conſtituam ante aras, affundam & cornibus aurum.

Has ambo fudere preces: Dea magna precantes
Audiit, ac votis laeta annuit. Ergo leonum
Aſſimiles ivere alta ſub nocte per arma,
Per caedem, exanimeſque viros, atrumque cruorem.

Parte alia, Troas placidae indulgere quieti
Non ſinit, & proceres in coetum convocat Hector;
Atque, virûm in medio conſiſtens, talia fatur.

En, quis erit magnum hoc facinus qui ſpondeat ingens
Ob pretium? merces factum ſatis ampla ſequetur.
Nanque viro currumque, alta & cervice jugales
Polliceor geminos, qui forma, & robore cunctis

Homer. v. 306.

Ad Grajas praeſtent, curſu & pernice carinas,
Audebit quicunque (decus quo ſcilicet auſu
Eximium ipſe ſibi quaeret) furtivus Achaeas
Ire gradu tacito ad naves; ac diſcere, puppes
An pergant ſervare citas velut ante, labore
An fracti, & noſtro domiti ſint Marte, fugamque
Turpem agitent patrias ad ſedes; feſſa juventus
Nec velit excubias ultra tolerare ſub armis.
Talia Priamides: olli obſtupuere ſilentes.
Forte Dolon aderat Eumedis filius illic:
Eumedis ſacri praeconis, dives & auri,
Aeris & omnigeni, foedo turpiſſimus ore,
At pedibus celer ante alios; patri editus heres
Quinque inter ſolus nullo cum fratre ſorores.
Is tum adeo procerum in medio ſic Hectora dium
Compellat, tumiduſque effatur voce ſuperba:
En, mea me virtus ciet, Hector, pergere puppes
Ad Danaûm, & propius ſpeculari, ac diſcere cuncta.
Quare age, rite manu ſceptrumque attolle, daturum
Et ſponde currus vario circum aere micantes,
Et quos acer equos curru ſubjungit Achilles.
Nec tibi ego vanus fuero ſpeculator, inani
Trojanos ludam nec ſpe. nam caſtra ſubire
Certum eſt, ac medios furtim ſubrepere in hoſtes;
Tandem Agamemnoniam liceat dum accedere puppim,
Atque audire duces Danaûm ſub nocte ſilenti.
Verſantes, fugiantne domum, an magis arma capeſſant.
Sic ait: ille manu ſceptrum tenet, atque ita fatur:
Audiat altitonans haec Jupiter, optima Juno
Conjuge quo gaudet: Troum non ullus in iſtis,
Te dempto, bijugis unquam ſpectabilis ibit.
Solus in Aeacidae pulchro ſpectabere curru.

v. 331.

Ta-

Talia perjurans, fatuum tamen impulit. ergo
Protinus incurvos humeris accommodat arcus;
Inde lupi tegmen circumdedit artubus album,
Muſtelaeque habilem fulva de pelle ſuperne
Aptavit capiti galeam; dextraque ferebat
Exiguum ferro prefixum haſtile coruſco.
Sic graditur, Troas linquens, ad litora puppes
Et Danaûm, nunquam rediturus, viſa referret
Atque audita ſuis ut verax civibus auctor.
Jamque, virûm turbam, turbamque egreſſus equorum,
Mente viam cupida celerans carpebat, Ulyſſes
Cum ſubito ſenſit venientem; nec mora, greſſum
Continuit, caro & Diomedi talia fatur:
Ille vir e caſtris venit, o Diomede: carinas
An ferat ad noſtras ſeſe ut ſpeculator, an armis
Grajûm aliquem ut nudet confuſa in ſtrage jacentum,
Incertum. tu parce manu tantiſper in umbra
Dum noctis gradiens campo ſeſe inferat, ac nos
Praetereat paullum: ſubito capiemus uterque
Deinde virûm a tergo. quod ſi praeverterit ambos
Ille pedum melior motu, terrere fugacem
Sis memor, &, campo averſum caſtriſque ſuorum,
Ad naves compelle haſta magis & magis inſtans
Uſque, levi effugiat ne forte ad moenia curſu.
Haec fati exceſſere viae de tramite noto,
Et terrae acclinant ſeſe poſt corpora leto
Strata virûm. imprudens celeri pede praeterit ille.
Jamque adeo tantum proceſſerat, ante juvencos
Mularum ſulcus quantum ſe tendit, aratra
Longius in pingui ducunt quae curva novali.
Tum ſeſe a tergo attollit bellator uterque,
Atque virûm rapido curſu petit. audiit ille

Ut ſtrepitum, ſtetit, ac retro veſtigia torſit.
Quippe venire aliquem Teucrorum ſperat, euntem
Qui revocet, mandata ferens, quae miſerit Hector.
Inde, ubi jactum intra teli venere, propinquos
Territus agnovitque hoſtes, celerique movebat
Genua fuga, ſi qua eripiat ſe forte periclo.
Illi tergo inſtant, cupidique apprendere certant.
Ut gemini cum denſa canes per luſtra ſequuntur
Hinnuleum, aut leporem ſaltu in frondente, nec uſquam
Abſiſtunt; trepidus raptim fugit ille, gemitque:
Sic Laërtiades cum belligero Diomede
Secluſum a ſociis acres hunc uſque ſequuntur.
Jamque adeo ad litus fugiens prope venerat agmen
Cuſtodum: ipſa novum Pallas Tritonia robur
Cum ſubito injecit Diomedi; ne quis Achivûm
Forte viri ſeſe jactaret vulnere primus,
Ipſe foret poſt hunc, non aequa laude, ſecundus.
Ergo, haſtam ingentem quaſſans, ita turbidus infit:
Vel tu ſiſte gradum; vel te nunc, improbe, telo
Aſſequar hoc; nec fata diu vitabis, opinor,
Hac domitus dextra. dixit, ferrumque volucre
Contorſit, paullumque volens abluſit ab ipſo
Corpore: ſed magno venit ſtridore per auras
Haſta humerum ſupra dextrum, juxtaque nitenti
Cuſpide fixa ſolo eſt. conterritus ille repente
Conſtitit, intremuitque artus, denteſque paventi
Inſonuere; timor pallentia concutit ora.
Turbato heroës gemini aſſiluere, manuſque,
Pectore anhelantes, manibus tenuere. rigavit
Ille genas lacrimis; pavitans dehinc talia fatur:
Hanc ſervate animam; pretio me rite ſoluto
Dehinc redimam. fulvumque aurum, ferrumque labore

v. 378.

De-

Digitized by Google

Daedaleo factum ſervat mihi, pondus & aeris
Immenſum varii domus alta. hinc plurima, ſi me
Audierit vivum ad naves, pater afferet ultro,
Atque dabit, gnati pretium, facilisque volenſque.
Haec prior ille: refert ſapiens cui talia Ulyſſes:
  Fide animo; leti mentem nec turbet imago.
Nunc age, dic verax hoc primum, & pande roganti:
Quonam digreſſus caſtris, & ſolus in umbra
Obſcurae graderis noctis, dum feſſa virorum
Mulcet membra ſopor? ſtratumne in caede cadaver
Grajorum ut nudes aliquod fulgentibus armis?
An litus claſſemque petis ſpeculator Achaeam,
Hectoris hortatu impulſus, vel ſponte profectus?
  Ille refert: (ſubter ſanti genua aegra tremebant)
Hector me noxa implicuit nil tale volentem.
Ille, mihi Aeacidae bijugos, atque aere ſuperbum
Pollicitus currum, nigra me noctis in umbra
Obſcurae juſſit furtivum accedere puppes
Ad Grajûm, & propius ſpeculari, ac diſcere, celſas
An pergant ſervare rates velut ante; labore
An fracti, & noſtro domiti ſint Marte, fugamque
Turpem agitent patrias ad ſedes; feſſa juventus
Nec velit excubias ultra tolerare ſub armis.
Subridens contra quem ſic affatur Ulyſſes:
  Egregium optabas tibi certe munus, Achillis
Magnanimi bijugos; durum quos flectere cuivis
Et tractare viro eſt mortali; quos agit unus
Aeacides per bella, dea eſt qui matre creatus.
Verum age, & haec verax mihi nunc ex ordine pande.
Hector ubi eſt? quanam liquiſti parte morantem
Huc veniens? qua parte feri nunc Martia regis
Arma jacent? ubi equi ſunt olli? cetera pubes

v. 407. Nunc

Nunc vigilat, jacet an dulci devincta ſopore?
Quaenam agitant conſulta viri? placet eſſe ſub armis
Urbe procul, Grajûm non longe a navibus; urbis
An magis ad muros, parta jam laude, reverti?
Haec Laërtiades. juvenis cui talia contra.
Iſta tibi, quaecunque rogas, vera omnia dicam.
Hector agit coetu in procerum; quos conſulit Ili
Ad tumulum, a ſtrepitu longe turbaque remotus.
Excubiae (quando has, heros invicte, requiris)
Cuſtodum certae nullae uſquam caſtra tuentur.
Nam, quacunque ignem circa ſedere manipli
Trojugenum, quos cura urget patriaeque domuſque,
Et vigilant, ſeque inſomnes hortantur habere
Excubias: at qui longe venere vocati
Auxilio, paſſim ſtraverunt corpora ſomno,
Ac Troas ſervare ſinunt, quodcunque tuendum eſt.
Conjugibus nec enim metuunt gnatiſque periclum,
Qui longe Iliacis ſemoti a moenibus abſunt.
Tum Laërtiades: Dic, inquit, (ſcire laboro
Hoc quoque) Trojana mixti cum pube, ſeorſum
Anne cubant, tacita carpentes nocte ſoporem?
Ille refert: Dicam vera omnia, & ordine pandam.
Ad mare qua vergit campus, tentoria Cares,
Armati & curvo poſuerunt Paeones arcu,
Et Leleges, & Caucones, clarique Pelaſgi.
Ad Thymbram Lycii ſedem, Myſique ſuperbi
Sorte datam tenuere, Phrygeſque, & Maeones. at quid
Iſta opus incaſſum ſcitari ſingula? Troum
Caſtra juvat penetrare nigrae ſi noctis in umbra,
Non procul hinc, venere domo qui ad bella recentes,
Extrema primi caſtrorum in parte ſeorſum
Thraces agunt, inque his ille editus Eïoneo rex

v. 435.

Rhe-

Rheſus. cujus equos formaque & mole ſuperbos
Admirans vidi. vincunt candore vel ipſas
Nanque nives; aequant rapidas at curſibus auras.
Argento clari currus auroque refulgent.
Arma tulit veniens aurata, ingentia, viſu
Mira; viros quae non mortales ſcilicet, ipſos
At deceat geſtare, adeunt cum praelia, divos.
Nunc agite ad naves vel me compellite, duris
Implicitum vinclis heic me vel linquite, veſtro
Solvendum in reditu; teſtis cum res erit ipſa
Nimirum, cuncta haec ſim vera an falſa locutus.
Illum torva tuens Diomedes: Ne mihi, dixit,
Effugium meditare, Dolon, (quanquam optima rerum
Narraſti) quando ſemel huc ſors egit iniqua
Te in noſtras, malecaute, manus. nam, ſive redemptus,
Sive abeas nobis dimiſſus, rurſus Achaeam
Aut furtim ad claſſem venies ſpeculator, aperto
Aut Grajos contra pugnabis Marte: meis at
Si manibus domitus vitam cum ſanguine fundes,
Non erit ut poſthac Argivos laedere poſſis.
Dixerat ille: Dolon dextram admovere trementem
Suppliciter mento coepit, blandaque morari
Fata prece; alte heros ferrum extulit, atque loquentis
Cervicem ſaevus mediam ferit, ac ſecat ambos
Nervorum plexus: jacuit lapſum caput ipſos
Ante pedes. galeam hic de vertice detrahit; album
Ille lupi ex humeris tegmen, tentoque ſonantem
Nervo arcum, & longum fulgenti cuſpide telum.
Quae dextra extollens alte omnia dius Ulyſſes,
Munus praedatrix tibi Pallas, talia fatur:
Gaude his, diva. deûm primam, qui lucida caeli
Tecta colunt, te rite vocabimus uſque. ſed alta

v. 463.

In-

Inſuper ad Thracum nos hinc tentoria recto
Tramite duc, ad equos curruſque, ad ſtrata virorum.
Sic ait; atque, manum protendens, cuncta myricae
Imponit; ſignatque locum ramiſque virentis
Virgulti, & vulſis vicino ab limite cannis,
Obſcura ne poſt redeuntes nocte lateret.
Inde gradum celerant per tela, nigrumque cruorem.
Nec mora, Threïciae venere ad caſtra phalangis.
Defeſſi toto proflabant pectore ſomnum.
Arma ſolo ſua cuique jacent, curruſque, jugales
Et gemini juxta. terno circum ordine pubes;
In medio Rheſus, religati & curribus altis
Regis equi alipedes. prior hunc & vidit Ulyſſes,
Et ſocio oſtendens Diomedi, talia fatur:
Ecce virum, Diomede, tibi, niveoſque jugales,
Ecce, Dolon Thracum pubem quam dixit. at omne
Tu nunc prome animi robur. cunctarier armis
Non decet heic. age, equos tu ſolve; aut enſe jacentes
Caede viros, curam interea mihi linquito equorum.
Haec Laërtiades: Tydidae at fortia Pallas
Magnanimo adſpirans incendit corda furore.
Ergo ſtrata virûm dat leto corpora; partem
Et nunc ſe in dextram vertens, nunc ille ſiniſtram,
Late fulmineum rotat enſem turbidus. ingens
Exoritur gemitus ſuprema in morte querentum:
Purpureo paſſim tellus rubet uda cruore.
Ille velut caulas, nullo cuſtode, cruentus
Irruit, ac turbata leo per ovilia ſaevit;
Sic Thracum in medio Tydides perfurit; & jam
Biſſenos Orco demiſit. dius Ulyſſes
Interea, quemcunque virum premit enſe coruſco
Tydides, pedibus correptum pone trahebat,

v. 490.

Nem-

Latum iter ut praeberet equis, facilemque pararet
Egreſſum; turbati animo ne forte paverent
Strata virûm ſupra gradientes corpora: nanque
Nondum etiam bello adſuerant, caedique cruentae.
Aſt, ubi jam regem Tydides venit ad ipſum,
Dulcem animam & rapuit ſuſpiria longa trahenti,
(Triſte etenim viſum ſupra caput adſtitit olli,
Proflanti ſomnos nigra ſub nocte, Minervae
Miſſum conſiliis, Oenidae filius audax)
Tum Laërtiades vincliſque exemit, habenis
Et nexos conjunxit equos, turbaque virorum
De media exegit; ſcuticamque oblitus ab aurea
Sumere pendentem ſella, quem ſuſtulit, arcu
Caedebat prae ſe pellens; dehinc ſibila miſit
Nota, monens fidum Diomedem excedere caſtris.
Fluctuat ille anceps animi, ſecumque volutat
Majus adhuc aliquod facinus; dubitatque, prehenſum
Anne trahat currum raptans temone, ſuperba
Regis ubi ſunt arma; humeris an fortibus alte
Sublatum imponat, ſecumque exportet; an enſe
Fulmineo in Thracum turbam deſaeviat omnem,
Detque viros leto paſſim. cui, talia ſecum
Dum volvit, pendetque animo, Tritonia Pallas
Adſtitit, ac celeri compellat voce morantem:
  Ad celſas jam tempus adeſt remeare carinas,
Tydide; redeas ne mox non ſponte, fugatus;
Et Troas ne quis deus excitet alter in arma.
  Sic ait: ille deae confeſtim verba loquentis
Agnovit, digreſſus equos & ſcandit; Ulyſſes
Quos arcu increpitos pellebat: caſtra petebant
Illi, atque Argivas curſu pernice carinas.
  Nec vero arcitenens facta haec non vidit Apollo.

Homer. v. 515.

Qui

Qui ſimul ac ſenſit, Tydei cum prole Minervam
Ire una, divae iratus Trojana petivit
Caſtra, & magnanimum ſomno excitat Hippocoonta,
Threïciaeque ducem gentis, Rheſique propinquum.
Hic ſtrato exſiliens ſedem conſpexit equorum
Ut vacuam, foedaque viros in caede jacere
Semianimos, caſu mentem concuſſus acerbo,
Clamavitque altum exululans, carumque ſodalem
Nomine ſaepe vocans flebat. mora nulla, tumultus
Exoritur, fremituſque omni de parte ruentum
Trojugenum. ſtragem cuncti mirantur, & ingens
Attoniti facinus, quo caeca in nocte peracto,
Inde viri ad celſas abiere impune carinas.
At gemini heroës poſtquam venere, jacebat
Stratus ubi leto Hectoreus ſpeculator, Ulyſſes
Siſtit equos; ab equo Diomedes deſilit, atro
Exſuvias celer & manantes ſanguine tollens,
Dat ſocio: ipſe, levi ſaltu ſublatus, eundem
Scandit rurſus equum, rapidoſque ad curva jugales
Litora, & Argivas ad puppes urget; at illi
Inſultantque agiles campis, ultroque feruntur.
Primus ibi ſonitum Nelides auribus hauſit;
Atque ait: O ſocii, Danaûm regeſque duceſque,
Mentiar, an verum, mens quod jubet, eloquar? aures
Cornipedum circa reſonat mihi pulſus equorum.
Dî faciant huc ut Laërtiades Diomede
Cum forti adveniat, Trojanis victor uterque
Vectus equis: metuo ſedenim, duo lumina Grajûm
Ne quid pertulerint, inimica in gente, dolendum.
Talia dum fatur, medio in ſermone, volantum
Alipedum vecti dorſo venere, relicto
Et ſociis miſcentur equo. quos mente ſodales

v. 541.

Ex-

Excipiunt laeta, dextramque amplexus inhaeret
Pro ſe quiſque, ambo compellans comiter omni
Verborum officio, promens & gaudia vultu.
Tum primus dulci Neſtor ſic voce rogabat:
O Laërtiade, Grajûm decus, inclyte Ulyſſe,
Iſtos, dic, ubi equos cepiſtis? caſtrane Troum
Ingreſſi? occurrens an quis deus obtulit ultro?
Solis enim ſimiles radiis candentibus albent.
Uſque acie in Teucrum verſor, nec tuta fovere
Caſtra ſenex ſoleo; ſedenim per praelia vidi
His ego equos nunquam ſimiles. quos jure deorum
Eſſe datum vobis munus reor. ipſe deûm rex
Aequus enim, & Pallas Tritonia diligit ambos.
Ille refert: Neſtor Grajae lux famaque gentis,
His etiam longe meliores numina poſſunt
Largiri, ſi forte velint; nam robore nobis
Atque opibus longe praeſtant: ſed nulla deorum
Dona vides, at equos, Thracum e regione recentes
Qui venere. horum regem fortis Diomedes,
Juxta & biſſenos prima de gente peremit.
Praeterea, exceptum non longe a navibus, ambo
Morte virum merita ad triſtes demiſimus umbras,
Quem, claſſem ut Danaûm ſpeculatus certa referret,
Dardanii proceres, ac dirus miſerat Hector.
Sic ait; atque ultra foſſam intra ſepta frementes
Egit equos laetum ridens; regemque ſecuti
Pone ibant alii laetanti pectore Achivi.
Dehinc, ut Tydidae celſa ad tentoria ventum eſt,
Cornipedes loris plenum ad praeſepe revinctos
Conſtituunt; ubi regis equi curſu alite clari
Stabant, ſub tacita mandentes hordea nocte.
Aſt Ithacus caeſi exſuvias, capta arma, Dolonis

Depoſuit celſa in puppi, dum ſacra Minervae
Apparet, ac meritos aris indicat honores.
Inde, mare ingreſſi, multum frigentibus undis
Sudorem abluerunt, merſantes cruraque, utrumque
Et femur, & madidam cervicem: jamque marino
Abluti fluctu, ſalſoque humore refecti,
Dulcis aquae in ſolio lavere, ac membra nitenti
Perduxere oleo. tum victu corpora firmant
Feſſa viri, atque hauſtum magno e cratere ſedentes
Libabant vinum victrici rite Minervae.

v. 579.

HOMERI ILIADOS

LIBER UNDECIMUS.

Tithoni e thalamo ſurgens Aurora ferebat
Caelicolis formoſa diem & mortalibus almum :
Dira Jovis miſſu curvas Diſcordia puppes
Ad. Danaûm venit , dextraque immane cruenti
Attollens belli ſignum ſuper adſtitit altam
Puppem Ithaci , quae mole ingens , atque edita ſtabat
Caſtrorum in medio ; vox miſſa ut poſſet utrinque
Audiri , magnuſque Ajax , & dius Achilles
Qua fixere ſibi tentoria parte , carinas
Extremi & curvo ſtatuere in litore , freti
Invictiſque animis ambo , validiſque lacertis .
Hic dea ſtans altum clamavit , pectore ab imo
Horrendam intendens vocem , ſubitumque vigorem
Mentibus injecit , calefactaque corda furore
Belligero incendit , ſaevique cupidine Martis .
Pugnae gliſcit amor cunctis in pectore , bellum
Dulcius eſt reditu , nec jam dare vela paternas
Mens avet ad ſedes , duro ſed cernere ferro .
Continuo Atrides armari ad praelia pubem
Magna voce jubet , fulgentiaque induit arma .
Principio ſuris ocreas circumdat ahenas ,
Artis opus mirae , multo quas crura tegentes
Fibula jungebat nectens argentea morſu .
Dehinc humeros rutilum thoracem & pectora circum
Induit . hunc Cinyras olli donaverat hoſpes .
Ad Cyprias nam fama ingens pervenerat oras

v. 21.

Argivos claſſem in Teucros, bellumque parare.
Qua motus, regi donum rex miſit amico.
Hunc multa omnigeno variaverat arte metallo
Docta manus; cyanique decem nigrantis, & auri
Biſſenas fulvi ducens, ſtannique nivali
Vicenas candore vias: ad colla dracones
Hinc atque hinc terni ſe attollunt, pulchra colore
Caeruleo queis terga nitent; quale Irides olim
Aëriae fulgent, omen mortalibus, atras
Ipſe inter nubes figit quas Jupiter altus.
Injicit inde humeris ingentem, ac ſubligat enſem,
Auratis clarum clavis, vagina coruſco
Quem ſepta argento, loriſque ardentibus auro,
Pendeat ut laevo lateri decus, apta recondit.
Dehinc ingens, pulchrum, partes verſatile in omnes
Attollit clypei tegmen, deni orbibus orbes
Incluſi ſolido cui circum ex aere coruſcant:
Biſdeni umbones ſtanni e cadente metallo,
E nigro medius cyano tumet: atra cruentae
Gorgonis in ſummo facies, cui torva tuenti
Horrendi adſiſtunt comites Terrorque Pavorque:
At, lorum ſupra clypeo quod pendet aheno,
Argentoque micat pictum fulgente, draconis
Caerulei ſinuans flectit ſeſe horrida imago
Cui capita ex una tria ſe cervice profundunt:
Inque orbem linguiſque micant, vulnuſque minantur.
Dehinc galeam imponit capiti coniſque ſuperbam
Quatuor, & ſetis inſignem in vertice equinis,
Quae motae horrifico terrebant lumina nutu.
Tum duo tela manu tollit bellator, acuta
Cuſpide, dura, ignem fulvo jactantia ab aere
Sidereas longe ad ſedes. Poſtquam acer in armis

v. 45.

Con-

Conſtitit, impulſo Juno & Tritonia Pallas
Aere altum ſonuere, novo diva utraque regem
Portento ditis certans ornare Mycenes.
  Aurigae jam quiſque ſuo mandata dedere,
Ordinibus rite inſtructis, retinere jugales
Ad foſſam: pedibus, ferro fulgente coruſci,
Ipſi alacres in bella ruunt: it clamor ad auras
Immenſus primo Aurorae ſurgentis in ortu.
Junctus eques pediti eſt; ſed foſſam primus ad ipſam
Stat pedes, inde equites denſi poſt terga ſequuntur.
  Heic ſubitum ex alto Saturnius axe tumultum
Jupiter ingentis pugnae ciet; aethere ſummo
Sanguineum & rorem genitor demiſit, acerba
Morte parans multas duro in certamine Martis
Heroum fortes animas detrudere ad Orcum.
  Parte alia Troës pubem exhortantur in arma
Colle ſuper medio camporum; maximus Hector,
Polydamaſque bonus bello, ſimiliſque deorum
Aeneas, divûm in Teucris & cultus honore,
Treſque Antenoridae, Polybuſque, & dius Agenor,
Primaevuſque Achamas pulchro par corpore divis.
Ordinibus celer in primis ingentia magno
Membra tegens clypeo fert ſe Mavortius Hector.
Sanguineus veluti nigra de nube cometes
Nunc ſubito exoritur fulgens ferale, recondit
Nunc iterum obſcurae multam ſe nubis in umbram:
Sic Hector variatque vices, per denſa virorum
Agmina & imperitans, nunc primos cernitur inter,
Nunc ſe poſtremis miſcet, totuſque coruſcat
Aere, Jovis ceu, cum nigram quatit aegida, fulgur.
  Ac velut in domini meſſores divitis arvo
Adverſa veniunt hinc atque hinc fronte, ſecantes

v. 69.

Hor-

Hordea, triticeam vel meſſem; decidit hauſta
Falce ſeges; denſi terram ſtravere manipli:
Sic Troum pariter Danaûmque adverſa feruntur
Agmina, conciduntque viri ſe mutua: nemo
Terga fugae dat verſa; aequo ſed vertice quiſque
Arduus incurritque hoſti, ſiſtitque ruentem.

Illi inter ſeſe rixantur more luporum;
Dira tuens triſtem gaudet Diſcordia pugnam.
Nam ſola ex omni praeſens certantibus illa
Divorum adſtabat numero: ſeceſſerat omnis
Turba deûm longe Trojano ab litore, & armis
Quiſque ſua poſitis immotus in aede ſedebat,
Dîs ubi ſtructa domus juga per ſtellantis Olympi.
Illic moerentes turbato corde queruntur,
Incuſantque Jovem graviter, praebere quod ingens
Trojaniſque velit decus, & contempſerit idem
Caelicolas, ſedeatque in caeli vertice ſolus,
Conſpicuus radiis, regali & laetus honore,
Trojanam ſpectans urbem, Grajûmque carinas,
Horrendumque aeris ferrique micantia late
Fulgura, caedenteſque, & dura morte cadentes.

Ac dum pulchra polum bigis Aurora ſubibat,
Creſcebatque novis magis & magis auctibus uſque
Clara dies, tela hinc atque hinc ſtridentia utroſque
Figebant, pubeſque ſolo dejecta cadebat.
At, quo lignator ſibi tempore prandia in alto
Monte parat, duro ſatiatus robora ferro
Caedere, pertaeſuſque operis revocare labantes
Jam dulci vires victu cupit; ocyus omnes
Hortati ſocios, denſas fregere phalanges
Trojugenum Danai. prae cunctis turbidus ira
Proſilit Atrides Agamemnon, teque, Bianor,

Ductorem feriens triſtes demittit ad umbras.
Tum ſocium aurigamque viri proſternit Oilea.
Ille quidem, curru exſiliens, citus obvia contra
Arma tulit: mediam Atrides at vulnus adegit
In frontem; aere gravem galeam tranſverberat haſta,
Oſſaque perrumpit, cerebroque infixa cruento,
Perdomuit flagrantem animis ac dira minantem.
Illos victor humi linquit ſtratos Agamemnon,
Candida ubi ſciſſa nudavit pectora veſte.
Dehinc ruit, Iſus ubi & frater ſimul Antiphus uno
In curru volitant, ambo Priameïa proles,
Ille nothus, juſta contra hic de conjuge natus.
Lora nothus tractat; validam quatit inclytus haſtam
Antiphus. Inter oves herboſae in collibus Idae
Hos quondam cepit, lentoque revinxit Achilles
Vimine, poſt magna ſolvit mercede redemptos.
At nunc Atrides huic pectus trajicit haſtam
Per medium; ſtricto extremam ferit enſe ſub aurem
Antiphon, & curru moribundum evertit ab alto.
Inde ſolo ſtratos victor ſpoliabat, utrumque
Ille ſatis noſcens. nanque olim viderat ambos,
Ex Ida ad naves captos cum duxit Achilles.
Ac veluti ſaltu frondoſa cubilia in alto
Velocis cervae nactus leo, dentibus atrox
Hinnuleos validis frangit manditque, labore
Mollem animam eripiens nullo; nec moeſta propinquam
Si mater cladem vidit, pereuntibus eſſe
Quit tamen auxilio; ſubito magis ipſa pavore
Contremit, ac viridem per ſilvam, denſaque anhelo
Luſtra fugit ſudans curſu, ſi forte ſequentis
Effugiat rictumque ferae, diroſque furores:
Sic Troûm nemo fatum his avertere quibat;

Homer. v. 120.

Quiſque ſibi at cladem, perculſo corde, timebat.
Hos ubi dejecit, Piſandrumque Hippolochumque
Torvus adit, prolem Antimachi; cui ditia dona,
Magnum auri pondus, dederat Paris: ille doloſis
Dardanidum in coetu verbis, vafraque vetabat
Improbus arte, Helenam reddi flavo Menelao.
Hujus tum gnatos major deprendit Atrides
Pulchro ambos una in curru, dum lapſa receptant
Lora manu, ac bijugos retinent, trepidantque paventes
Turbatique animis. veluti leo, concitus ille
Contra ibat: juvenes tremefacto at pectore curru
Ex ipſo tenduntque manus, ac talibus orant:
  Has, Atride, animas ſerva: non parva ſequetur
Gratiaque, & merces factum. nam plurima in altis
Aedibus Antimachus ſervat congeſta; metalli
Omnigeni ignotum pondus, ferrumque labore
Daedaleo factum, fulgentiaque aera nec auri
Vim modicam. hinc pretium ſolvet non parcus, & ultro
Dona dabit, nos audierit ſi vivere puppes
Ad Danaûm. Regem affati ſic mollibus illi
Plorantes verbis, reſponſum haud molle tulerunt:
  Proles Antimachi, Troas qui perfidus olim
Hortari eſt auſus, Menelaum abſumere leto
Ilicet in coetu medio: nec rurſus Achivûm
Ad gentem, & Grajas vivum dimittere ad oras;
Unde huc cum dio venit legatus Ulyſſe;
Nunc patrio dignas dabitis pro crimine poenas.
Saeva luet veſtro genitor mihi ſanguine dicta.
  Sic ait, & curru Piſandrum dejicit alto:
Adverſi valida pectus nam perforat haſta;
Ille cadit plangens reſupino corpore terram.
Deſilit Hippolochus: lapſum tellure ſuperſtans

v. 145.

Quem

Quem premit, ac, geminaſque manus, cervice reſectum
Et caput eripiens, truncum vi propulit heros,
Sub pedibuſque virûm, foedoque in pulvere volvi.
Hos ibi tum linquit; ſeque illuc turbidus inſert,
Ardet ubi major vario certamine pugna.
Quem ſocii magno pariter clamore ſecuti
Incurrunt. peditem pulſum pedes urget, equeſque
Verſa equitem poſt terga premit; tum pulveris atri
Se campo attollit nubes, quam concita equorum
Aeripedum pulſu ingenti ciet ungula. princeps
Ante omnes caeditque hoſtem, ſociamque phalangem
Hortatur clamans, belloque incendit Atrides.
Ac veluti ſi forte vorax denſum incidit ignis
In nemus, ac venti volvunt incendia, gliſcit
Flamma furens late, ramoſque ac tota repente
Arbuſta indomitus proſternit ſtirpitus ardor:
Ingentem capitum ſic Atrides Agamemnon
Dejicit ad terram numerum; multique ſuperba
Cornipedes cervice inter media agmina currus
Cum ſonitu vacuos raptant, claroſque requirunt
Aurigas; tellure jacent hi pulvere in atro,
Gratior alitibus quam ſponſis turba futura.
Talia dum campis late dat funera victor
Atrides, extra telorum Jupiter imbrem,
Extra pulveream nubem, caedemque, cruoremque,
Horriſonoſque virûm fremitus, turbamque ruentum,
Hectora ſeduxit. Teucros premit uſque Agamemnon,
Hortaturque ſuos, animiſque audacibus implet.
Jamque Ili veteris tranſvecti nobile buſtum,
Agreſtem & ficum Troës per plana ruebant
Camporum curſu contento, moenia tutae
Optantes urbis. tergo inſtat ſaevus Atrides,

Vociferans, foeduſque manus ac tela cruore.
Verum, ubi perventum Scaeae prope limina portae,
Et celſam ad fagum, firmato pectore, primi
Subſtiterunt; ſocios &, verſa fronte, manebant.
Extremi at, trepida caeci formidine, lato
Palantes campo fugiebant. Nocte ſub alta
Ut fugiunt armenta boum tremefacta, fugavit
Omnes cum ſubito veniens leo: triſte ſed uni
Ingruit exitium; validis cui dentibus atrox
Cervicem primum fregit, dehinc viſcera ſaevus
Devorat, atque avido nigrum bibit ore cruorem:
Agmina ſic Troum palantia maximus heros
Inſequitur, letoque extremum ſemper acerbo
Sternit dira fremens: fugit uſque exterrita pubes;
Et multi curru ex alto volvuntur Atridae
Sub manibus, varioque ruunt pronique ſupinique
Ad terram caſu. magna ſic efferus haſta
Fulgurat ante alios, atque hoſti fervidus inſtat.
Jamque propinquabat muris urbique; deorum
Cum pater atque hominum, ſummo digreſſus Olympo,
Sedit in irriguis praecelſae rupibus Idae,
Ille gerens dextra fulgur multo igne coruſcum.
Hinc Irin croceis fulgentem concitat alis,
Atque jubet mandata leves deferre per auras.
Iri, ait, i Trojae ſub moenia, nactaque dium
Hectora, quae ferri mando, fer nuncia verax.
Atriden donec magnum pugnare videbit
Ante aciem primum Argolicam, Troumque phalanges
Caedere, devitet pugnam, ſenſimque recedat
Ipſe pedem referens; alios hortetur in arma,
Urgeat & pavidum praeſens in praelia vulgus.
Verum, ubi percuſſuſve haſta, fixuſve ſagitta

v. 192.

Atri-

Atrides currum ſcandet, tunc numine noſtro
Laeta olli dabitur victoria; caedat Achivûm
Ut pubem, ad celſas dum naves venerit; ortu
Noctis & occiduis Titan ſe merſerit undis.
Sic ait: illa ſecat ventos, & vertice labens
Idaeo Trojana tulit ſe ad moenia; nacta
Magnanimum & celſis in curribus Hectora, juxta
Adſtitit, atque ultro compellans talibus infit:
Hector Priamide, ſapienti pectore & alta
Mente Jovi aſſimilis, miſſu Jovis ipſius ad te
Huc veni, patriſque tuli mandata per auras.
Atriden donec magnum pugnare videbis
Ante aciem primum Argolicam, Troumque phalanges
Caedere, devita pugnam, ſenſimque recede
Ipſe pedem referens; alios hortare ſed acer,
Atque urge pavidum praeſens in praelia vulgus.
Verum ubi percuſſuſve haſta, fixuſve ſagitta
Atrides currum ſcandet, tunc ab Jove magno
Laeta tibi dabitur victoria; fortis Achivam
Ut caedas pubem, ad naves dum veneris; ortu
Noctis & occiduis Titan ſe merſerit undis.
Haec effata Iris paribus longe avolat alis.
Hector at e curru claris conſpectus in armis
Deſilit, &, magna quaſſans bellator acuta
Tela manu, huc illuc partem diſcurrit in omnem,
Hortaturque viros, pugnaeque incendit amore.
Haud mora, conſiſtunt alacres, atque obvia contra
Arma ferunt, frontemque adverſaque pectora telis
Oppoſuere: inſtant Graji, denſantque phalanges.
Ardet pugna iterum: ſumma nituntur opum vi
Hinc atque hinc. laetus totam procurrit Atrides
Ante aciem, exſultatque animis, gaudetque cruentae

v. 217. Prae

Prae cunctis laudem primus decerpere pugnae.
Dicite nunc, muſae, caeli fulgentia templa
Quae colitis, forti Atridae quiſnam obvius aut Tros
Aut ſocius toto princeps ex agmine venit.
Iphidamas Antenorides, quem, corpore magnum,
Fortem animo, dives Thracum in regione beata
Eduxit puerum Ciſſes avus, unde Theano
Orta eſt pulchra genas; nec, poſtquam contigit aevi
Pubentis florem, patriam dimiſit ad urbem,
Sed tenuit, gnatamque dedit, formoſa, Theanus
Formoſae ſoror, in patria quae manſerat aede.
At juvenis, famam ſectatus claſſis Achaeae,
Continuo, thalamum liquens coeptoſque Hymenaeos,
Vela dedit, ſociis biſſena in puppe ſecutis.
Ventum ubi Percopen, curvas liquere carinas,
Et ſacrae pedites venere ad moenia Trojae.
Is tunc Atridae ſeſe obvius obtulit. Haſta,
Ut propius venere, Agamemnon Iphidamanta
Appetiit; quae, verſa alio, non pertulit ictum.
Amphidamas zonam at mediam thorace ſub imo
Percuſſit; manibus validis & fretus, acutum
Urgebat robur; varium pervadere balteum
Nec potuit. duro argenti luctata metallo
Nam, molle ut plumbum, flexit ſe ferrea cuſpis.
Quam dextra arripiens Agamemnon, ut leo fidens
Ille animi, ad ſeſe traxit, telumque minacis
Evulſum e manibus rapuit: dehinc protinus enſe
Cervicemque ſecat, ſternitque immania membra.
Sic duro jacuit ſomno, dum civibus affert
Auxilium, longe, infelix, a conjuge, primo
Quam duxit florentem aevo, magniſque paravit
Muneribus, centum ille boves largitus; oveſque

v. 145.

Pol-

Pollicitus dehinc mile ſimul pingueſque capellas,
Innumerae quae prata illi ſilvaſque replebant.
Tum vero exanimem victor ſpoliavit Atrides,
Atque abiit Grajos inter fulgentia ſecum
Arma ferens. Hunc forte Coon, Antenore eodem
Editus, ac natu major, conſpexit; & atra
Nube viro luctus velavit lumina fratrem
Ob caeſum. ruit ergo furens (nil ſenſit Atrides)
A latere; ac mediam telum defigit in ulnam
Sub cubito; ac totam valido tranſverberat ictu.
Horruit Atrides, conſpecto ſanguine, pugnae
Non tamen & finem poſuit: ſed turbidus haſta
Irruit, atque ipſi ante omnes fert fata Cooni.
Ille pede arreptum fratrem celer Iphidamanta
Frigentem ad ſocios foedumque cruore trahebat,
Auxilioque virûm primos virtute vocabat.
Huic haſtam aerata fulgentem cuſpide adegit.
Sub clypeum, ſtravitque virum, ſupraque cadaver
Fraternum exanimi rigido caput abſtulit enſe.
Sic fata explerunt, nigrumque abiere ſub Orcum
Ambo Antenoridae ſub magnanimo Atrida.
Ordinibus Troum qui mixtus corpora leto
Multa dabat, nunc ille haſta, nunc enſe, molari
Nunc ſaxo horrendum pugnans, manabat ab alto
Sanguis adhuc tepidus dum vulnere; dehinc, ubi vulnus
Siccatum, & ſanguis tandem ſtetit, altus acuto
Figebat miſerum telo dolor; Ilithyiae,
Junonis proles, duris quae partubus adſunt,
Quali ſaepe ſolent, partus ubi venerit hora,
Telo aerumnoſas ſtimulare ac figere matres.
Ergo, ut vis duro defecit victa dolore,
Inſilit in currus, aurigam & vertere fidum

v. 278.

Juſ-

Juſſit equos longe ad naves; labefactaque preſſus
Corda malo, cedens altum clamavit Achivis:
  O ſocii, Grajae gentis regeſque duceſque,
Vos bellum Argivae peſtemque avertite claſſi,
Me quando hinc longe ſupremus Jupiter arcet,
Nec toto ſinit uſque die producere pugnam.
  Sic ait: elato bijugis auriga flagello
Inſtat equis: illi ad litus claſſemque volabant
Ultro alacres, ſpumiſque albentes pectora, & infra
Pulvereo ſparſi nimbo, moeſtumque gementemque
Hoſtibus e mediis regem in ſua caſtra ferebant.
  Hector, ubi Atriden vidit ſecedere ab armis,
Hortatur ſocios, acuitque in praelia laetum
Vociferans: Troës, Lyciique, ac Dardana pubes,
Eſte viri, atque animos & notas promite vires.
Optimus en abiit bellator; Jupiter aequus
Eximium praebet mihi nunc decus. ite volucri,
Recta ite in Danaos curru: date lora; paratam
Ut toties vobis cumulet nova gloria laudem.
  Haec memorans acri ſuccendit corda furore.
Qualis venator ſaevos ciet ille Moloſſos
Inſtigans aprum contra rabidumve leonem:
Talis magnanimos inſtigans Troas Achivam
In pubem torvo Marti par concitat Hector.
Ipſe inter primos graditur, Grajûmque phalanges
Turbidus in medias infert ſe; qualis, ab alto
Incumbens, niger ex imo ciet aequora turbo.
Quem primum, quem poſtremum Jove fretus amico
Ille virum Stygias victor demiſit ad umbras?
Aſſaeum ante alios premit, Autonoumque, & Opiten,
Et Dolopa Clytiden, & Opheltion atque Agelaum,
Aeſymnumque, Orumque, & dura ad praelia fortem

v. 303.

Hip-

Hipponoum. hos prima Danaûm de gente peremit;
Dehinc pavidum caedit vulgus, miſcetque. madentis
Imbrifero collecta Noti ceu flamine differt
Nubila trux Zephyrus; fluctu maria alta frequenti
Volvuntur, ſtridunt aurae, ſublataque flabro
Turgida multivago in ſpumas diffunditur unda:
Sic verſat, turbatque hoſtes, ac disjicit Hector,
Crebra virûm capita enſe metens: cladem que ſupremam
Ille adeo genti, & non eluctabile ferret
Exitium; verſi fugerent ad litora, in ipſas
Et ſeſe irruerent trepida formidine puppes;
Eſſet ni caro Diomedi haec orſus Ulyſſes:
Tydide, nam cur ſic ambo haeremus inertes,
Virtutem obliti ſolitam? mihi proximus adſta.
Turpe etenim ambobus, naves ſi ceperit Hector.
Haec Laërtiades: Diomedes talia contra:
Ipſe quidem maneoque, & forti mente manebo,
Quidquid erit: noſtri ſedenim non magnus, amice,
Uſus erit, laudem nobis cum ſummus ademptam
Dardaniae mavult largiri Jupiter urbi.
Sic ait; & curru Tymbraeum evertit, acuto
Ad laevam telo figens praecordia mammam:
At, comitem famulumque, Moliona ſtravit Ulyſſes.
Hos vitae, ac pugnae exortes liquere, ruuntque
Adverſum in vulgus turbantes agmina late.
Ut duo, fulmineis confiſi dentibus, apri
Venantum incurrunt canibus, torvique feruntur
Per medios, clade ingenti; ſic ocyus, ut ſe
Convertere viri, turbant ſternuntque phalangem
Dardaniam: at pulſi requierunt, pectore paullum
Sedato, Danai, queis Hector terga premebat.
Tum juvenes geminos praeſtanti corpore, eodem

Homer. v. 329.

Invectos curru dant leto. utrumque creavit
Eduxitque Merops Percoſius, ille futuri
Ante alios augur longe doctiſſimus omnes:
Ire nec optantes bellum ad crudele ſinebat.
Fruſtra; nam patrios monitus ſprevere. cruentam
Parca etenim ad mortem ſaeva inter bella trahebat.
His rigida vitam Diomedes abſtulit haſta,
Exanimeſque ſolo radiantibus exuit armis.
Hippodamum Laërtiades, & Hyperochon Orco
Miſit; at exſuvias victor ſibi cepit opimas.
Tunc pater, ex alta ſpectans haec deſuper Ida,
Ipſe parem aequato ſecit certamine pugnam.
Obnixi alternis caedebant mutua ſeſe
Hinc atque hinc telis. heros Tydeïus haſta
Paeoniden valida percuſſit Agaſtrophon ipſam
Ad coxam: huic bigae, fugiens quas ſcandere poſſet,
Non aderant. longe veſana mente relictus
Has, dominum fruſtra quaerens, auriga tenebat;
Ille pedes per bella ruebat, pulvere in atro
Dum cecidit, multo & vitam cum ſanguine fudit.
Hos procul ut vidit ſternentes agmina, clamans
Horrendum curſu rapido volat obvius Hector
Quem comitans Trojana phalanx ruit agmine denſo.
Proſpexit ſubito venientem, atque horruit acer
Tydides, ſociumque monens, haec fatur, Ulyſſem:
Nobis hic turbo malus ingruit, efferus Hector:
Attamen & ſtemus, contra pugnemus & una.
Sic ait; ingentemque haſtam jacit; ac ferit ictu
Ille quidem Hectoreum certo caput; ante ſed, intus
Acta cutem cuſpis quam tangeret, aerea caſſis
Obſtitit, oblongam, triplicem, tela omnia contra
Ipſe olim dederat regi quam Phoebus Apollo.

v. 353.

He-

Hector at abſiluit longe conterritus; & ſe
Rettulit ad ſocios, nutanti & corpore pronus
Genua ſolo poſuit, terraeque accline parumper
Suffulſit dextra corpus: nox urget opaca
Nube oculos; tenebris nigreſcunt omnia circum.
At, dum Tydides primos volat inter, & haſtam
Impiger, in viridi ſtratam tellure, capeſſit;
Interea lucemque hauſit, mentemque recepit,
Et, curru exceptus, Troum ſeſe intulit Hector
In turbam, mortemque fuga vitavit acerbam.
Quem rapto inſequitur telo rurſus Diomedes,
Cedentem & longe dictis inceſſit amaris:
  Mortem iterum fugiens vitas, canis improbe. venit
Quippe malum prope te, quo dignus. rurſus Apollo
Eripuit, dirum ſervans caput; arma capeſſens
Cui tu vota facis, credo: tamen obvius olim
Te leto ſternam, ſi quis deus & mihi praeſens
Venerit auxilio. nunc, quem mihi cunque tuorum
Fors alium obtulerit, praeſtat demittere ad umbras.
  Sic ait; & pulchris nudabat Agaſtrophon armis.
Flavicomae at conjux Helenae, Paris inclytus, arcum
Tendebat contra Tydiden, ille columnam
Poſt latitans, Ili ſtabat quae infixa ſepulcro,
Priſci Dardanidae. Tydides arma legebat
Paeonidae, varium thoraca, ingentia ſcuta,
Aere gravem galeam: cornu arcus ille recurvi
Adduxit; nervo nec fruſtra pulſa ſonante,
At dextrum trans acta pedem, plantamque ſub ipſam
Evadens, penitus telluri eſt fixa ſagitta.
Tum Paris e latebra citus exilit, atque cachinnans
Jucundum, has fudit laetanti pectore voces.
Vulnus habes, cuſpiſque meo non fugit ab arcu

v. 380.

Irrita . ſic utinam ventrem tibi fixa ſub imum
Illa foret ; Troaſque metu , longaque levaſſet
Aerumna ; qui te fugiunt horrentque , capellae
Saevum ut balantes pavitant , haedique leonem .
At non dejectuſve heros , vel territus : Uno
Arcu fortis , ait , bellator , compte , puellas
Fallere docte , palam ferro ſi cernere mecum
Jam libeat , nil tela tibi , nil proderit arcus .
At nunc , ima pedis telo quod ſtringere tantum
Contigit , exſultas animo , jactator , inani .
Vulnere nil moveor ; ceu ſi me foemina , parvus
Vel puer imbelli dextra pulſarit . inertis
Tela viri nam caſſa volant . contra , mea telum
Dextera quod miſit , ſubit alte , ac dejicit hoſtem
Exanimum ; & ſiquem paullum modo contigit , olli
Uxor ſciſſa genas moeret , gnatique parente
Flent orbi ; ipſe atro putreſcit ſanguine terram
Perfundens , non tecta intra de more puellis
Fletus , at alituum ſaevo diſcerptus ab ungui .
Haec ille : interea , trepiduſque accurrit Ulyſſes ,
Atque hoſti adverſus carum ſtetit ante ſodalem .
Ille autem ſeditque ſolo poſt terga , ſagittam
Et volucrem talo extraxit . dolor ingruit ingens
Continuo . ergo aeger currum conſcendit , & altas
Aurigam ad puppes curſum contendere juſſit .
Solus ibi , avecto Diomede , relictus Ulyſſes ;
Nec lateri adſtabat quiſquam comes : at procul omnes
Dilapſi , gelido tremefacti corda pavore .
Ergo altum ingemuit ; ſecum dehinc talia fatur .
En quid agam ? fugiſſe , malum ; deprendier unum
Hoſtibus in mediis , pejus . nanque altus abegit ,
Inque fugam hinc Danaos convertit Jupiter omnes .

v. 406.

Sed

Sed mihi mens geminas cur nunc diſtracta volutat
Haec ſecum in partes? Novi quid praeſtet. inertes
Excedunt pugna, fortis vir perſtat eodem
Uſque loco, figitque hoſtem, vel figitur hoſti.
Tales dum tacito verſabat pectore curas,
Interea Troum adventat ſcutata juventus,
Et magno circum fundit ſeſe agmine, cladem
Illa ſuam denſa cingens claudenſque corona.
Ac velut in ſilvis juvenumque, canumque caterva
Denſa ruens aprum premit omni ex parte; profundum
Ille nemus liquens malaſque obvertit, aduncum
Et dentem infrendens acuit; circum undique ſeſe
Hi glomerant, inſtantque acres, hirtiſque morantur
Horrentem ſetis, atque ore immane frementem:
Sic Laërtiaden pubes condenſa premebat.
Ille ſed ingenti contra imperterritus haſta
Proſilit, ac primum dat leto Deïopiten
Egregium, feriens vibranti cuſpide colla
Supra humerum: inde Thoona, inde Ennomon occupat, inde
Cherſidamanta, celer dum curru deſilit alto,
Trans clypeum fixa in ventrem tranſverberat haſta.
Corruit, ac paſſis tellurem amplectitur ulnis.
Deſerit hos; telo & Charopem ferit acer acuto
Hippaſiden, Soci fratrem. qui, vulnus acerbun
Vidit ubi cari fratris, luctu efferus, amens,
Advolat auxilio, & propior ſtans talia fatur:
O Laërtiade, quem fraudum, quemque laboris
Omnigeni clarat non unquam expleta cupido.
Hippaſidum vel te jactabis morte, cruentis
Et ſpoliis hodie amborum, confoſſus ab haſta
Hac potius vel tu nigras mittere ſub umbras.
Dixerat & clypeum veſana concitus ira

v. 434.

In-

Ingentem ferit; haſta gravis quem fregit & ipſum,
Loricam & vario fulgentem tranſiit aere,
Atque cutem ſecuit, coſtiſque abſcidit: at intro
Viſceribus ferrum demergi haud paſſa Minerva eſt.
Non letalem haſtam ſenſit veniſſe, recedens
Et paullum, his Socum dictis compellat Ulyſſes:

Ah miſer! exitium quem jam fatale merentem
Opprimet. a pugna tu me hinc ſecedere cogis;
At tibi ego heic mortem dico fore; teque, meo jam
Perdomitum telo, mihi laudem ſcilicet, Orco
Triſti animam caeca longe ſub nocte daturum.

Sic ait: ille fugae dat ſeſe averſus; at haſtam
Hic tergo infixit medio, pectuſque cruentam
Per medium exegit. ruit ingens, terraque ſubter
Inſonuit. caeſo inſultans haec fatur Ulyſſes:

O Soce, eduxit fruſtra quem clarus in armis
Hippaſus, en domitus leto es, nec triſtia fata
Vitaſti. infelix! tibi non pater, & bona mater
Exanimi claudent frigentia lumina, dirae
Sed volucres alis complexae rapta vorabunt:
At mihi, morte obita, Grajûm gens funera ducet.

Haec fatus, validam, Socus quam torſerat, haſtam
Exemit coſtis, clypeoque: e vulnere ſanguis
Emicuit, durique animum ſubiere dolores.
Magnanimi at Troës, conſpecto ſanguine Ulyſſei,
Clamorem tollunt, ſeque exhortantur, & omnes
Uni inſtant. retro ille pedem fert uſque recedens,
Et magna caros inclamat voce ſodales.
Ter vaſtum toto clamorem ex ore profundit,
Ter miſſam audivit vocem fortis Menelaus;
Et citus Ajacem compellans talia fatur:

Ajax, clarum alti germen Telamonis, Ulyſſei

* v. 465.

(Nec

(Nec fallor) pulſas mihi vox circumſonat aures,
Clamantis, ſolum ceu ſi Trojana juventus,
Secluſum longe a ſociis, pugna urgeat acri.
Ergo, agedum, celeremus opem, denſamque ruamus
Per turbam; nequid, ſolus foede hoſte relictus
In medio, ferat ille manu bonus, atque ſagaci
Ingenio cunctis praeſtans vir; raptus & ingens
Ne deſiderium, luctumque relinquat Achivis.
 Dixit, & antetulit greſſum celer: incitus aeque
Ajax par divis graditur, Troaſque ſuperbus
Dat ſeſe in medios, ubi dium plurima Ulyſſem
Turba, inſtans telis, magno & clamore, premebat.
Cervum avidi ut quondam circumſtant agmine denſo
Ingentem thoës; telo venator adacto
Quem fixit; citus ille abiit, curſuque ſequentem
Evaſit, tepidus dum ſanguis, dumque moventur
Crura; inde, ut vires penitus jam dira ſagitta
Perdomuit, ſtratum celſis in montibus umbra
Sub nemorum thoës diſcerpunt: ducat eodem
At ſubito fortuna horrendum ſiqua leonem;
Illi diffugiunt, praedam hic ſibi vindicat unus:
Sic Laërtiaden dextra laevaque premebat
Martia Trojugenum pubes: at ſaucius heros,
Haſtam aegre intentans, a ſe vix triſtia fata
Arcebat. ſubito magnus cum ſe intulit Ajax,
Immanem & laeva geſtans, turrique ſuperbae
Aſſimilem clypeum, propior ſtetit: at pavor omnes
Invaſit gelidus Troas, paſſimque, ſoluta,
Huc temere, atque illuc trepidi fugere, phalange.
Interea turba e media Menelaus Ulyſſem
Eduxit, dextra ſuſtentans, impiger egit
Dum celeres, dominum excipiens, auriga jugales.

v. 488.

Aſt

Aſt Ajax Troas contra ruit, atque Doryclum
Morte, nothum Priami, ſternit; dehinc Pandocon haſta,
Lyſandrumque ferit; dehinc Pyraſon, atque Pylarten.
Ac veluti praeceps montano a vertice torrens
Subjectos ruit in campos, ille imbribus auctus
Ab Jove; & ingentes annoſo robore quercus,
Et piceas raptat ſecum, vaſtoque ſonore
Turbidus aequoreas limum devolvit in undas:
Sic campo eximius ruit Ajax, agmina late
Verſa virûm ſternens; peditesque horrendus, & acres
Turbat equos; longe ignarus dum parte ſiniſtra
Totius in pugnae Martem exercebat amoenas
Ad Xanti ripas Hector, capita alta virorum
Multa ubi praecipue cervice abjuncta cadebant,
Immenſusque ibat pugnantum ad ſidera clamor,
Neſtora Neliden circa, & circa Idomenea.
His ſeſe intulerat ferus Hector, diraque patrans
Vaſtabat denſas, curruque haſtaque phalanges.
Nec tamen urgenti pubes ceſſiſſet Achaea,
Et latum praeberet iter dimota; Machaon
Ni, primos inter dum pugnat, laeſus acuto
Dextrum ferro humerum ſubito foret. eminus arcum
Intendit contra, fixitque tricuſpide telo
Nanque ducem conjux Helenae, Paris: at metus acer,
Vulnere conſpecto, ſpirantes robur Achivos
Inceſſit, ne forte virum, verſo agmine, Troës
Exciperent. Ergo Idomeneus compellat amicum
Neſtora, & haec moeſto ſuſpirans pectore fatur:
O Neſtor, Grajae gentis decus, en age, currus
Scande tuos, tecum & ſcandat, mora nulla, Machaon;
Alipedes & equos pelle ad tentoria. ſerva
Regem, oro, medica praeſtat qui clarus in arte,

v. 514.

Unus

Unus & eſt pretio par multis, fixaque tela
Eximere & ſaevum doctus lenire dolorem.
  Haec ait: hortanti paret Neleïus heros,
Atque ſuos ſcandit currus; juxtaque Machaon
Aſcendit, proles Aſclepî, clara medentes
Inter quem caelo ſublimem gloria tollit.
Tum bijugos flagro admonuit reſonante: volentes
Illi corripiunt ſpatium, curvaſque volucri
Ad naves curſu, ac tentoria nota feruntur.
  Cebriones Troas turbatos, Hectoris alto
Auriga e curru proſpexit; nec mora dium
Hac regem fidus compellat voce miniſter:
  Hector, nos longe camporum in parte remota
Heic Danaûm vulgo miſcemur, limes ubi ipſe
Horriſoni eſt belli: Troës turbantur in illa
Parte alii; magnoque viros, curruſque tumultu
Disjicit, ac miſcet pulſos Telamonius Ajax.
Quippe virum noſco, clypei ſeptemplicis orbe
Lato ſeptum humeros. Quin ergo vertimus illuc
Jam bijugos, currumque, gravi certamine pugna
Fervet ubi, mixti & pedites equiteſque fragore
Mutua ſe ingenti caedunt, ardetque virorum
Clamor inexſtinctus pugnantum, animiſque frementum?
  Sic ait; ac torto pendens in verbera flagro
Argutum inſonuit. ſimul audivere flagellum,
Incaluere animis acres, currumque ſonantem
Alipedes curſu volucri per Troas, Achivum
Per cuneos rapuere, virûm per ſtrata jacentum
Corpora, per clypeos. infra madet axis, & omnem
Perfudit ſanguis currum; geminique rotarum
Orbes, cornipedum & pulſu gravis ungula rorem
Purpureum late ſpargit. cupit ille ſubire

Adverſam Grajorum aciem ac perfringere; jamque
Se dedit in medios atrox, trepidiſque tumultum
Intulit, arma ruens contra obvia: ſaevus & uſque,
Ordinibus paſſim disjectis, enſe coruſco,
Fulmineaque haſta, ſaxiſque molaribus inſtans.
Nec tamen Ajacem eſt auſus tentare; ſed unum
Vitabat, metuens vimque, ac immania membra.
  At pater Ajaci altitonans in corda timorem
Incuſſit. ſtetit attonitus; timiduſque pericli
Rejicit in tergum clypei ſeptemplicis orbem;
Intremuitque artus, pugnaque excedere coepit,
Ille ferae ſimilis, vertens huc lumina & illuc
Se circa, dubiuſque ferens veſtigia retro
Improperata; hoſti, converſa fronte, reſiſtens
Interdum. fulvum a ſtabulis ceu denſa leonem
Turba canum, atque virûm certat prohibere; boum nec
Impleri cupidum pingui ſinit, uſque ſub alta
Nocte vigil; diro praedae ſuccenſus amore
Ille ruit contra; quidquam nec proficit; auras
Certa ſecant, validis nam tela intorta lacertis,
Atque faces miſſae terrent, ſiſtuntque: recedit
Moeſtus mane, gradu & lento ſua luſtra reviſit:
Sic Troum e turba, moerenti pectore, lentus
Digreditur, claſſemque Ajax, & curva capeſſit
Litora; & Argivis timet Hectoris arma carinis.
Ac veluti, pueris nequidquam obſtantibus, arvum
Ingreſſus tarda quadrupes de gente rudentum;
Multi cui fracti ſunt duro in tergore fuſtes,
Calluit & plagis dorſum; depaſcitur altam
Dentibus attondens ſegetem: circum undique molles
Paſcentem pulſant pueri, maleſirmaque jactant
Brachia nequidquam vi nulla; vixque morantem

v. 560.

Ex-

Expellunt, poſtquam ſe paſtu implevit opimo:
Sic Telamoniaden Troës, ſociique premebant
Ingentem: ille autem adverſa nunc fronte reſiſtens
Pugnabatque acer, ſiſtebatque agmina; tardae
Verſa fugae nunc terga dabat: cunctiſque morando
Obſtitit, ad curvas ne poſſent ire carinas.
Ille quidem medius Troumque & pubis Achaeae
Dira fremens ſtabat; validis contorta volabant
Tela virûm e manibus: pars vaſto fixa tremebant
In clypeo, pars magna, ſolo delata prius quam
Fulgenti quirent ferro contingere corpus,
Horrebant ſpatio in medio, tepidumque cruorem
Optabant, fraudata ictu, defixaque terrae.
  Hunc ubi conjectis Euaemonis inclyta proles,
Eurypylus, telis vidit preſſum undique, propter
Adſtitit, atque haſtam ferro vibrante coruſcam
Torſit, Phaſiaden figens Apiſaona regem.
Quippe gravis ſubter praecordia tranſiit ictum
Haſta jecur, ſtravitque virum, & membra omnia ſolvit.
Eurypylus celer adſiliit, rapienſque trahebat
Arma humeris. humeris Apiſaonis arma trahentem
Conſpexit pulcher longe Paris, & citus arcum
Direxit contra ſinuans, dextroque ſagittam
Letalem immiſit femori. diffractaque arundo eſt,
Et femur indoluit fixum alto vulnere: vitans
At mortem Eurypylus ſociûmque recedit in agmen,
Atque, alta Danaos inclamans voce, profatur:
  O ſocii, o Grajae gentis regeſque, duceſque,
State hoſtem contra, mortemque arcete cruentam
Ajaci; quem tela premunt, quem ferrea grando
Obruit: horriſonae vivus diſcrimina pugnae
Nec, reor, effugiet. verſis at frontibus omnes

Ajacem circa magnum conſiſtite; magno
Cuncti alacres Telamoniadae prohibete periclum.
Saucius haec, Danaûm ſuccendens pectora, clamat
Eurypylus. verſi conſiſtunt agmine denſo;
Seque viro agglomerant, humeriſque micantia ſcuta
Inclinant, haſtaſque aerata cuſpide torvi
Arrexere. Ajax venit queis obvius, hoſti
Et ſtetit adverſus, ſociûm ſtipante caterva.
Sic latis illic pugnae certamina campis
Ardebant, quales volvunt incendia flammae.
Parte alia patriis linquebat praelia Neſtor
Vectus equis; madidae largo ſudore vehebant
Quae ſimul ad litus curvaſque Machaona puppes.
Hunc pernix longe conſpectum agnovit Achilles,
(Stabat enim celſa in puppi, Danaûmque laborem
Spectabat, miſeramque fugam) tum protinus ad ſe
Voce vocat carum e navi Patroclon. amicam
Agnovit vocem, citus ac tentoria linquens
Patroclus prodit Marti par. hoc fuit olli
Principium cladis fatale, ac mortis origo.
Peliden prior his affatur clara Menoetî
Progenies: Tibi me quid opus Pelida? vocatum
Quid facere, aut quonam ire jubes? Cui fortis Achilles:
Dic Menoetiada, ante omnes mihi care ſodales,
Nunc Danai, reor, haec venient ad ſepta, meiſque
Suppliciter genibus ſe affundent. queis grave triſtis
Aerumnae incubuit nec jam tolerabile pondus.
Sed celer i tu, care Jovi Patrocle, rogato
Neſtora; quis, curru impoſitum quem praelia ſecum
Extra fert? mihi, dum contemplor terga, Machaon
Eſſe Aſclepiades eſt viſus: cernere frontem
Haud licuit, celeres cum tranſcurrere jugales.

v. 614.

Talia

Digitized by Google

Talia Pelides. Patroclus juſſa capeſſit,
Itque rates praeter celeri ac tentoria curſu.
Illi ut Nelidae venere ad ſepta, relicto,
Ad terram Neſtor, curru, pariterque Machaon
Deſcendunt: aſt Eurymedon auriga frementes
Curru abjungit equas. maris heic in litore paullum
Conſtiterunt, tunicas multo & ſudore madentes
Laxarunt, Zephyri perflandas lenibus auris.
Dehinc geminis, celſa ingreſſi tentoria, ſellis
Conſedere. illis potum formoſa Hecamede,
Rite manu rerum commiſcens multa, parabat.
Hanc ſenior, Tenedi cum moenia vertit Achilles,
Magnanimi natam Arſinoi, memorabile donum,
Ceperat; exſortem Nelidae coetus Achivûm
Quam dederat, Grajos inter quod primus haberi
Conſilio meruit ſapientę bonoque. nitentem
Haec illis menſam appoſuit tunc ſedula, nixam
Cyaneis ſubter pedibus; menſaeque ſuperne
Aeratam impoſuit lancem, potantibus aptum
Quae eaepe, ac mellis flaventia dona gerebat.
Tum niveam juxta haec Cererem; pateramque, ſuorum
Geſtamen proavûm, patria quam Neſtor ab aede
Attulerat, claram bullis radiantibus auro.
Quatuor huic aures exſtant, ad quanque columbae
Hinc atque hinc geminae ex auro fulgente locantur.
At duo ſunt fundi ſubter. quae plena Lyaeo
Cum ſtaret gravis, haud ullo molimine tolli
Cuiquam longaevo poterat. tollebat at unus
Ille tamen, nulloque ferebat ad ora laborę.
Heic mulier tum dia illis Pramneïa vina
Miſcuit, & preſſi lactis deraſit ab orbe
Pauxillum ſolido, ſuper & candente ſarina

v. 640. In-

Inſperſit; juſſitque bibi jam rite paratum.
Illi ubi proluerunt arentia labra, ſitique
Jam poſuere modum, alterno ſermone fruuntur.
Ecce autem in foribus Patroclus conſtitit. illum
Ut vidit ſenior, miratus ſede nitenti
Exſiluit, prenſumque manu in tentoria duxit,
Et, blando affatus vultu; conſidere juſſit.
Abnuit, ac celeri haec feſtinus voce profatur.
Nil opus ut ſedeam; mihi nec mora libera. parce
Hortari, venerande ſenex. multumque verendus,
Et laedi eſt facilis, qui me vir miſit, & unum
Scitari hoc juſſit: quis ſaucius ille, vehebas
Quem curru? at novi, videoque Machaona regem.
Nuncius ergo ibo celer hoc dicturus Achilli.
Nanque, ſenex, ſcis ipſe, animi quam ſaevus & aſper
Ille ſit, & culpae expertem culpare paratus.
Talia Patroclus. Neſtor cui talibus infit:
Nam cur nunc Danaûm, paſſi qui vulnera, magnum
Peliden miſeret? necdum ſcit quanta per omnes
Tempeſtas ivit; quanto caſtra omnia luctu
Miſcentur. curvas ad naves lumina Grajûm
Prima jacent, haſtiſve icti, volucrive ſagitta.
Arcu vulnus habet Diomedes inclytus armis;
Haſta Ithacum fixit, fixitque Agamemnona dium;
Eurypylo dextrum ſubiens femur hauſit arundo;
Hunc ego nunc pugnae ſubduxi, pulſa ſonante
Quem nervo cuſpis laeſit. nec dius Achilles,
Ille bonus bello ut nemo, curatve, doletve
Rem Danaûm lapſam? nec adhuc miſereſcere ſaevus
Incipit? an flammam exſpectat dum puppibus Hector
Inferat, Argivis fruſtra & pugnantibus, igni
Cuncta cremet; Grajoſque extremum ad litus adactos

v. 666.

Cae-

Caedat acervatim ferro? Non eſt mihi nanque,
Olim agili fuerat quae vis in corpore. talis
O ſi nunc eſſem, primaevo in flore juventae
Qualis eram, Eleos inter, Pylioſque coortum eſt
Certamen, raptis, qua tempeſtate, juvencis.
Leto ego Hiperochiden cum ſcilicet Itymonea,
Qui ſedem in diti ſibi fixerat Elide, ſtravi,
Pignoribus captis, & praeda laetus abacta.
Ille quidem, armentis Pylias avertere turmas
Dum cupit, ac primos inter dum pugnat, acuto
Dextra virum haec telo Stygias demiſit ad umbras.
Qui poſtquam jacuit, tremefactaque fugit agreſtum
Dura manus, ſecum quos duxerat ille, virorum;
Egimus ingentem nos praedam ex omnibus agris,
Quinquaginta boum procera armenta, gregeſque
Caprarum totidem, totidemque oviumque, ſuumque,
Et decies quindena rubentum corpora equarum;
Nec paucis ſuberant generoſo e ſemine pulli.
Haec nos cuncta Pylum, Neleus ubi regna tenebat,
Compulimus nocturni: animo eſt laetatus at ille,
Quod juveni obtigerat, tum primum ad bella profecto,
Tam diti praeda magna cum laude potiri.
Ac primo veniens Aurora ut fulſit ab ortu,
Praecones magna clamantes voce vocabant,
Elide queis aliquid quiſquam deberet in ampla;
Et Pylii tota proceres ex urbe coacti
Rite ſuas praedam in partes tribuere (ſuperbi
Rapta etenim multis debebant plurima Epei,
Ex quo fracta malis fuerat Pylus, ac data peſſum.
Quippe olim veniens armis afflixerat urbem
Alcides, floremque virûm proſtraverat omnem.
Biſſeni fuimus Nelidae fortibus armis

v. 691.

Egregii ; ſolus reſtabam : cetera fratrum
Turba omnis leto crudeli ſtrata jacebat.
Nos igitur, tumidique animi, bellique potentes,
Spernebant, nunquam & ceſſabant laedere Epei.)
Tum ſenior Neleus numero ſibi legit ab omni
Atque boum, atque ovium tercentum corpora, multam
Paſtorum & turbam. magna illi debita nanque
Res erat, alipedes quatuor certamine in omni
Adſueti palmis, curruſque, ad praemia miſſi,
Eximium ut tripodem curſu pernice referrent.
Hos ſibi rex illic Augeas ceperat, omne
Contra fas retinens : aurigam at multa dolentem
Dimiſit, probriſque minax oneravit acerbis.
Haec propter maledicta ſenex malefactaque, toti
Iratus genti, ſibi multa exemit ; in omnes
Cetera dehinc juſſit tribui, pars ut ſua cuique
Expleret magno acceptam cum foenore noxam.
Talia dum laeti curamus in urbe, juvencos
Et pingues vulgo feſtas mactamus ad aras,
Continuo, tres poſt ſoles, venere parati
Bello, multa virûm pubes, multuſque frementum
Cornipedum numerus ; geminique Moliones arma
Induerant pariter, pueri ambo, corpora nondum
Firmi, nec vario docti contendere Marte.
Eſt quaedam Alphei ripam ſuper edita in alto
Colle, Pyli extremis in finibus, urbs Thryoëſſa.
Hanc triſti primam optabant evertere bello.
Necdum etiam campos tranſgreſſi moenibus altis
Admorant aciem ; caelo eſt delapſa Minerva ;
Atque, Pyli mediam curſans nocturna per urbem,
Armari juſſit pubem ; cunctique ruebant,
Sponte ſua cupidi, ſaevae in certamina pugnae,

v. 716.

Me

Me tamen armari Neleus haud ſivit, equoſque
Abſcondit; nec enim varii ſatis eſſe peritum
Martis adhuc, aevi pubentem flore, putabat.
Non minus at currus inter ſpectabilis ibam
Ipſe pedes; ducebat enim ſic Pallas in arma.
Eſt flumen, dicunt Minyeum nomine, quod ſe
Arenen juxta aequoreas devolvit in undas.
Heic equites Pylii, pubes delecta, rubentem
Manſimus Auroram, peditumque affluxit eodem
Poſt nos denſa manus. tum, bello inſtructa juventus,
Cuncti una, Alphei, medio jam Sole, fluenta
Venimus. utque Jovi primum de more litatum eſt,
Alpheo taurum, taurum mactamus opimum
Neptuno, indomitamque bovem, ſua ſacra Minervae,
Inſtruimuſque dapes turmatim; ſtrataque, in armis
Quiſque ſuis, dedimus jucundo membra ſopori
Propter aquam. Haud longe Thryoëſſae ad moenia Epei
Conſtiterant, urbemque armis vaſtare parabant.
Ante ſed inferrent quam ſe urbi, triſte coortum eſt
Martis opus duri miſeris. nam, luce rigavit
Terram ubi Sol clara exoriens, nos, rite precati
Caelicolum regem, bellatricemque Minervam,
Congredimur. primo tunc pugnae primus in orſu
Fortem ego, cornipedes capiens currumque, peremi
Mulion, egregium bello ſibi legerat ipſe
Quem generum Augeas; thalamo cui junxerat ultro,
Natarum primam formaque aevoque, Agameden
Doctam cuncta, effert late quae pharmaca tellus.
Hunc fixi contra venientem cuſpide primus
Aerata. jacuit, vaſto ingens corpore, in atro
Pulvere: laetus ego vacuos celeri pede currus
Inſilui, primiſque antiſtans praelia obibam

Homer. v. 743.

Ordinibus. trepida capti formidine Epei
Diffugere, ſolo poſtquam videre jacentem,
Qui, bello ante alios longe fortiſſimus omnes,
Dux turmas equitum bellantes primus agebat.
Aſt ego nigranti ſimilis per bella procellae
Uſque ruens, cepi currus fulvo aere nitentes
Quinquaginta, mea confoſſi & corpus ab haſta
Quoque duo e curru terram petiere minaci
Ore viri. quin morte Molionas Actore cretos
Straſſem etiam, pueros deus ipſe tridentifer ambos
Ni ſubito involvens nebula rapuiſſet opaca.
Tunc laudem Pyliis divûm rex ac decus ingens
Annuit. hoſtem etenim fuſum per plana ſecuti
Arva ſumus, caedi inſtantes, atque arma legentes,
Buprafium donec celeres ad pingue jugales
Egimus, Oleniamque ad rupem, & Aleſion, illuc,
Eſt ubi (ſic vocitant) Collis; nos unde Minerva
Ire domum reduces juſſit; poſtremus ubi haſta
Vir mihi confoſſus cecidit. tum laeta juventus
Vertit equos digreſſa Pylum; gratuſque canebat
Quiſque Jovem e divis, mortali e gente virorum
Neſtora. Talis eram bellantum in pube: ſuorum
Immemor at ſoli ſibi tantum eſt fortis Achilles.
Sed tamen ipſe etiam flebit, reor, omnis Achivûm
Dardanio fuerit pubes cum perdita ferro.
O bone, nunc patris ſubeant tibi verba Menoetî,
Quaeque dedit praecepta ſenex, mittebat Atridae
Auxilio cum te patriis e finibus; ipſe
Auribus his quae cuncta, & mecum audivit Ulyſſes.
Quippe ambo Pelei pulchras advenimus aedes,
Cogimus Argolicas dum pubem ad bella per urbes.
Illic tum nobis heroſque Menoetius, & tu,

v. 771.

Par-

Parque deûm pueris puer eſt inventus Achilles.
Quippe Jovi media Peleus adolebat in aula
Pingue femur tauri ingentis, pateramque tenebat
Auratam vinum fundens ardentia ſupra
Exta: dapes at vos memini curare. morati
Nos paullum ante fores ſtetimus: miratus Achilles
Exſiluitque, manuque apprenſos duxit in alta
Limina, & ingreſſos blandus conſidere juſſit,
Appoſuitque epulas large bonus hoſpes amicis
Hoſpitibus. functi dapibus, dulcique Lyaeo
Ut ſumus, orſus ego ſermonem, hortabar utrumque
Nos ad bella ſequi. vobis at Martis amore
Ocyus arſerunt miro juvenilia corda.
Tum cupidis ambo mandata dedere parentes.
Ac ſenior primum Peleus praecepit Achilli,
Semper ut in Grajûm numero foret optimus omni.
Actorides at plura Menoetius haec tibi dixit:
Nate, patrum claro eſt te ſanguine major Achilles,
Viribus & validis; tu natu major at illo es.
Ergo comes quod opus juveni praeſcribe, monere
Nec parce: ille tibi parebit vera monenti.
Haec mandata dedit ſenior, quae jam tibi mente
Oblita fluxere. ſed, o bone, dicito Achilli
Haec eadem vel nunc. forſan meliora ſequetur;
Atque, deus tua dicta aliquis ſi forte ſecundet,
Immanem vinces animum, durumque rigorem
Inflectes monitis: ſocio vis magna monenti eſt.
Quod ſi forte aliquod devitat conſcius omen,
Ab Jove ſi retulit quidquam dea mater acerbi;
Te ſaltem, ipſe manens, mittat, tecumque ſuorum
Agmina Myrmidonum; tam nigro in turbine belli
Siquam forte queas Danais affundere lucem.

v. 797.

Arma tibi ſua det tantiſper ferre; reverſum
Trojugenae ſi forte putent in praelia Achillem,
Decepti armorum facie; pugnaque timentes
Abſtineant paullum, pubes dum Martia Grajûm
Preſſa malo, revocetque animos, longique laboris
Vel parvam capiat requiem. vel parva laborum
Dulcis enim requies bellanti. prona leviſque
Res fuerit vobis, integro robore, Troas
Pellere defeſſos, ratibuſque avertere ad urbem.
Sic ait, inceditque viro praecordia dictis.
Ergo alacer praeter naves tentoria curſu
Fertur ad Aeacidae celeri. ſed, venit Ulyſſis
Ut propter puppes; ubi Grajis juſque, forumque,
Atque deûm puro conſtructa altaria ſaxo;
Illic Eurypylus, proles Euaemonis alti
Clara, improviſo miranti occurrit, acuto
Ille femur fixus telo, & veſtigia claudus
Tarda trahens; larguſque humeris & vertice ſudor
Manabat; ſaevoque niger de vulnere ſanguis
Exſiliens ibat; ſed mens immota manebat,
Nec dejecta malo. Quem cernens flevit, & alto
Verba Menoetiades gemitu haec de pectore fudit:
O miſeri Danaûm regeſque duceſque! futuri
Eſtis ut heic, longe a patria cariſque propinquis,
Eſca feris canibus Trojano in litore! at, heros
Eurypyle, immanem, dic, ſiſtent Hectora Graji?
Illius an ſaeva domiti ſternentur ab haſta?
Eurypylus contra: Nullum, Patrocle relictum eſt
Perfugium Grajis; dura qui morte peribunt
Navibus in mediis. nam, quorum plurima virtus,
Viſque, jacent cuncti ad naves, pars cuſpide caeca
Eminus, aerata pars vero cominus haſta

v. 825.

A Teucris confoſſa. quibus magis & magis uſque
Membra vigent, animoſque ciet Mavortius ardor.
Verum age, & hanc animam ſerva. tentoria ad alta
Duc aegrum; femorique haerentem excide ſagittam,
Ac tepidos adhibe latices, nigrumque cruorem
Elue: ſparge ſuper dehinc lenia pharmaca, ſiſtat
Queis dolor, ipſe tuus tibi quae monſtravit Achilles,
Ut perhibent, docuit quem Chiron, optimus ille
Inter centauros, & ſervantiſſimus aequi.
Qui duo ſunt medici, Podalirius, atque Machaon,
Saucius horum alter jacet ipſe, optatque medentem,
Ut reor, eximium; duro ſub Marte laborem
Alter in Iliaco fert miſcens praelia campo.
Talibus oranti Patroclus talia reddit:
Aequa rogas: anceps at diſtrahor. en quid agemus,
Eurypyle armipotens? quae mandat Neſtor, Achivûm
Cuſtos, dicta fero Pelidae. nec tamen, etſi
Feſtinem, deero tibi tali in tempore, amice.
Dixit, & amplexus regem in tentoria duxit.
Cui famulus viſo taurorum mollia terga
Subſtravit: ſupra porrecto excidit acutum
Patroclus cultro telum, tepidaque cruorem
Lavit aqua, & manibus radicem trivit amaram,
Inſperſitque: omnes olli quae inſperſa dolores
Sedavit; ſicco ſtetit ater vulnere ſanguis.

HOMERI ILIADOS

LIBER DUODECIMUS.

Sic Danaûm in caſtris proles invicta Menoetî
Eurypylo vulnus curabat. Troïa pubes,
Atque Argiva gravi interea certamine durum
Martem exercebant conferti; foſſaque, & altus
Nequidquam obſtabat murus, quem Graja tuendis
Navibus ingentem fuerat molita juventus;
Centum nec tauros mactaverat auſpicibus dîs,
Incluſas intus naves, gazamque coactam
Undique ut ille diu ſervaret. numine ſtructa
Moles magna deûm non aequo, tempore parvo
Manſit, dum vixitque Hector, vitavit & arma
Iratus Danais Pelides, & ſtetit alta
Urbs Priami, nondum Grajorum ſubruta ferro.
At, poſtquam Troum quiſquis praeſtabat in armis
Abſumptus leto eſt, Grajûm & pars triſte ſubivit
Fatum, pars tota ſoſpes de gente relicta eſt,
Ac decimo urbs tandem Priameïa concidit anno,
Et Danai patrios petierunt claſſe Penates;
Conſilium cepere una rector maris alti
Neptunus, Phoebuſque, omnem de ſedibus imis
Eruere extemplo murum, rapidamque frementum
Subjectam in molem ſubito vim mittere aquarum,
In mare ſilvoſa quotquot volvuntur ab Ida;
Rheſumque, Heptaporumque, Careſumque, Rhodiumque,
Aeſepumque, & Grànicum, diumque Scamandrum,
Et clarum Simoënta; ubi ſcuta ingentia, multae

v. 22.

Et

Et galeae, atque virûm jacuit ſub gurgite pubes
Inclyta ſemideûm. ſpumantia Phoebus Apollo
Horum cuncta ſimul convertitque ora, novenos
Perque dies muro laxis immiſit habenis.
Interea caelo mittebat Jupiter imbrem
Perpetuum, eluvie magna demerſa periret
Ocyus ut moles; ſublatumque ipſe tridentem
Neptunus dextra geſtans ducebat aquoſum
Agmen, cuncta ſolo & vellens disjecit in undas
Fundamenta, labor quae Grajûm jecerat ingens,
Stipitibuſque altis, ſaxoque exſtructa molari;
Omnia & aequavit late ad rapidum Helleſpontum.
Inde, ubi disjecti nuſquam veſtigia muri
Reſtabant, multa litus complevit arena,
Dimiſitque amnes, rurſum ſe ut conderet alveo
Quiſque ſuo, puras ubi ſuerat volvere lymphas.
Sic murum Neptunus erat Phoebuſque daturus
Exitio, tum circa ingens clamorque virorum
Pugnaque fervebat; celſa & tabulata ſonabant,
Aeriae & denſa telorum grandine turres.
Ad naves Danai preſſique, Joviſque flagello
Edomiti, ſaevi metuebant Hectoris iras,
Horrendam & faciem. nigrae par ille procellae
Ut prius exercet Martem, & ruit acer in hoſtem.
Qualis aper, leo vel torvus, juvenumque canumque
Venantum in turbam dat ſeſe robore multo
Efferus: hi denſantque agmen, contraque reſiſtunt
Crebra manu valida torquentes tela: movetur
Ille nihil, nec corde pavet, nec tuta capeſſit
Digrediens, mortem nec vitat; ſeque cruentus
Verſatque, immittitque viris. quacumque furens ſe
Intulit, ingentem pubes dat verſa tumultum.

v. 48. Sic

Sic Hector partes ſeſe convertit in omnes
Dira fremens; Troaſque hortatur primus ovantes,
Pellere trans foſſam bijugos : cui non tamen ipſi
Audebant proferre pedem, ſed margine acutum
In ſummo aeripedes hinnibant; lataque foſſa
Terrebat, trans quam nec ſaltu evadere, curſu
Nec facili quibant tranſire. abruptus utrinque
Nam margo, & praeceps deſcenſus; deſuper alti
Et valli horrebant, duro quos robore, acutos,
Ingentes, denſos magno fixere labore
Certatim Graji, ſaevos munimen ad hoſtes.
Nullus equo, valida currum cervice trahenti,
Hac aditus; pediti magnus labor, obvia ſiqua
Perrumpat, murumque furens evadat ad altum.
Tum prope ſtans tali compellat voce ſuperbum
Hectora Polydamas: Hector, regeſque duceſque
Trojugenae, ſociique omnes, impellimus acres
In foſſam ſtulte bijugos: tranſmittere durus
Quam labor eſt; circum vallis nanque horret acutis,
Statque ingens juxta murus: quo nulla poteſtas
Seſe inferre equiti, pugnamve capeſſere in arctum
Concluſo, haud, equidem credo, ſine vulnere, multo
Et lapſu. Ac, ſiquidem Grajis mala nunc ſtruit, altum
Aethera qui tonitru miſcet, pater, hoc ego vellem
Ocyus heic fieri, atque omnes, ex ordine ad unum
Indecores perdi Trojano in litore Achivos
Argolica procul a terra, patrioque ſepulcro.
At, ſubito ſi forte animis Argiva refectis
Convertat ſeſe pubes, Troaſque fugatos
Navibus a celſis iterum premat, inque profundam
Pulſus eques foſſam incurrat; non ullus, opinor,
Effugiat, vivus cladem qui nunciet urbi.

v. 74.

Qua-

Quare agite, atque meis cuncti parete volentes
Conſiliis: vacuos heic currus, atque retentos
Fidi habeant bijugos aurigae: ſortibus armis
Induti pedites peditem nos Hectora denſo
Agmine, quo ducit, Grajorum in ſepta ſequamur.
Non erit ut maneantque loco, longumque reſiſtant,
Exitii ad metam ſi jam venere ſupremi.
Talia Polydamas: tutum bonus approbat Hector
Conſilium. Ergo, armis tectus fulgentibus, alto
Deſilit e curru; regiſque exempla ſecuti
Deſiluere alii pariter. tum quiſque relicto
Aurigae mandata dedit, juſſitque manere
Ad foſſam, bigas retinere inque ordine: quinas
Ipſi agmen totum in turmas tribuere, ſuoſque,
Inſtructi bello, ductores pone ſequuntur.
His Hector praeit eximio cum Polydamante,
Qui, plures numero, praeſtantes robore, ſciſſo
Optabant muro primi oppugnare carinas.
Priamidis etiam comes ibat tertius audax
Cebriones: alius curru eſt auriga relictus.
Partem aliam ducit Paris, Alcathouſque, & Agenor.
Tertia turma Helenum poſt, Deïphobumque ſecuta eſt,
Priamidas; horumque ibat comes Aſius heros;
Aſius Hyrtacides, patriae qui moenia Arisbae
Liquit, vectus equis ingenti mole, rubente
Et tergo rutilis a flumine Selleente.
Dux Anchiſiades Aeneas inde cohortem
Ducebat quartam, claroque Antenore nati
Archelochuſque, Acamaſque, bonus bellator uterque.
Sarpedon ſocios tandem poſtremus agebat;
Atque ſibi Glaucumque, & magnanimum Aſteropaeum
Addiderat comites; viſi quod robore cunctos

Sunt praeſtare alios, ſe dempto ſcilicet uno,
Cui nemo primae certabat laudis honore.

Hi, poſtquam denſi junxerunt mutua ſeſe
Tergoribus duris taurorum, cominus ibant
In Danaos incenſi animis; nec poſſe teneri
Sperabant, rapido inciderent quin puppibus actu.

Sic Troëſque animis, ſociique, volentibus ultro
Conſilio parent, dederat quod mente ſagaci
Polydamas. monitus ſprevit praeceptaque ſolus
Aſius Hyrtacides; voluit nec linquere ibidem
Aurigamque & equos: curru ſed vectus in alto
Ad naves ibat: demens! quem triſte manebat
Fatum illic; nec erat, ſibi quod promiſit, ovanti
Curru Dardanias rediturus victor ad arces.
Parca virum triſtes miſit nanque ante ſub umbras,
Deucalidae magni perfoſſum pectora telo.
Egit enim currum laeva ad navalia, pubes
Qua Grajûm, e campo rediens tremefacta, ruebat.
Nec valvas nactus clauſas, atque objice fultas,
(Portarum nam clauſtra viri patefacta fugaci
Praebebant turbae; ſiquis de clade ſuperſtes
Adveniat, ſeque ad naves in tuta receptet)
Turbidus huc advertit equos, mora nulla, frementes:
Clamore at ſocii poſt terga ſequuntur acuto,
Freti armis; nec poſſe putant conſiſtere Grajos,
In curvas trepido quin ſe dent pectore puppes.
Pro ſtulti, ac vana tumidi ſpe! limine in ipſo
Invenere virûm par nobile, bellipotentum
Progeniem Lapithum, Polypoeten patre creatum
Pirithoo, atque parem Marti virtute Leontea,
Hi duo pro portis, fulgentes aere coruſco,
Stabant. Aëriis procero vertice denſae

v. 132.

Mo-

Montibus ut geminae ſtant quercus, vaſtaque totos
Flabra dies, pluviaſque ferunt, longiſque ſub altam
Defixis terram immotae radicibus haerent:
Sic illi manibuſque, invicto & robore freti
Nuſquam abſiſtebant portis, magnumque manebant
Hyrtaciden; quicum pubes condenſa ruebat
Ad murum, laeva parmas, arentia tollens
Terga boum, altum ululans poſt Iamenumque, & Oreſten,
Aſiadenque Acamanta, Thoonaque, Oenomaumque.
Interea Grajos variis hortatibus ambo
Illi urgent pugnare alacres pro navibus. at, cum
Denſa phalanx propius venit, formidine capti
Verſa fugae dant terga alii: bellator uterque
Sed citus occurritque hoſti, pugnamque capeſſit.
Agreſtes ceu cum juvenumque, canumque tumultum
Excipiunt apri venientum in montibus altis;
Atque ruunt curſu obliquo: virgulta fragore
Ingenti proſtrata cadunt, quacunque furentes
Convertere viam: frendent immania ſaevis
Dentibus ora; gravi cuſpis dum miſſa lacerto
Transfoſſis multo eripiat cum ſanguine vitam:
Sic horum circa pectus fulgentia denſis
Ictibus aera ſonant, acri dum Marte reſiſtunt,
Vique ſua freti, & ſaxis, quae crebra ſuperne
Intorquent ſocii celſis de turribus, hoſtem
Atque ſibi atque ſuis arcentes navibus, omni
Et, quae inerat vicina intra tentoria, gazae.
Denſa nivis virides ceu late vellera campos
Conſternunt, valido ſpargit quae turbine ventus
Caeruleas agitans nubes: ſic denſa cadebant
Hinc effuſa, atque hinc manibus ſtridentia tela
Grajugenum, Troumque. imbri galeaeque ſonabant

v. 160.

Saxorum horrifico, clypeique umbone tumentes.
Aſius at cernens haec, ſpe deceptus inani,
Ingemuit, dextraque ſemur percuſſit, & alto
Suſpirans gemitu, haec effudit pectore dicta:
Tune etiam es mendax, o Jupiter? en ego, fretus
Te, pater, Argivos dicebam terga daturos;
Nec fore, Trojanae qui ſeſe opponere turmae
Auderet. nunc hi; latebroſo in tramite veſpae
Ut ſibi quae ſodere larem, patriumve tuentes
Limen apes, denſae pro gnatis praelia miſcent,
Nec tecto abſcedunt quoquam, cupidoque manentes
Raptori ſeſe objiciunt; ſic dira frementes
Soli pro portis forti ſtant pectore, quoquam
Nec cedunt cuiquam, certi vel ſternere duro
Dardaniam leto pubem, vel ſternier ipſi.
Sic ait; ille Jovem nec fatus talia flexit.
Uni nanque decus genitor, laudemque parabat
Priamidae; auſpicio ſolus Jovis iverat Hector.
Uno pugna loco nec fervet. praelia portas
Ante alias alii miſcent: ſed facta profari
Fortia quaeque, deum veluti, me ſanguine cretum
Mortali, durum eſt, nec fas. pugna undique ad omnes
Nanque atrox portas gliſcebat, flammaque murum
Circa ingens ibat caelo: pro navibus (urget
Aſpera fors quando miſeros) pugnabat Achivûm,
Quamvis fracta malis, & moerens corda, juventus.
Dî quoque moerebant ipſi, quicunque juvare
Suerant magnanimos prius inter praelia Grajos.
At gemini Lapithae pugnam invaſere. trabali,
Pirithoi proles, Polypoetes turbidus haſta
Per galeam, ſolido quae malas aere tegebat,
Percuſſit Damaſum. perque aes, perque oſſa cerebro

v. 183.

Infixa eſt medio cuſpis, domuitque furentem.
Protinus inde neci dedit Ormenon, atque Pylona.
Antimachi at prolem praeſtans virtute Leonteus
Trajicit Hippomachum, teritur qua balteus alvo.
Inde cava ferrum vagina eduxit acutum;
Et primum Antiphaten, adverſum ingreſſus in agmen,
Cominus invadit ferro, terraeque ſupinum
Dejicit; inde Menona, inde Iamenumque, & Oreſten
Sternit, & ingentem dat victor caedis acervum.
Hos illi ſtratos dum nudant fortibus armis,
Lecta manus juvenum, Trojanae robora pubis,
Ante alios cupidi murum perrumpere, & igni
Conjecto Argivas actutum exurere puppes,
Hectora Priamiden, & Polydamanta ſequuntur.
Qui tamen ad foſſam, ſuſpenſa mente, manebant
Ancipites, viſam, dum greſſum inferre parabant,
Propter avem. altivolans laeva de parte miniſtra
Nam Jovis ingenti conterruit omine ituros.
Unguibus implicitum quae vaſta mole draconem
Puniceis clarum ſquamis geſtabat: at ille
Saucius, aegre animam ducens, convertit in hoſtem
Ora tamen, ſupra & pectus prope colla, tenentem,
Convolvens ſeſe flexa cervice, cruento
Dente ferox petiit: volucris tum victa dolore
Demiſit pedibus praedam, qnae decidit agmen
In medium: clangens in ventos illa receſſit.
At Teucris micuere metu praecordia, monſtrum
Ut Jovis aegiſoni dirum videre, jacentem
Ante pedes varia maculoſum pelle draconem.
Nec mora, Polydamas turbato haec pectore fatur:
Hector, ſaepe mihi ſuccenſes vera loquenti
Trojugenum in coetu: nec enim civem decet unquam

v. 213.

Mente loqui falſa quidquam bellive, domive,
Blandirique tibi, atque tuas extollere laudes.
Nunc etiam, quod opus, veraci pectore dicam.
Parcamus Grajis, oro, arma inferre carinis.
Quippe etenim, ut dicam, ſic nobis grandia tandem
Orſa cadent. quando foſſam tranſire paratis
Augurium dedit altivolans de parte ſiniſtra
Dirum aquila, ungue ferens ingenti mole draconem
Sanguineum, nondum exanimem; praedamque remiſit
Ante, cito nidum quam niſu tangeret, & quam
Dulcem praeberet pullis immitibus eſcam:
Sic itidem, quamvis nobis perſringere portas,
Obſtantem & murum contingat robore nixis
Invicto, & cedant pulſi tantiſper Achivi;
Attamen indecores greſſum referemus eadem
Inde via; & multos Troum linquemus, ad ipſas
Grajorum ſtratos immani caede carinas.
Sic erit: hoc quicunque bonus reſponderit augur,
Doctus monſtra deûm, populi quem vera monentem
Obſervent. Haec Polydamas: criſtatus at Hector
Fratrem torva tuens affatur voce ſuperba:

Polydama, iſta, mihi quae ſcis ingrata, profare;
Quamvis non deſit melior, quem promere poſſis,
Sermo alius. quod vera iſtaec ſi rere, moneſque
Ex animo, nae ſanam aliquod male numen amicum
Exemit miſero tibi mentem. Jupiter ipſe
Annuit altitonans mihi quae promiſſa, jubere
Non pudet oblita dimittam ut mente; volantum
Utque velim parere alis? quas nil moror omnes,
Quot ſunt, nec curo, ſeu dextra Solis ad ortum,
Solis ad occaſum ſeu laeva parte ferantur.
Nos magno parere Jovi nunc addecet, omnes

v. 241.

Qui

Qui nutu regit omnipotens homineſque, deoſque.
Primum hoc augurium, cunctis & pulchrius, urbe
Pro patria pugnare. Quid hoſtem? praelia quid tu
Saeva times? cuncti ut pereant, ſternantur Achaeas
Et leto ad naves, mortem vitabis, inerſque,
Nec pugnax. ſedenim ſi te ceſſare vel ipſum,
Vel timidis videam verbis avertere ab armis
Quenquam alium; mora nulla, mea confoſſus ab haſta
Indecorem fundes multo cum ſanguine vitam.
Dixit; & antetulit greſſum, quem pone ſecuti
Immenſum ſocii clamorem ad ſidera tollunt.
Tunc adeo tonitru gaudens & fulmine, celſis
Montibus ex Idae ſubitam pater ipſe procellam
Impulit in naves recta, quae pulveris atri
Vim ſubitam, vento dirum ſtridente, ferebat.
Idem Grajûm animos enervans fregit, & ingens
Addidit Hectoreo capiti decus. ergo ſuoque
Robore, prodigiis & freti, evertere murum
Ingentem Danaûm certantes, vellere vallum
Inſtabant, pinnaſque; & propugnacula magnis
Vectibus, ac pilas ingenti mole ruebant,
Prima olim poſitas fundamina turribus altis.
Has ferro aggreſſi ſperant ſubvertere poſſe
Emotas, denſique everſo irrumpere muro.
Stant Graji contra obnixi, clypeoſque ſiniſtris
Objiciunt hoſti, ſpargunt tela omnia dextris,
Ac denſa muro ſubeuntes grandine pulſant.
Nunc huc, nunc illuc per turres curſat uterque
Ajax, & ſocios animis audacibus implet,
Hunc placidis hortans verbis, hunc voce minaci
Increpitans; ſi forte aliquem ceſſare videret:
O ſocii, o quiſquis praeſtanti eſt robore, quiſquis

v. 270.

Deterior, quiſquis medius; non contigit omnes
Eſſe pares quoniam bello; pro parte virili
Nunc opus o veſtrum, nunc quiſque urgete. videtis
Ipſi etiam quid res, quid tempus poſcat. eodem
State loco: ne quis vaſto clamore, miniſque
Territus ad naves fugiat. quin pergite fortes
Ulterius, ſociumque hortetur quiſque: repulſo
Hoſte, dabit nobis magni ſors rector Olympi
Uſque ſequi Phrygiam Trojana ad moenia pubem.
Hoc ambo exacuunt clamore in praelia Grajos.
Ac velut, hibernis denſas ubi Jupiter horis
Depromit, ſua tela, nives; tacet aura: profundit
Ille manu magna vellus glaciale, ſupremos
Jamque tegit montes, campoſque, & pinguia culta,
Litoraque, & portus late omnes; una coërcet
Unda imbrem fluctu gelidum; circum omnia candent:
Sic lapidum hinc atque hinc nimbus ruit horridus, & quos
In Teucros Graji, quos & Trojana juventus
In Grajos contra torquet: circum ſonat omnis
Aſſiduo murus flictu; fragor aethera complet.
Nec vero portas, nec duros objice poſtes
Agmina vel Troum, vel rumperet inclytus Hector:
Jupiter ipſe, ſuam prolem, Sarpedona Grajos
Ni contra, magnum ceu contra armenta leonem,
Excitet, indomito ſuccendens corda furore.
Ille gravem clypeum prae ſe gerit. arte rotundum
Quem multa ſolers duxit faber; aeſque ſuperne
Obduxit late ſulgens, taurinaque terga
Inſuit inferne denſans, virgiſque per orbem
Extremum ſulvi longis ornaverat auri.
Hunc prae ſe geſtans laeva, dextraque coruſcans
Bina manu longo praefixa haſtilia ferro,.

v. 298.

In-

Ingreditur; ſilva qualis leo fulvus ab alta:
Suadet enim veſana fames, magnique ſuperba
Vis animi, tentare pecus vel tuta domorum
Intra ſepta; viros nec ſi venabula dextra
Vibrantes juxta invenit, ſaevamque canum vim,
Territus abſiſtit coepto; ſed vel ſtabula alta
Inſilit, ac praedam fert victor; vel cadit ipſe
Ante, gravi medium transfixus cuſpide pectus:
Sic animus dium Sarpedona fortis agebat
Irruere, atque ingens muri perrumpere ſeptum.
Nec mora, compellans Glaucum ſic farier orſus:

Glauce, quid eximios nacti laetamur honores,
Sedem, epulas, grato nunquam non plena Lyaeo
Pocula? cur ſimiles divûm nos cetera turba
Suſpicit in Lycia? partemque tenemus amoenas
Ad Xanti ripas magnam agri, vitibus almis,
Frumento & pingui felicia rura? virorum
Nos decet in primis haec propter ſtare, caputque
Objectare ultro, Mavors ubi plurimus ardet.
Dicat ut hoc aliquis Lycia de gente ſodali
Bellator: Noſtri reges non dulcia tantum
Vina bibunt, ovium nec pinguia viſcera tantum
Veſcuntur, laudem obliti; ſed robore praeſtant,
Ac primos inter ſtant laeti, hoſtemque laceſſunt.
Hoc etenim ſi poſt belli diſcrimen, amice,
Vitatum ambobus, ſenio, letoque carendum
Jam foret; haud equidem primis ego mixtus in arma
Sic ruerem, nec te verbis in pulchra cierem
Praelia. nunc, quando mortis fata undique durae
Inſtant, quot nequeas numero comprendere, nulli
Quae ſugere, aut vitare homini licet omnia; in hoſtem
Perge alacer mecum, noſtro ut vel ſanguine magnam

Homer. v. 328.

Laudem aliquis referat, laudem vel praebeat ipſe
Ut nobis. Haec Sarpedon ſic fatus; at acer
Haud renuit caro Glaucus parere ſodali.
Ergo ibant Lycium ducentes agmen uterque.
Hos ubi proſpexit venientes clara Meneſtheus
Progenies Petei, perculſus corda periclo
Horruit. ad turrim nanque illius aere coruſcans
Ibat denſa phalanx, clademque infeſta ferebat.
Nec mora, circum oculis perluſtrans omnia, ſiquem
Forte ducum videat, dirum qui, robore praeſtans,
Exitium poſſet ſociis defendere; vidit
Stare ſimul geminos Ajaces, pectora bello
Haud expleta unquam, ac Teucrum tentoria celſa
Linquentem, haud longe. verum exaudire vocati
Haud poterant: aures tantus percellit ab omni
Parte fragor, caelumque ſonus ferit, icta remittunt
Quem ſcuta, & galeae, praeduro & robore poſtes.
Nanque omnes ſeſe ad portas admoverat hoſtis,
Atque furens omnes omni tendebat opum vi
Rumpere. praeconem jubet ocyus ergo Thooten
Ire; citis trepidus mandat cui talia verbis:
I celer, Ajaceſque voca mihi, dic Thoota,
Ambos; id ſatius multo atque optatius; ingens
Inſtat enim heic Grajis clades, dirumque propinquat
Exitium: Lyciis pubes cum regibus huc ſe
Nam fert, illa ferox animi, ſpectataque bello:
Sin illic etiam labor ipſis, pugnaque fervet,
At veniat ſaltem fortis Telamonius Ajax,
Atque bonus volucri Teucer pugnare ſagitta.
Sic ait: ille citus confeſtim juſſa capeſſit;
Atque viam celerans it murum praeter Achaeum;
Et prope ſtans geminos Ajaces, talia fatur:

v. 353.

Bel-

Belligeri Ajaces, ductores pubis Achivae,
Magnanimi proles Petei vos dia, Meneſteus,
Ire citos jubet ad ſeſe, partemque laboris
Ferre aliquam ſecum, quod multo optatius, ambos;
Ingens inſtat enim clades, dirumque propinquat
Exitium. Lyciis pubes cum regibus illuc
Nam ruit, illa ferox animi, ſpectataque bello:
Sin iſtic etiam vobis labor, ortaque pugna eſt,
At veniat ſaltem fortis Telamonius Ajax,
Atque bonus volucri Teucer pugnare ſagitta.
Sic ait: at dictis paret Telamonius Ajax;
Nec mora, Oiliden compellans, talia fatur:
Ajax, heic ſtantes tuque, & fortis Lycomedes
Hortari ad pugnam Dánaos ne parcite: viſam
Ipſe illuc, belloque occurram; rurſus eodem
Huc referar, poſtquam ſocios praeſente levaro
Auxilio. haec effatus, abit Telamonius heros.
It comes huic Teucer germanus, cretus eodem
Ille patre. hos ſequitur Pandion, atque pharetram
Fert Teucri flexoſque manu, bonus armiger, arcus.
Jamque adeo fortis turrim advenere Meneſthei,
Septa inter muri gradientes tuta, labore
Ingenti preſſum nacti. nam, turbinis atri
More, duces Lycii jam propugnacula in alta
Scandebant niſu rapido: pugna aſpera gliſcit
Jam propior; magnuſque virûm ferit aethera clamor.
Primus ibi ante omnes Ajax dejecit Epiclem
Magnanimum, dii ſocium Sarpedonis, ingens
Ille manu jaciens ſaxum, quod forte jacebat
Murum intra juxta pinnas; quod tollere nemo
Ambabus poſſet manibus vir, firma juventa
Membra vigens valida, quali nunc corpore gignit

v. 383.

Terra viros: alto correptum ex aggere miſit
Ajax, & conis inſignem quatuor ictu
Infregit galeam, capitiſque latentia ſubter
Oſſa, gravi: ſumma exanimis de turre per auras
Decidit, ut celſa qui ſe de puppe natator
Corpore ſubjectas inverſo mittit in undas
Ima petens. Glaucum Hippolochi, dum fortis in altum
Evadit murum, Teucer ſtridente ſagitta
Fixit, qua extremum vidit nudaſſe lacertum.
Ille dolens, pugnae nec jam aptus, ab aggere furtim
Deſcendit retro cedens, ne vulnus Achivûm
Forte videns aliquis verbis ſe jactet amaris.
  Sarpedon Glauci digreſſu moeſtus, abire
Ut ſenſit, pugnae tamen inſtat fervidus acri.
Nec mora, Theſtoriden Alcmaona cuſpide acuta
Tranſadigit, ferrumque trahens eduxit: at haſtam
Ille ſequens, prono collapſus corpore duram
Planxit humum, circumque aera inſonuere jacentem.
Tunc ingens pinnam arripuit, validiſque trahebat
Ad ſeſe manibus Sarpedon: tota ſecuta eſt
Illa manus, magnoque ruens avulſa fragore,
Amplum liquit iter, qua multi irrumpere poſſent.
Protinus huic magnuſque Ajax, Teucerque furentes
Adverſi occurrunt. Teucer ſtrindente ſagitta
Ingentis clypei lorum ferit ocyor ipſum
Ad pectus: gnato ſed fatum Jupiter altus
Arcuit, ad puppes Danaûm ne morte periret:
Aſt Ajax clypeum aſſiliens percuſſit; & haſta
Defixa eſt aere in medio, dirumque frementem
Repulit. immani retro conterritus ictu
Ceſſit enim paullum; muro nec fugit ab alto
Ille tamen, laudis ſperatae incenſus amore;

v. 407.

Ver-

Verſus & ad Lyciam clamavit talia pubem :
Quae mora nunc, Lycii ? quid ſtatis ? promite vires,
Atque animos. durum, quantumvis robore praeſtem,
Eſt ſoli & murum rupiſſe, & longius altas
Sternere iter Danaûm ad puppes. incurrite fortes,
Ite ſimul mecum. turba unum viribus anteit.
Talia Sarpedon : hi, regis juſſa verentes,
Incubuere omnes operi, denſique feruntur.
Stant Graji contra obnixi, firmantque phalanges
Murum intra ; genti durus labor ortus utrique eſt.
Nam neque vi Lycii fortes irrumpere murum,
Atque viam ad Grajas tandem ſibi pandere puppes ;
Martia nec Danaûm pubes avertere muro,
Ut ſemel inſtiterunt, Lycios, ac pellere quibat.
Ceu commune duo aggreſſi partirier arvum
Agricolae, inter ſe certant de finibus ; ambo
Menſuram & manibus geſtantes, multa viciſſim
Jurgantur, parvi cui cedat limes agelli :
Sic illi ad pinnas magno certamine pugnant
Hinc, atque hinc, caeduntque boum praetenta virorum
Tergora pectoribus, clypeos, parmaſque moveri
Alarum in ſpeciem celeres ; multique cadebant
Saevis fixi haſtis, & ſi quis verterat hoſti
Pulſus terga, locum & ſervans confoſſa per ipſum
Maxima pars clypeum. turres pinnaeque madebant
Purpureo ſparſae Danaûm, Troumque cruore.
Uſque urgent Lycii ; manet uſque Argiva juventus.
Foemina ceu, tolerare colo tenuique Minerva
Vitam ſueta, duas aequato examine lances
Attollit, ponduſque & lanam penſitat aequans,
Juſta, ſuiſque parans mercedem ſedula gnatis
Exiguam : ſic pugna anceps pendebat utrinque

v. 435.

Ante, decus magno quam Jupiter annuit ipſe
Priamidae; muri primus qui clauſtra refregit.
Ille ſuos altum clamans hortarier infit:
Ite alacres; murum, Troës, perrumpite, Grajis
Puppibus & rapidam certatim immittite flammam.
Sic ait, incendens animos ad fortia. late
Audivere omnes clamorem, atque agmine denſo
Incurruntque acres, ſcanduntque ad culmina magno
Celſa gradu, aeratas quatientes cominus haſtas.
Ipſe autem ingenti dextra celer extulit alte
Saxum ingens, imaque tumens in parte, ſuperne
Ac ſeſe in conum tenuans, quod forte jacebat
Haud longe a porta. non illud, fortia quamvis,
Bina virûm, quae nunc producit corpora tellus,
Sublatum poſſent ſtridenti imponere plauſtro;
Solus at ille manu raptum torquebat: Olympi
Nam leve tollenti regnator fecerat ipſe.
Ac veluti caeſo cum paſtor ab ariete vellus
Dereptum portatque manu, nec pondere ab ullo
Urgetur: valvas contra ſic ille ferebat
Sublatum duras lapidem; quas, robore firmo
Compactas, bifores, munibant objice vectes
Tranſverſo gemini, clavis jungebat & una.
Ipſum inde ad limen veniens, ſtetit arduus; olli
Et ne plaga foret forte irrita, cruraque late
Diduxit, toto & connixus corpore, valvas
Percuſſit medias. cardo eſt infractus uterque,
Turbine & immani miſſus lapis, incidit intro.
Argutum valvae crepuerunt, vectis & ictum
Haud tenuit geminus, ſectoque e robore poſtes
Diſſiluere: atrae nocti par, turbidus Hector
Irruit. horrendum fulgebant aerea circum

v. 464.

Ar-

Arma ; duas manibus quaſſabat fervidus haſtas.
Nec quiſquam auderet, portae cum ſe intulit altae,
Obvius ire, deos praeter, nec ſiſtere poſſet.
Acres igne micant oculi: tum, verſus ad agmen
Iliacum, clamans hortatur ſcandere murum.
Nec mora feſtinant juſſi. pars ardua ſepta
Tranſgreditur, portae pars magna infuſa patenti
Irrumpit. Danai trepida formidine curvas
Diffugiunt verſi ad naves, & litora curſu
Prima petunt: magno miſcentur caſtra tumultu.

HOMERI ILIADOS

LIBER TERTIUSDECIMUS.

JUpiter Argivis ut puppibus Hectora, Troum
Et pubem admovit, durum hos perferre laborem
Aerumnamque illic ſivit; longe ipſe nitentes
Inde oculos vertit Thracum ad Mavortia regna,
Et Myſos, bello durum genus, Hippomolgos
Et tenui laetos victu, ſervantior aequi
Nulla quibus gens eſt. Horum defixerat oris
Lumina; nec Trojae campos, Phrygiumque tueri
Litus erat jam cura: deûm de gente putabat
Nec quenquam auxilio venturum in praelia Grajis,
Aut Teucris. Fratrem verſum illuc ocyus alti
Senſit Neptunus maris arbiter; ut procul acrem
Spectabat pugnam, & certamina dura virorum
Ille Sami tacitus reſidens in vertice ſummo
Threïciae; unde omnis late ſimul Ida videri,
Trojanaeque arces poterant, & claſſis Achaea.
Illic nempe, mari digreſſus, rupe ſedebat
In celſa, Danaos miſerans, quos Marte videbat
Sub Phrygio domitos; fratrique iratus acerba
Mente Jovi. aërii praerupto a vertice montis
Ergo ruit greſſum celerans. juga ſubter euntis
Neptuni pedibus late montana tremebant,
Et nemora, & ſilvae. ter greſſum extendit; ad Aegas
Pervenit greſſu quarto; maris alta ſub imo
Tecta ubi ſunt regi, laetum fulgentia puro
Marmore, clara auro, nullis labentia ſeclis,

v. 22.

Huc

Huc poſtquam venit genitor, mora nulla, volucres
Sub juga cogit equos, aurato crine comantes,
Aeripedes; fulvoque artus ipſe induit auro.
Deinde manu auratum cepit de more flagellum,
Et currum inſcendit, ſummas & laxa per undas
Lora dedit. ſubter, circumque immania cete
Exſultant, latebris egreſſa humentibus, alti
Et regem agnoſcunt pelagi: maris unda quieti
Huc, atque huc, leni decedens murmure, pandit
Laeta viam; ſubtus nec tingitur aereus axis.
Sic invectus equis ad naves ibat Achaeas.
Eſt ſpecus ampla mari in medio, qua clauditur alta
Hinc Tenedo, hinc celſis praeruptae cautibus Imbri.
Heic Neptunus equos tenuit, curruque ſolutis
Ambroſium appoſuit gramen; dehinc aurea vincla,
Ullo quae ſolvi pacto, frangive nequirent,
Aptavit pedibus; reducem poſt ſaeva manerent
Praelia uti regem; pedes inde profectus Achaeas
Qui venit celer ad naves, Argivaque caſtra.
Heic Teucri, flammae ſimiles, atraeque procellae,
Hectora poſt magnum, denſique, & Marte furentes
Indomito, clamantque, ruuntque; & claſſe potiri
Argiva ſperant, Grajoſque in litore, ad ipſas
Compulſos puppes, certae demittere morti.
At, qui magnum ambit, quaſſatque tridentifer orbem,
Neptunus, ponto egreſſus clamore ciebat
Grajugenas. habitumque, & membra ingentia, vocemque,
Invictam ſimilis Calchanti: coepit & ambos
Hortari Ajaces, verbiſque incendere, fortes
Sponte ſua, & duro cupidos contendere Marte:
Magnanimi Ajaces, pugnae memor acris uterque,
Immemor atque fugae, vos nunc ſervabitis uni

Homer. v. 47.

Rem Danaûm. Teucros, alibi denſo agmine celſum
Tranſgreſſos murum, haud metuo; quos ſiſtet Achivûm
Martia, credo equidem, pubes. heic funera, magnam
Heic metuo cladem, flammae par efferus Hector
Ducit ubi, fretus Jove, jactat quem ſibi patrem.
Atque utinam hanc aliquis praeſenti numine mentem
Nunc deus injiciat vobis, pugnare nec ipſos,
Nec pavidum ut pigeat firmare ad praelia vulgus.
Ille pedem, quamvis tumiduſque furenſque, referret,
Ipſe virum vel ſi rex incitet altus Olympi.

Haec fatus, ſceptro ingenti Neptunus utrumque
Contigit, ac validum incuſſit per membra vigorem,
Vimque levem ſubtus pedibus, manibuſque ſuperne.
Ipſe autem; ut liquidum celeri ſecat aëra lapſu
Accipiter, ſaxo cum ſe demiſit ab alto,
Ille ſequens ima conſpectam in valle volucrem:
Sic celer hos, niſu fugiens pernice, reliquit.

Primus Oilides cedentem agnovit, & ora
In ſocium obvertit mirans; dehinc talia fatur:
Ajax, nempe aliquis divûm, alti cultor Olympi,
Calchanti ſimilis, juſſit pugnare, tueri
Et naves; nec erat Calchas, quem vidimus, augur.
Crura, pedumque tuens veſtigia nanque notavi;
Agnovique deum: pronum eſt agnoſcere divos.
Praeterea pugnae miro mihi pectus amore
Ardet, membra ciet ſubitus vigor, & mihi ſubtus
Non ceſſant geſtire pedes, palmaeque ſuperne.

Haec ille; haec alacer contra Telamonius Ajax:
Et mihi ſaevae haſtam circa geſtire videntur
Uſque manus, pectuſque viget, pedibuſque repente
Subſulto ambobus, menſque intus flagrat amore
Martis inexpletum, cupioque invadere pugnam

v. 79.

He-

Hectora Priamiden contra vel ſolus. uterque
Talia jactabant, afflati numine, magnis
Ardentes animis, laetique cupidine pugnae.
Interea extremos in bella ciebat Achivos
Neptunus, paullum ad naves qui corda levabant
Aegra brevi requie, fracti defeſſa labore
Membra gravi, dejecti animos moerore, tuentur
Dum Teucros murum tranſgreſſos agmine magno
Ingentem. Hos moeſti ſpectabant, oraque oborto
Humebant fletu miſeris; nec poſſe putabant
Exitium extremum, triſteſque evadere Parcas.
Cum ſubito praeſens Neptunus in arma phalanges
Incendit, Teucrumque, & Leïton impulit hortans,
Peneleumque heroa, Thoantaque, Deïpyrumque,
Antilochumque, & Merionen, Mavortia corda.
Hos prope ſtans coepitque hortari, ac talia fatur:
Non pudet, o juvenes primaevi, robora pubis
Argivae! veſtra fretus virtute putavi,
Noſtras poſſe mala ſervari a peſte carinas.
Vos quoque ſi duri eſt pertaeſum denique belli,
Si vires languent ad praelia, Marte ſupremum
Iliaco domitos lux haec ſpectabit Achivos.
Pro ſuperi! hoc potui ſperare; hoc ipſe videre
Monſtrum oculis? Grajas Trojanam accedere pubem
Ad naves; cervis quae viſa fugacibus ante
Eſt ſimilis, quos per ſilvas ſaltuſque luporum
Aere genus, pardique, ac thoës perdere nunquam
Ceſſant, diſcrepuntque avido male dente, vagoſque,
Imbelleſque animi, nec ſaeva ad praelia natos.
Sic Grajûm quondam Troës roburque, manuſque
Vitabant, non unquam auſi conſiſtere contra
Vel paullum. patriis nunc longe a moenibus ipſas

Pugnant ad naves, vitio regiſque ſuperbi,
Et male ceſſantum populorum ſcilicet, olli
Qui certant animis diſcordibus; arma nec arcent
Puppibus, atque ſibi cladcmque & funera, lenti.
Sed licet ex merito late regnans Agamemnon
Culpetur, fortem quod laeſit iniquus Achillem;
Non tamen idcirco ceſſare, ac parcere pugnae
Nos decet: at ſarcire malum, & quacunque mederi.
Quippe etenim pronum eſt mentes ſanare bonorum.
Hoc certe vobis, qui forti pectore cunctos
Vincitis in Danais, nunc turpe, remittere pugnam.
Haud equidem objurgem, ſiquis malus obvius hoſti
Ire neget: tales languenti corde ſedere
Iraſcor, doleoque. o molles, jam feret iſtaec
Veſtra quies aliquid gravius, penituſque ſupremo
Rem Danaûm dabit exitio. nunc eſte pudoris,
Nunc probri memores. ingens nunc omnibus ortum
Certamen. pugnat nanque efferus Hector Achivas
Ad naves, portaſque & longa repagula fregit.

Sic hortans pugnae mentem ſuccendit amore:
Ajaces circa multa ſe pube phalanges
Denſabant; quas nec Mavors contemnere poſſet
Adveniens, nec, ſaeva ciet quae praelia, Pallas.
Stabant, flos juvenum, ac Troas, diumque manebant
Hectora, ſepti armis; haſtaſque, & ſcuta viciſſim
Arctarant. clypei clypeis, galeaeque micantes
Conſertim haerebant galeis, denſuſque viro vir:
In conis & pulchra comantes mutua ſeſe
Tangebant, moto nutantes vertice, criſtae;
Horrebant haſtae ingentes, validiſque coruſcam
Quaſſatae manibus jactabant cuſpide lucem.
Dira fremunt, rectaque parant invadere pugnam.

v. 135.

Ante

Ante ſed incurrunt denſi magno agmine Troës ;
Quos praeit exſultans animis ingentibus Hector .
Mole lapis veluti magna , magnoque futurus
Exitio , celſa quem torrens rupe ſolutum ,
Impulit in praeceps montano a vertice , lapſu
Horrendo volvit per prona & confraga ſeſe ,
Exſultatque ſolo volucer ; ſubterque fragorem
Dant ſilvae : ille ruens immani turbine fertur ;
Planitiem donec nactus , defigitur arvo
Improbus in molli , nec ſe rotat incitus ultra :
Ad mare ſic , puppeſque Hector , tentoria & alta ,
Spe tumidus , minitans & fata extrema , ruebat ;
Verum , ubi ad obſtantes condenſa pube phalanges
Perventum , ille quidem voluit ſe immittere greſſu
Audaci applicitus ; Graji ſed cominus aere
Ancipiti , longiſque haſtis , ſtrictiſque furentem
Enſibus adverſi pepulerunt : Ille retroſum
Abſtitit ; ac , Teucros inclamans , talia fatur :
  O Troës , Lyciique , & pubes Dardana , eodem
State gradu . haud longum quibit me Graja morari
Pubes , illa licet magno ſeſe agmine contra
Denſarit ; ſed pulſa mea jam cedet ab haſta ,
Ut reor ; ipſe ſuo ſi me regnator Olympi
Impulit altitonans haec laetum ad praelia juſſu .
  Sic juvenum clamans incendit corda furore .
Quos inter princeps , fretus virtute , ferebat
Deïphobus ſe Priamides , ibatque rotundo ,
Ingrediens leviter , clypeo protectus : at haſtam
Meriones contra intorſit , taurinaque certo
Fixit terga ictu , ſed non & tranſiit ; haſta
Longa etenim prius eſt extremo in robore fracta .
Deïphobus clypeum reſonantem a pectore longe

v. 163.

Amo-

Digitized by Google

Amovit, metuens telum, quod miſerat heros
Meriones belli doctus: citus ille receſſit,
Mixtus & eſt ſociûm turbae; doluitque nec hoſtem
Perdomitum, fractumque, amiſſa cuſpide, telum.
Ergo abiit praeter naves, tentoria curſu
Nota petens, illinc aliam ut depromeret haſtam.
Interea pugnantque alii, immenſuſque virorum
It clamor caelo. Magno Telamone creatus
Primus ibi Teucer leto dedit Imbrion, armis
Egregium genuit Mentor quem dives equorum.
Pedaeum hic coluit prius, oras claſſis Achaea
Quam peteret Phrygias, thalamo & ſociatus habebat
Stirpe notham Priami de clara, Medeſicaſten.
At, poſtquam Grajae Trojana ad litora puppes
Advenere, celer petiit Priameia rurſus
Moenia, Trojugenaſque inter praeſtabat honore,
Regali exceptus tecto regalibus una
Cum gnatis, Priamo regi dilectus & aeque.
Hunc Telamoniades ipſam percuſſit ad aurem;
Extraxitque haſtam de vulnere: concidit ille,
Alta velut celſi conſurgens vertice montis
Fraxinus aerata quondam ſucciſa bipenni
Concidit, ac ramos terrae prolapſa virentes
Admovet. haud aliter procero corpore terram.
Planxit; & ingentem ſonitum circum arma dedere.
Accurrit cupiens Teucer ſpoliare jacentem.
Hector, ubi vidit venientem, turbidus haſtam
Fulgentem intorſit: telum ſed vidit, & ictum
Vitavit, paullum deflexo corpore, Teucer:
Haſta, volans praeter, prolem defigitur ergo
In Cteati Actoridae, Amphimachum; tranſverberat ingens
Et pectus contra venienti ac tela ferenti.

v. 186.

Con-

Concidit; arma ſuper magno intonuere fragore.
Amphimachi galeam, quae tempora flava tegebat,
Detrahat ut capiti, ſtratum ſuper advolat Hector.
Quem, celeri fertur dum curſu concitus, Ajax
Vibranti appetiit procul haſta; attingere corpus
Nec tamen evaluit; claro nam tectus ab aere
Totus erat: ſcuti umbonem percuſſit, & ictu
Repulit horrendo: citus ille cadaver utrumque
Abſiſtens liquit; Graji quae protinus ad ſe
Traxere. Amphimachum Stichius, fortiſque Meneſtheus,
Cecropidum primi, Grajorum in caſtra tulere:
Imbrium at Ajaces, belli duo fulmina. capram
Ut gemini, raptam canibus, per denſa leones
Luſtra ferunt nemorum, maliſque immanibus, alte
Elatam a terra, portant: ſic Imbrion ambo
Sublimem Ajaces ſimul a tellure tenebant,
Nudabantque armis. caput a cervice recidit
Saevus Oilides, ob caeſum percitus ira
Amphimachum, atque rotans Trojanum jecit in agmen.
Hectoris ante pedes jacuit quod pulvere in atro.
  Tunc & Neptunus triſtes exarſit in iras
Ob carum indigna proſtratum morte nepotem.
Ergo, rates praeter gradiens celer, ocyus ibat
Hortari Danaos, moliri & funera Teucris.
Idomeneus, haſta clarus bellator, eunti
Occurrit rediens a caro ſorte ſodali,
Quem, ſaevo laeſum ferro ſub poplite, pugna
Extulerant ſocii. Idomeneus, mandata medenti
Ut dedit, egreſſus tentoria celſa, redibat
Caedis adhuc pugnaeque avidus. rector maris alti,
Obvius huic, infit paucis: (vocem ille Thoanti,
Et vultum ſimilis; qui, claro Andraemone cretus,

v. 216. Pleu-

Pleurone in tota, celſa & Calydone regebat
Aetolûm populos, multo dîs aequus honore)
  Idomeneu, Cretum rex inclyte, nunc ubi Grajûm
Virtus, atque minae tot, quas jactare ſolebant ?
  Idomeneus contra gemitu cui talia reddit :
Magne Thoa, nemo, fallunt ni me omnia, nunc vir
Culpari dignus. ſcimus tractare cruentum
Omnes Martis opus ; nulli tremefacta pavore
Torpent corda, piger nec ſegni pectore quiſquam
Devitat pugnam : Saturnius at, reor, ille,
Vertit cuncta ſuo qui nutu, Jupiter Argo
Vult procul, indecori perdi omnes ſunere Achivos.
Verum age, tu, belloque bonus, ſuetuſque, remiſſum
Siquem ſorte alium videas, hortarier ; & nunc
Ne ceſſa pugnare, hortari & quenque virorum.
  At rector maris : Idomeneu, ne Troica linquat
Arva utinam, redeatque domum ; ſed ſtratus ab hoſte
Ludibrium heic jaceat canibus, quicunque, remiſſa
Pugna, hodie, ac poſitis lentus ceſſaverit armis.
Huc ades ergo, humeris loricam indutus ahenam.
Haec opus eſt una curemus, ſi quid Achivam
Vel duo rem pariter poſſimus ſorte juvare,
Saepe etiam imbelles, collato robore in unum,
Profuerunt. quid nos, haud tantum caedere ferro
Vulgus iners, primis ſueti at pugnare virorum ?
  Haec fatus, rediit rurſum deus, aſpera pugna
Gliſcit ubi. Idomeneus poſtquam in tentoria venit,
Fortibus arma humeris circumdat, binaque dextra
Corripit aerata fulgentia cuſpide tela.
Tum celer ad pugnam graditur ; ceu fulgur, Olympo
Quod pater ipſe manu vibrans demittit ab alto,
Jupiter, oſtentum mortalibus, undique clarum

v. 244.

Dif-

Diffundit jubar, & multo fulgore coruſcat:
Sic heros in bella ruens fulgebat, & arma
Horrendam circum jactabant aerea lucem.
Ecce autem, egreſſo vix dum ſua ſepta, miniſter
Meriones, bello clarus, ſeſe obtulit ipſas
Ante fores, veniens haſtam ſibi ſumere; viſum
Idomeneus quem ſic verbis compellat amicis:
Velox Merione, ante omnes mihi care ſodales,
Clara Moli ſoboles, nam cur huc, praelia linquens,
Veniſti? num vulnus habes, atque intus adacta
Affligit laeſum cuſpis? mihi nuncius illinc
Anne venis? qui jam feſtino; deſes inerti
Nec requies, at pugna placet, Martiſque labores.
Ille refert: Cretum Idomeneu rex inclyte, ſiqua
Haſta tibi ſupereſt intra tentoria, veni
Sumpturus: nam, qua pugnabam fretus; in aereo
Deïphobi clypeo fracta eſt immane furentis.
Idomeneus contra fatur cui talia: Et unam,
Et tibi vicenas, ſi fert ita corde voluntas,
Invenies intus; ſtant omnes pariete claro
Adnixae; quas tot caeſis ego victor ademi
Trojugenis: nec enim pugno, reor, eminus hoſti
Bella gerens. multae idcirco mihi ſcilicet haſtae,
Et galeae, clypeique aerato umbone tumentes,
Loricaeque graves, horrenda & luce coruſcae.
Tum ſic Meriones, prudenti mente, viciſſim:
Et mihi Trojugenum exuvias tentoria ſervant
Omne genus: ſed longe abſunt, ne ſumere poſſim.
Nec mihi enim languet vis lento in pectore: primos
Inter at Argivûm ſto, cum certamina belli
Dura vocant. alium, pugno dum ſtrenuus hoſti,
Fors aliquem lateo; tu certe noſcis, opinor.

Homer. v. 274.

Novi, ait Idomeneus, novi o fortiſſime, quinam
Sis. quid opus gnaro te nunc mihi dicere quidquam
Iſtorum? inſidiis non ſi nunc forte locandis
Eximii tota Grajorum in claſſe legamur;
Inſidiis, virtus ubi ſe dat clara videndam
Praecipue; atque patet, quis forti pectore ſit vir,
Quis contra ignavo (ignavis nanque errat in ore
Incertus color, atque animus praecordia ſubter
Stare negat, placide ut ſedeant; ſed genuaque flectunt.
Alternantque pedes; nigraque in imagine mortis
Defixis corda uſque micant, denteſque tremore
Dant ſonitum. forti contra manet unus in ore
Uſque color; nec mens trepidat, poſtquam ſemel audax
Inſeditque locum, fraudeſque ac furta paravit,
Sed conferre manum, pugna & decernere geſtit
Ocyus.) haud quiſquam vel tum reprehendere poſſit
Vimque manuſque tuas; nec, te inter praelia ſi quis
Eminus invadat ferro, vel cominus hoſtis,
Cervicem averſo vel tergum fixerit, ultro
Sed primos inter vadenti, pectora, ventrem
Vel medium. ſed ne puerorum haec irrita more
Jactemus fruſtra ſtantes, quae audita ſuperbus
Forte aliquis riſu, vel juſta exceperit ira.
I citus ergo, haſtamque intra tentoria ſume.
Sic ait: ille gradum celerat feſtinus, & haſtam
Corripit aerata fulgentem cuſpide, pugnae
Atque avidus graditur regi comes acer in hoſtem.
Sanguineus veluti Mavors in praelia, caedem
Et ruit in mediam; dulcis cui filius una
It lateri affixus Terror validuſque, pericli
Nec metuens, trepido bellantum & corda pavore,
Quamvis firma, tamen quatiens. a finibus illi

v. 300.

Threi-

Threïciis Ephyros contra, Phlegyaſque feruntur
Magnanimos; nec voto aequi precibuſque moventur
Amborum, alterutris dant fuſo at ſanguine laudem:
Sic duo Grajugenum ductores torva petebant
Praelia fidenteſque animis, atque aere coruſci.

Meriones prior haec: Qua Troum invadere denſam,
Deucalide, nunc vis aciem? dextrane feremur?
An magis in medios? an laeva? nam, reor, illic
Praecipue auxilium res poſcit, parte nec ulla
Eſt opus aeque armis, multo & certamine Achivis.

Tum ſic Idomeneus: Medias defendere puppes
Qui valeant, alii haud deſunt; duo fulmina belli
Ajaces, Teucerque arcu volucrique ſagitta
Optimus ante omnes bellator; nec malus idem
Stare loco, & gravibus Martem exercere ſub armis.
Hi longa explebunt pugna ſaevumque furentemque
Hectora: nec validum, quantumvis fortis & audax,
Obſtantum pariter quibit pervincere robur
Indomitaſque manus, ignemque inferre carinis;
Ni gravis ipſe manu torrem Saturnius altas
Torqueat in puppes jaculans. haud ceſſerit unquam
Ingens quippe viro cuiquam Telamonius Ajax,
Conſtet mortali qui corpore, frugibus almae
Et Cereris veſci fuerit, quem laedere poſſint
Aera intorta manu valida, vaſtique molares:
Ipſi nec pugnans ſtabili pede cedat Achilli;
Cui rapido haud quaquam potis eſt contendere curſu.
Ergo, age, ſic pariter laevum pergamus in agmen,
Aut aliquis nobis decus ut ferat, aut alicui nos.

Sic ait: at rapido Marti par incipit ille
Ocyus ire virûm in turbam, quo juſſerat heros
Idomeneus. Troës poſtquam videre coruſcae

Aſſimilem flammae regem, regiſque miniſtrum
Merionen pulchris ambos procedere in armis,
Inter ſe hortati, concurrunt, agmine magno,
Ac ſeſe affundunt circum; juxtaque carinas
Orta recens magno fervet certamine pugna.
Ut rapidas veſana cient cum flabra procellas,
Tempore quo late campique, & ſtrata viarum
Areſcunt, ſpiſſoque horrent ſub pulvere; vento
Se glomerat ſubito commotae nimbus arenae:
Sic illi denſantque acies, & cominus ardent
Se ferro adverſi per turbam figere acuto.
Effera protentis pugna late horruit haſtis;
Quas manibus validis, praelongas, membra ſecantes,
Quaſſabant. oculos praeſtringit fulgor ahenus,
Quem jactant leves galeae, exterſique recenter
Thoraces, clypeique ardentes, agmine denſo
Mutua ſe urgentis turbae, dirumque furentis.
Certe audax, duruſque animi foret ille, tueri
Horrendam rerum faciem, immenſumque laborem
Qui poſſet, laetus ſpectaclo, experſve doloris.
Diſcordes divi, Saturno cretus uterque,
Fortis uterque, viris cladem que, & fata ſtruebant.
Jupiter Iliacas acies, diumque juvabat
Hectora, Peliden cupiens extollere laude
Ingenti, atque Thetin decorans: (nec perdere Achivam
Ille tamen gentem in Phrygiis decreverat oris)
Neptunus Grajos praeſens in bella ciebat
Egreſſus furtim cani maris aequora; pubem
Nanque premi Argivam Phrygia ſub gente dolebat,
Inque Jovem indignans immani exarſerat ira.
Unum quippe genus, patria una ambobus: at ortus
Jupiter in lucem prior eſt, ac grandior aevo

v. 355. No-

Digitized by Google

Norat plura . palam quo circa ferre cavebat
Auxilium Danais Neptunus , clam modo turbam ,
Ille viro ſimilis mortali , ſe dabat uſque
In mediam , vario incendens hortamine corda .
Sic gravis hi belli , pugnaeque immanis utrinque
Implicuere ambos , diſcordi numine , vinclo ,
Ulla diſſolvi quod vi , frangive nequiret ;
Unde ſolum genibus multi planxere ſolutis .
Heic , quanquam canis ſparſus jam tempora , Grajos
Hortatus , Troumque invaſit turbidus agmen ,
Injecitque fugam Idomeneus formidine captis .
Nanque Cabeſaeum leto dedit Othryonea .
Excitus belli fama ſe nuper ad urbem
Iliacam hic tulerat , Caſſandrae incenſus amore ,
Omnes quae Priami gnatas pulcherrima regis
Vincebat longe forma ; quam dote ſine ulla
Poſcebat , ſpondens opus ingens , litore abactos
Dardanio egregius bellator pellere Achivos .
Ergo viro Priamus tanta mercede puellae
Regalem annuerat thalamum , confiſus at ille
Pollicito ingenti , praeceps in bella ruebat .
Huic procul intorquet Cretum rex inclytus haſtam ,
Dum contra tumidus fert ſe , greſſuque ſuperbo
Incedit ; thorax nec ferrum ſiſtere ahenus
Evaluit ; medium fulgens defigitur alte
Cuſpis at in ventrem : magno ruit ille fragore
Stratus humi . Idomeneus dictis cui fatur acerbis
Irridens : Omnes magna mihi laude ferere,
Othryoneu , ſupra mortales , ſi modo praeſtes
Re , quod pollicitus Priamo es ; qui jure ſpopondit
Regalis thalamum tibi gnatae ſcilicet . ultro
Nos etiam aequa ſumus large ſpondere parati .

v. 377. Na-

Digitized by Google

Natarum Atridae quae formoſiſſima regis,
Hanc, tibi uti nubat, patriis ducemus ab Argis;
Nobiſcum Iliacam ſi bello everteris urbem.
Verum age, me ſequere ad naves, de conjuge, deque
Dote illic inter Grajos acturus: opimam
Invenies ſoceros dotem praebere paratos.
  Sic ait; atque pede arreptum per tela trahebat
Perque viros. vindex cui protinus Aſius audax
Adſuit, ille pedes gradiens, quem pone ſecutus
Auriga, afflantes tergum prope ſemper habebat
Alipedes. Cretum ductorem figere acuto
Aſius optabat ferro; percuſſit adacta
Sed prior Idomeneus hunc haſta, rupit & alto
Vulnere ſub mento jugulum: collapſus at ille
Concidit, ut quondam vel quercus celſa, vel alta
Populus, aërio vel ſurgens vertice pinus,
Quam, caſus videat lignum ut navale marinos,
Aggreſſi ferro certatim, in montibus altis
Ingentem valida fabri ſtravere bipenni.
Sic currum hic propter ſtratus, bijugoſque jacebat,
Dentibus infrendens ac preſſans arva cruore
Foeda ſuo. domini leto conterritus amens
Auriga obriguit; nec retro vertere currum,
Nec vitare hoſtes audebat. Martius haſta
Quem medium Antilochus tranſverberat; arcuit aere
Nec rigido vulnus thorax, at, cuſpide ventrem
Saucius, e curru moribundus decidit alto.
Acer equos Teucrûm e turba, mora nulla, frementes
Neſtorides vertens, in denſos egit Achivos.
Aſion ob caeſum doluitque, ac Idomenea
Deïphobus contra procurrit; proximus haſtam
Torſit & ingentem fulgenti cuſpide: telum

v. 403.

Ille

Ille immane volans viditque, &, corpore flexo,
Exiit, occultans clypei ſeſe orbe ſub amplo,
Quod, tectumque boum tergis, teretique coruſcum
Aere, aptum & duplici loro, de more gerebat.
Hunc ſubter ſeſe collegit: concita ſupra
Longe abiit vacuas alio delata per auras,
Tranſque volans, clypeum & ſtringens, dedit haſta ſonorem.
Nec valido incaſſum fugit tamen acta lacerto;
Hippaſiden regno ſed clarum Hypſenora in imum
Saeva jecur fixit, ſubter praecordia, leto
Et ſtravit. quem Deïphobus premere arva peremptum
Ut vidit, laeto has effudit pectore voces:
  Ultus habet poenas en Aſius; imaque duri
Tecta petens Orci portaſque & ferrea clauſtra,
Gaudet multa, reor, comitem quod munere nactus
Ille meo eſt, nigras pariter qui tendat ad umbras.
  Haec ait. Argivi dictis doluere ſuperbis;
Praecipue Antilochus luctu eſt confuſus acerbo:
Non tamen exſtinctum neglexit moeſtus amicum,
Sed curſans circum clypei tellure jacentem
Objectu ingentis texit; quem deinde ſodales
Meciſteus Echii proles, & ſortis Alaſtor
Subductum extulerunt manibus, curvaſque ferebant
Exanimem ad naves moeſtique, & multa gementes.
Acer at interea Idomeneus haud ſecius acri
Inſtabat pugnae, cupiens vel mergere caeca
Nocte aliquem Troum, vel, caris arcet Achivis
Dum peſtem, ipſe cadens extremae occumbere morti.
  Tunc Aeſyetae claro de ſanguine cretum
Heroa Alcathoum, qui Dardanii Anchiſae
Natarum primam ſibi duxerat Hippodamiam,
Quam pater eximio & mater dilexit amore

v. 430.

Cum patrias coleret ſedes, aequalibus una
Quod cunctis forma inſigni praeſtabat, & omni
Docta opere, atque animi ſolerti mente. puellam
Ergo ſibi thalami ſociarat foedere nulla
Inter Trojugenas ulli vir laude ſecundus.
Hunc dedit Idomeneo forti maris arbiter alti
Mactandum, ipſe oculos mulcens, formoſaque membra
Praepediens. nec jam poterat greſſumve referre,
Aut vitare hoſtem: ſed, qualis ſaxea pila
Stat, vel celſa arbos frondoſo vertice, ſtantem,
Immotoque artus torpentem corpore, pectus
In medium valida Cretum rex perculit haſta,
Loricaeque gravis perrupit ahenea texta;
Fida prius juveni quae mortem arcere ſolebat,
Tum raucum inſonuit ferro diffiſſa: fragorem
Ille dedit terrae afflictus, defixaque cordi
Haſta imo, cor dum trepidat, ſimul illa tremebat.
Robur ibi Mavors, anima fugiente, remiſit.
Idomeneus magnum clamavit laetus, amaris
Deïphobum & verbis irridens, talia fatur:

Deïphobe, an videor ſat reddere digna, peremptum
Contra unum qui tres dederim? jactator inepte,
Huc ades, atque manum confer, conſiſtere coram
Nec pigeat. noſces qualis Jove cretus ab alto
Hunc veni. magnum Cretae Minoa potentis
Rectorem genuit nam Jupiter; edidit ille
Laudibus eximiis florentem Deucaliona,
Amplae Deucalion me Cretae regna tenentem,
Multa virûm parent cui milia, quemque carinae
Huc vexere tibique, patrique, aliiſque futurum
Trojugenum exitio. Idomeneus haec fatur; at anceps
Deïphobus pendenſque animi verſabat, in agmen

v. 455. Ilia-

Iliacum cedens retro ſibi quaereret omni
Unum aliquem e numero comitem, diſcrimen adiret
An ſolus. potior viſa haec ſententia menti eſt,
Iret ut Aeneam ad magnum; qui, praelia vitans,
Agmine in extremo ſtabat, bellator iniqua
Mente ferens, quod Marte bonum, primiſque virorum
Certantem, Priamus nullo accipiebat honore.
Hunc adit, atque citus verbis compellat amicis:
Magnanime Aenea, Teucrûm fortiſſime ductor,
Nunc fer opem, caraeque viro ſuccurre ſororis
Exanimi, affinis mentem ſi cura remordet
Ulla tui. citus huc ſequere: Alcathoo ſimul ambo
Forti ut opem, Grajis ne cedat praeda, feramus:
Alcathoo, patria qui te nutrivit in aede
Infantem educens puerum; quem jam inclytus haſta
Idomeneus dulci ſpoliavit lumine vitae.
Sic ait, inceditque animum. ruit incitus ergo
Idomeneum contra, flagratque cupidine pugnae.
At non Idomeneus viſu eſt conterritus; uſquam
Nec fugit, mollis veluti puer; acer ibidem
Sed manſit. ceu torvus aper vi fretus in altis
Montibus, opperiens turbamque, infeſtaque tela
Venantum, ſolo in ſaltu ſtat; terga ſuperne
Horreſcunt ſetis; ardentes igne coruſco
Horrendum micuere oculi; frendetque, recurvos
Et dentes acuit, turmas arcere paratus
Atque canum, atque virûm: ſic heros Lyctius, uſquam
Ille pedem haud referens, viſum imperterritus, audax
Aeneam, adverſa venientem e parte, manebat;
Voce tamen ſocios inclamans; oraque ad acrem
Aſcalaphum obvertens, Aphareaque, Deïpyrumque,
Antilochumque, & Merionen, Mavortia doctos

Homer. v. 479.

Praelia. quos hortans, haec fudit pectore dicta:
Huc agite, o ſocii; ſolum ne linquite. contra
Qui venit, Aenean metuo: mihi turbidus ecce
Ingruit, ille viros turbare ac caedere fortis,
Atque vigens validae primaevo in flore juventae,
Qua vis nulla homini major. quod bella gerenti
Si mihi nunc eadem foret aetas; atque maneret,
Qui nunc eſt, animus; pugnarem cominus ultro;
Illo & clarus ego, vel me foret ille perempto.
Sic ait: hi laeta concordes mente ſodali
Aſſiſtunt, humeriſque inclinant ſcuta frequentes.
At contra Aeneas ſocios hortatur & ipſe,
Deïphobumque, Parinque acuens, & Agenora dium,
Dardaniae gentis ductores. pone ſecuta eſt
Denſa cohors numero ingenti; praeit ipſe. liquentem
Ut praeit ad fontem primo cum veſpere paſtas
Magnus oves aries, cunctae poſt terga ſequuntur
Condenſae; mulcent paſtori gaudia pectus:
Sic tacita Aeneas gaudebat mente ſequentem
Ire ubi conſpexit poſt ſe magno agmine turbam.
Alcathoo ſuper adverſis utrinque ruebant
Illi haſtis, denſique inſtabant cominus. aera
Pulſa ſonant flictu aſſiduo praecordia circum
Se ferro ancipiti per turbam alterna petentum.
Praecipue gemini ductores, Martia corda,
Idomeneus hinc, hinc Aeneas, armipotenti
Aequus uterque deo, magno certamine corpus
Alter in alterius cupiebat condere ferrum.
Aeneas telum primus contorſit; at ictum
Praevidit vigil Idomeneus, & corpore paullum
Inflexo evaſit: vibranti cuſpide terrae,
Miſſa manu valida nequidquam, figitur haſta.

v. 505.

Ido-

Idomeneus ventrem in medium percuſſit acuto
Oenomaum ferro, duroque obſtantia ſepto
Aera cavi rupit thoracis, & ilia ſubter
Ima hauſit: jacuit collapſus pulvere in atro.
Idomeneus alto defixum in vulnere telum
Vi traxit rapiens: at non & pulchra jacentis
Detrahere arma humeris potuit, ſic undique telis
Obruitur, non ille pedes, & fortia, ut olim,
Crura levis volucremve ſequi, quam miſerat ipſe,
Vel vitare, hoſtis quam contra intorſerat, haſtam.
Ergo locum ſtabili ſervabat Marte, cruentam
Uſque ſibi mortem propulſans, lentus at idem
Retro ferre pedem, praeſenſque exire periclum.
Hunc contra, tardis dum cedit paſſibus, haſtam,
Uſque viro infeſtus, fulgenti cuſpide miſit
Deïphobus. fruſtrata manum fugit haſta per auras
Verſa alio, inque humerum ſubiens defigitur alte
Martigenae Aſcalapho: magno petit ille cruentam
Corpore pronus humum; ſonitum ſuper arma dedere.
Necdum etiam horrendus ſtratam ſibi vulnere prolem
Audierat Mavors, patrii ſed vertice Olympi
Auratas inter nubes regione ſedebat.
In ſumma, bello ſecretus; cetera ut omnis
Divûm turba Jovi parens abſtabat ab armis.
Denſi ergo Troës, denſique in bella ruebant
Aſcalaphum circa Danai. ſuper inſilit acer
Deïphobus, galeamque rapit fulvo aere micantem.
Armipotens cui Meriones, mora nulla, coruſco
Aſſiliens ulnam telo ferit: excidit olli
Pulchra manu, atque ſolo ſonitum dedit aerea caſſis.
Meriones, vultur ceu dirus, provolat, haſtam
Haerentem & recipit, ſociumque recedit in agmen.

v. 533.

Deïphobum at, manibus medium complexus, ab armis,
Pugnantumque virûm turba, ſtrepituque Polites
Eripuit frater; ſeorſum & poſt praelia denſa
Duxit, ubi curruſque illi, fiduſque manebat
Auriga, & bijugi celeres. hi multa gementem,
Aegrum animi, languentem artus, ad nota vehebant
Tecta: recens fixa manabat ſanguis ab ulna.
Nec minus interea ſocii certamine magno
Martem exercebant. clamor magis & magis uſque
Ardet inexſtinctus. longa tum fervidus haſta
Aeneas Apharea Caletoriden ferit; aere
Adverſi & jugulum ſaevo pertundit: at olli
Inflexumque humero jacuit caput, & galea alta,
Et fulgens clypeus, magna una eſt mole ſecutus
Ad terram: atra viro denſa nox ingruit umbra.
Antilochus trepidum, vertit dum terga, Thoona
Obſervans, telo aſſequitur, venamque, per omne
Quae dorſum currens cervicem irrepit in altam,
Abſcidit ſectam penitus: nigram ille ſupinus
Planxit humum, paſſas extrema in morte ſodales
Ad caros tendens palmas: ſuper inſilit acer
Antilochus; jamque arma humeris apprenſa trahebat,
Huc atque huc volvens oculos celer. undique Troes
Condenſi clypeum ingentem, varioque metalli
Pictum opere, uſque haſtis pulſabant: nec tamen aere
Saevo ipſum poterat quiſquam perſtringere corpus.
Nam proli deus ipſe tridentifer uſque periclum
Neſtoreae praeſens arcebat, denſa micarent
Arma licet circum; nec enim bellator ab hoſte
Uſquam abſcedebat, turba ſed fortis in ipſa
Verſabat ſeſe, nec longa immota manebat
Haſta unquam in manibus, ferro at criſpante coruſcam

v. 558.

Ja-

Jactabat lucem, juvenis dum mente volutat
Troum aliquem aut longe jaculari, aut ſternere leto
Cominus. haec verſans haud ille Adamanta fefellit
Aſiaden. ſubito adveniens percuſſit acuto
Hic medium ferro clypeum: Neptunus at, arcens
Triſte viro exitium, telo vim protinus omnem
Abſtulit. Antilochi pars ſcuto infixa, praeuſtae
More ſudis, manſit, pars ſubter lapſa jacebat
Ante pedes. Adamas ſocium tremefactus in agmen
Cedebat mortem vitans; fulgente ſecutus
Meriones haſta cedentem fixit in imo
Ventre, via eſt leto qua proxima. concidit haſtam
Ille ſequens, vaſtoque afflictus corpore terrae
Semianimis ſeſe contorquet. qualis in alto
Monte olim taurus, vinclis quem fortia colla
Ducunt implicitum, luctantem & multa, bubulci:
Talis tunc Adamas, immani vulnere ventrem
Saucius, hac ſeſe moribundo corpore & illac,
Ilia ſingultu quatiens, verſabat, adactum
Meriones donec veniens telum abſtulit, ad ſe
Vi retrahens: nigrae illi oculos preſſere tenebrae.
Deïpyrum ferit heic Helenus malam ſuper enſe
Threïcio, ingenti, galeamque excuſſit ab alto
Vertice: lapſa ſolo inſonuit, longeque volutam
Ante pedes Grajus ſibi miles ſuſtulit; atra
Deïpyrum denſa nox at caligine texit.
Indoluit cari leto Menelaus amici,
Nec mora, progreditur contra, torvuſque minatur
Multa Heleno, dextraque haſtam quatit: ille ſed arcum
Corripuit: cupidique ardent, hic ſternere longa
Pinu Helenum, hic certo Menelaum figere ab arcu.
Priamides miſit nervo ſtridente ſagittam.

v. 586.

Illa

Digitized by Google

Illa cavum ad pectus pepulit thoraca, reſultans
Inde abiit delata alio. velut ampla per aeſtum
Area ſive fabae, nigri ſeu trivit acervos
Cum ciceris, ſiliqua ſoetus arente ſoluti
Abſiliunt vanno a celeri; impulſuque vigentis
Agricolae, ac Zephyro ſubſultat flante legumen:
Sic, ubi thoracem clari tetigit Menelai,
Retro pulſa viam flexit, fugitque ſagitta.
Haſta ſed Atridae veniens perfodit acuto
Aere manum, qua Priamides apprenderat arcum,
Perque manum eſt arcu pariter defixa: receſſit
Ille agmen citus in ſocium crudelia vitans
Fata; manu & telum ſuſpenſa immane trahebat.
Huic haſtam ſubito accurrens eduxit Agenor
Magnanimus; vulnus dehinc lana involvit ovilla,
Ac tereti adſtrinxit ſunda, quam ſorte gerebat
Aſſiſtens regi ſamulus. Piſander Atriden
Interea contra graditur, quem Parca cruentae
Ad mortis finem ducebat, Marte domandum,
O Menelaë, tuo durae in certamine pugnae.
Hi poſtquam adverſi propius venere, lacerto
Quam valido intorſit Menelaus, devia longe
Flexit iter fugiens, ictum nec pertulit haſta:
Piſander clypeum clari pepulit Menelai;
Sed non & penitus valuit demergere ferrum:
Aereus umbo etenim tenuit, praefractaque prima eſt
Pars haſtae: ille tamen gaudebat, jam ſibi laudem
Victori ſperans. vagina diripit enſem
Argenti clarum bullis Menelaus, & hoſtem
Aggreditur: citus aeratam rapit ille bipennim
Sub clypeo, mediam levato aptarat olivo
Quam faber. ambo una plagam inflixere ſurentes.

v. 613.

Hic

Hic galeae conum percuſſit pulchra comantis
Ipſam ſub criſtam, nutantem in vertice ſummo:
Extremam ad nares frontem hic ferit; oſſa ſub enſe
Argutum crepuere; cruenti pulvere in atro
Ante pedes oculi jacuerunt, nec mora, totus
Curvato ad terram defluxit corpore: pectus
Cui medium preſſit Menelaus calce, jacentis
Arma legens humeris abrepta ingentibus; altum
Et clamans, laeto haec effudit pectore dicta,
  Sic erit ut naves tandem linquatis Achaeas,
O tumidi, o nunquam ſatiati Marte cruento
Trojugenae, o noxae foedique haud indiga pubes
Flagitii, quo me violaſtis, turba pudoris
Neſcia, nec veriti, hoſpitii qui fulmine ſancit
Jura, Jovem. iratus vobis qui moenia Trojae
Verſa ſolo dabit altitonans, quod conjuge, quod me
Divitiis ultro inſontem ſpoliaſtis avitis,
Urbe, domo excepti, atque epulis ſocialibus. îdem
Nunc inferre ignem claſſi, curvaſque paratis
Ad puppes mactare duceſque, & vulgus Achivûm.
Aſt erit, injiciat veſtro qui fraena furori.
Jupiter, egregie cordatum homineſque deoſque
Te ſuper eſſe ferunt: ex te tamen omne profectum
Hocce malum. Teucrûm noxae, ſcelerique ſecundus
Quandoquidem indulges; qui vi laetantur iniqua,
Expleri poſſunt nec bello aut caedibus unquam.
Expletur quaevis hominum ſatiata cupido;
Somnus, amor, dulces cantus, choreaeque decentes;
Grata magis quae ſunt mortalibus, effera ſaevi
Praelia quam belli; cujus tamen uſque libido
Urit inexpletos, ſubeunt nec toedia, Troas.
Sic ait: atque viri exuvias, manantia nigro

v. 640.

Arma cruore, dedit ſociis; redit ipſe laborem
Ad durum, & primis miſcet ſe turbidus ira.
Clara Pylaemenei proles hunc regis adivit
Harpalion; patrem Trojana ad bella ſecuto
Haud licuit patrias cui rurſum viſere ſedes.
Hic medium adverſi clypeum percuſſit Atridae
Cominus, at ſubter penitus defigere acutum
Aes tamen haud potuit. ſociam citus ergo recepit
Se, mortem vitans, in turbam, lumina vertens
Anxius huc atque huc, ne quis forte hoſtis adacto
Figeret incautum telo. dum cedit, ab arcu
Meriones miſit, nervo ſtridente, ſagittam
Aere gravem, cluni quae dextro infixa ſub ima
Oſſa abiit: caros inter dulcem ille ſodales
Efflavitque animam, ſeſeque, ut reptile, terram
Extendit ſupra: niger alto e vulnere ſanguis
Ibat, perfuſa & tepidus tellure fluebat.
Illum Paphlagones curabant, Martia pubes;
Sublatumque manus inter poſuere ſuperbo
In curru, & moeſti vexere ad moenia; fletum
Quos inter fundens ibat pater ipſe; perempto
Nec poenas gnato, quiſquam mactaverat hoſtem.
  Caede viri graviter doluit Paris, arſit & ira.
Hoſpes enim quondam juveni multos fuit inter
Papblagonas. celerem nervo ſtridente ſagittam
In medios miſit Trojano ex agmine Achivos.
Vir fuit in Grajis, Polyido vate creatus,
Euchenor, qui dives opum, fortiſque Corintho
Venerat Iliacum ad litus, non inſcius ille
Exitii, quod ſaeva deûm ſibi fata parabant.
Saepe ſenex etenim Polyidus dixerat, aede
Aut morbo in patria moriturum, aut inter Achaeas

v. 668.

Per-

Perdomitum naves Trojano Marte: decoram
Ille magis mortem optavit, tabeſcere triſti
Quam morbo, atque notam, multamque ſubire relictae
Militiae indecorem. cui malam ſubter ad aurem
Allapſa eſt volucris letali cuſpide arundo,
Exſolvitque animus ſeſe artubus, atraque noctis
Horrendae ſupra caligo eſt fuſa jacentem.
 Horum ſic ritu gliſcentis praelia flammae
Ardebant. nondum audierat quidquam inclytus Hector,
Norat ab Argivis nec foede in parte ſiniſtra
Dardaniam caedi pubem. victoria Grajis
Nam prope jam laeta obtigerat; maris arbiter alti
Sic menteſque virûm Neptunus in arma ciebat,
Atque, ſuas idem vires, invictaque promens
Robora, ab Argivis arcebat puppibus hoſtem.
Haec nondum audierat, nec norat Martius Hector:
Septa ubi ſed muri, portamque invaſerat altam,
Perrumpens denſae bellator texta phalangis,
Illic perſtabat; qua parte in litore curvo
Subductas magnuſque Ajax, & Proteſilaus
Conſtituere olim puppes. depreſſior illic
Murus erat: Grajae flos illic pubis, equorum
Turba ingens, peditumque; illic Boeotus, Iaon,
Locrique, Phthiique, invicto & robore Epei
Conferti obſtabant ſimul omnes agmine magno;
Nec flammae ſimilem torrenti aſpellere quibant
Hectora, in Argivas cupidum ſe immittere puppes.
Cecropidae lecti ante alios, ductore Meneſtheo,
Quem ſocii pariter concordi mente ſequuntur
Phidaſque, Stichiuſque, Biaſque. at ductor Epeis
Phylideſque Meges, Amphionque, Draciuſque.
Phthios ante Medonque, ferox & Marte Podarces

Homer. v. 693.

Ibant; ille, nothum divini germen Oilei,
Frater & Ajacis; patria procul aede colebat
Sed Phylacen profugus; furiata mente, novercae
Quod leto dederat germanum Eriopidos: alter
Phylacida Iphiclo natus. ducebat uterque
Phthium agmen; juncti .& Boeoto puppibus hoſtem
Arcebant. forti celer Ajax cretus Oileo
Haerebat magno Telamoniadae, comes uſque
Perpetuus lateri affixus. cervice juvenci
Ut duo contenta, concordi mente novali
In magno ducunt preſſi grave robur aratri;
Ima fluit circum queis largus cornua ſudor,
Diſcretique jugo tantum, veſtigia figunt
Aequa pari greſſu per ſulcos, ſubter at alte
Duram findit humum fulgenti vomere aratrum:
Sic gemini Ajaces ſimul ibant, alter adhaerens
Alterius lateri; ſedenim Telamone creatum
Lecta manus, ſocii multi, forteſque ſequuntur,
Et clypeum excipiunt, quoties laſſata fatigat
Genua labor, ſudorque viro: contra ortus Oileo
It ſolus, Locri nec juxta in praelia tendunt.
Haud etenim conferre manum, atque invadere pugnam
Cominus audebant, queis deerat caſſis equinis
Aerea denſa jubis, & ſcuta ingentia, & haſtae
Fraxineae: tantum freti arcu, & vellere ovillo
Contorto in fundam, venere ad moenia Trojae;
Eminus & telis, ſaxorum & grandine ſaeva
Aeratas Troum vaſtabant ſaepe phalanges.
Ergo & tunc alii claro ſepti aere praeibant,
Denſaque cum Teucris atque Hectore cominus arma
Contulerant; Locri a tergo, de more latentes,
Tela manu aſſidui ſpargebant. Troica pubes

v. 722.

Eſſe

Eſſe memor pugnae haud poterat; cui corda micabant
Uſque metu longe miſſis tremefacta ſagittis.

Tunc adeo, Danaûm puppes, tentoria & alta
Linquentes, foeda patrios cum clade rediſſent
Ad muros Teucri, audacem bonus Hectora verbis
Eſſet Polydamas ni ſic affatus amicis:

Hector care, nequis dictis parere monentum.
An, tibi quod bello dederunt excellere divi,
Vis & conſilio ſapienti excellere cunctis?
Non eſt ut ſolus capias ſimul omnia. divi
Dant alium duro inſignem clareſcere bello;
At choreis praeſtare alium, cantuve, lyrave.
Sunt quibus ipſe bonam locat alto in pectore mentem
Jupiter; unde bonum multis mortalibus ingens,
Servanturque urbes totae, ſervantur & ipſi.
Audi ergo: dicam quod nobis profore credo.
Te circa, frater, flagrat ſaeva undique pugna:
At Troum, poſtquam murum evaſere, labore
Pars defeſſa procul ſeceſſit, ſtatque ſub armis;
Pars naves circa pugnat diſperſa, nec hoſti
Par numero. ergo refer greſſum, proceresque vocato
Tecum omnes, ſimul ut conſultent, vadere Grajas
Praeſtet an in puppes, (tantam ſi Jupiter aequus
Det laudem); anne domum potius ſine clade reverti,
Dum licet. heſternam ne Graji forte rependant
Nam cladem, metuo: naves quod ſaevus ad altas
Bellator ſedet; in tanto nec cardine rerum,
Ut reor, immotus longum ceſſabit ab armis.

Haec tum Polydamas: tutum non abnuit Hector
Conſilium, & curru ſaevis horrendus in armis
Deſilit, atque virum compellans, talia fatur:

Polydama, heic tecum primos tu ſiſte virorum:

Ipſe ibo, ac pugnae occurram; citus inde revertar,
Cum dedero mandata illic, quorum indiget uſus.
  Sic ait; atque virûm inceſſit per denſa, nivali
Aſſimilis monti, colles qui vertice ſupra
Arduus attollit ſe celſo; &, lumina gentis,
Troaſque & ſocios magno clamore vocabat.
Qui ſimul Hectoream vocem audivere, ruebant
Cuncti ad Pantoiden, ut juſſi, Polydamanta.
  Hector Deïphobumque, Helenumque per agmina regem
Aſium & Hyrtaciden, atque Aſiaden Adamanta
Hac illac errans quaerebat, ſicubi poſſet
Nanciſci. incolumes haud nactus, nec ſine clade.
Nam pars ad naves Argivo Marte jacebant
Exanimes, murum pars intra ſaucia telis
Languebant. pugnae tum laeva in parte ſodales
Hortantem adveniens vidit Parin, arſit & ira
Turbidus, ac propior, dictis ita fatur acerbis:
  Infelix, violare thoros, Pari, docte, puellas
Et captare, ubi nunc tibi Deïphobuſque, Helenuſque,
Aſiadeſque Adamas? bello praeclarus uterque,
Othryoneus ubi, & Hyrtacides? nunc omnis ab alto
Culmine Troja ruit: tibi nunc primo ingruit ipſi
Exitium. Fratri, haec jactanti jurgia, formam
Par ſuperis leni Paris eſt ſic voce locutus:
Hector, ne culpa inſontem. fortaſſe mereri
Iſta alias potui convicia lentus ad arma.
Imbellem nec me prorſus genuere parentes.
Ex quo etenim es durae exorſus certamina pugnae
Ad naves, conferre manum non parcimus uſque
Cum Danais, longum & Martis durare laborem.
Quos quaeris, morte abſumpti periere ſodales,
Deïphobo, atque Heleno exceptis. hi, laeſus uterque

v. 782. Ae-

Aere manum fixo, pugna exceſſere cruenta;
Arcuit at mortem divûm pater atque hominum rex.
Nunc quocunque lubet duc, laeta mente ſequemur;
Non erit ut quenquam poſſis reprehendere; quanta
Vis etenim cuique eſt, alacres pugnabimus; ultra
Nanque ſuas potis eſt nemo contendere vires.
Sic ſatus, fratri mentem & praecordia flexit.
Ergo abeunt illuc, Mavors ubi plurimus ardet
Cebrionen circa, & praeclarum Polydamanta,
Phalcenque, Orthaeumque, & magnanimum Polyphoeten,
Palmynque, Aſcaniumque, Morynque, duo Hippotionis
Germina, ab Aſcaniae miſſi qui pinguibus oris,
Luce urbem ad Troum heſterna venere, viciſſim
Submiſſi bello defeſſis. Jupiter egit
Continuo quos dura inter diſcrimina pugnae.
Immanes veluti nigro cum turbine venti
Camporum per plana ruunt magni Jovis alto
Sub tonitru, atque mari miſcent ſe flabra tumultu
Horriſono; ſpumis albeſcunt caerula; vaſta
Mole tument, ſeſeque urgent ad litora fluctus:
Sic alii, tum deinde alii denſo agmine Troës,
Aere omnes clari, adventant, regemque ſequuntur;
Ante gradu magno fert ſeſe, non minor ipſo
Marte, ferox Hector, ſcutique ingentia praefert
Texta, boum tergo conſuta, atque aere coruſco
Tecta ſuper; geminis nutu concuſſa micabat
Temporibus caſſis. clypeo ſic tectus adibat
Ille hoſtem, contra gradiens, denſaſque phalanges
Tentabat, poſſet ſi qua pervadere; quibat
Nec turbare tamen mentes ac pectora Grajis.
Primus ibi, Telamoniades immane frementem,
Ille gradu incedens magno, ſic voce laceſſit:

v. 810.

Huc

Huc propius conſiſte: quid Argivos male terres,
Infelix? varias Mavortis novimus artes
Nos etiam; nec tu, ſed triſti Jupiter ille
Nos domuit flagro inſenſus. vaſtare carinas
Vana tibi ſperat nunc mens; at, pellere vim vi
Quae valeant, etiam nobis ſunt tela, manuſque.
Capta magis noſtro, vaſtataque Marte peribit
Ilios alta, opibus dives, multaque beata
Prole virûm. atque adeo tibi tempus jam reor ipſi
Inſtare, hinc fugiens tremefacto ut corde precere
Atque Jovem atque alios divûm, cupiaſque volucri
Accipitrum penna celeres magis ire jugales,
Pulvereum qui te per campum ad moenia curſu
Praecipiti referent. Haec fanti apparuit ales
Ecce Jovis dextra altivolans de parte ſuperne.
Agnovere omen laeto clamore ſecundum
Grajugenae; magnus reddit cum talia contra
Priamides: Ajax jactator, garrule, inepte,
Nam quid ais? quas tu nugas, quae monſtra locutus?
Sic utinam claro genitor mihi Jupiter eſſet
Altitonans, partu & me regia lucis in auras
Fudiſſet Juno, templiſque ariſque dicatis,
Quo Pallas, vel quo Phoebus dignarer honore;
Exitium ut Danais feret haec lux omnibus, utque
Hos inter ſtratus leto ſimul ipſe jacebis,
Stare loco, & conferre gradum, longamque manere
Haſtam hanc ni renuis; tibi quae florentia morſu
Membra gravi figet: procurvo in litore Achaeas
Stratus ut ad naves immani viſcere, multo
Et pingui longum paſcas avidaſque volucres,
Atque canes. Hector ſic fatus protulit ultra
Greſſum audax. ſocii magno clamore ſequuntur.

v. 834.

Nec

Nec minus adverſa Graji de parte dedere
Clamorem horrendum, promuntque in praelia vires,
Trojugenum & primos ſtant contra: gliſcit utrinque
Clamor aduſque domos Jovis, & caeli aurea templa.

v. 837.

HO-

HOMERI ILIADOS

LIBER QUARTUSDECIMUS.

INgens Neſtoreas belli ſonus impulit aures,
Dum potu revocat vires. exterritus ergo
His Aſclepiaden compellat vocibus heros.
Quis novus hic ſubito clamor, juxtaque carinas
Florentum fremitus juvenum, divine Machaon?
Tu tamen heic placide potanſque ſedenſque maneto,
Dum caleant igni latices, atrumque lavacro
Abluat in molli tibi flava Hecameda cruorem:
Ipſe ibo; & noſcam e ſpeculis quae cauſſa tumultus.
Sic ait; atque intra tentoria celſa jacentem
Attollit gnati clypeum Thraſymedis, ahenum,
Caelatum pulchre, fulgentem; patris habebat
Nanque ſui clypeum juvenis; tum corripit haſtam
Ingentem, aerata radiantem cuſpide. talis
Proceſſitque, ſtetitque extra tentoria. foedum
Cernit opus; ceſſiſſe loco, trepidoſque referre
Uſque pedem Danaos: Troas contra ire ſuperbos,
Et proferre gradum magis & magis uſque: jacere
Argivi dejecta ſolo muri ardua ſepta.
Ingens ut tacito pontus nigreſcere fluctu
Cum coepit, vaſtae opperiens arguta procellae
Flabra: haeret ſuſpenſa, uſquam nec volvitur unda
Huc propulſa, vel huc; aliquis dum nube ſolutus
Ex alta veniat ventus celer ab Jove ſummo:
Sic anceps animi pendebat, multa volutans
Mente ſenex, parteſque labans diſtractus in ambas:

v. 21.

Gra-

Grajorumne ferat ſeſe inde hortator ad agmen;
An petat Atriden Agamemnona, ſi quid uterque
Conſilii ſimul expediant. ſententia menti
Haec dubiae potior viſa eſt, feſtinus Atriden
Ut ferat ad magnum ſeſe. Troëſque & Achivi
Interea inſtabant caedi; horrendumque ſonabant
Enſibus atque haſtis pulſata micantibus aera.
  Nelidae, per caſtra viam dum carpit, Achaei
Occurunt reges, laeſi qui corpora ferro
Exceſſere acie; Tydides, major Atrides,
Tertius inde Ithacus. digreſſi a navibus ibant
Hi pariter; quorum puppes in litore ſtabant
Extremo, longe a pugna. tetigere priores
Iliacam nam quae terram, de litore longe
Subductas ultra in campum traxere ſeorſum,
Et muro ingenti cinxere, ac turribus altis.
Litus enim, quamvis latum, complectier omnes
Haud poterat; populique anguſto in fine moveri
Haud quibant: alias ergo ſtatuere gradatim
Ante alias, totam & complerunt litoris oram,
Quanta patet cautes projectas inter utrinque.
Quocirca pugnam cupidi ſpectare, tumultu
Exciti & ſubito, nitentes cuſpide longa,
Ibant feſtini; triſtique in pectore multus
Moeror erat. Neſtor viſus formidine mentes
Perculit. hunc ultro ſic eſt affatus Atrides:
  Ingens o Grajae gentis decus, optime Neſtor,
Nam cur, hoſte, affers huc te, pugnaque relicta?
Heu vereor, mihi ne re praeſtet Martius Hector,
Trojugenum in coetu quondam eſt quod voce ſuperba
Pollicitus: Grajis non ante a navibus urbem
Venturum Iliacam, quam captas igne carinas

Homer. v. 47. Ure-

Ureret, atque ipſos penitus deleret Achivos.
Haec tum pollicitus; quae nunc heu cuncta videmus
Jam perfecta dari. pro dî! me, ut ſaevus Achilles,
Sic cuncti oderunt Danai; nec promere vires,
Mente volunt alacri, nec peſtem arcere carinis.
Haec ille: acer equis Neſtor cui talia reddit:
Iſta quidem manifeſta; queat nec Jupiter ipſe
Jam facere infectum, quod factum vidimus. ingens
Stratus enim jacuit murus, munimen ab hoſte
Quod fore ſperabant Danai claſſique ſibique
Invictum, nullis frangendum viribus unquam.
Ipſas pugna atrox ad naves; noſcere cernens
Nec poſſis Graji quanam de parte fugaces
Turbentur. nuſquam non caedes, denſaque mixtim
Funera, confuſuſque ruens ad ſidera clamor.
At nos, conſilio ſi quis locus, optime regum,
Quaeramus quid res fieri nunc poſcat. inire
Nam pugnam haud jubeo. pugnae non aptus & armis
Bellator, validum enervant cui vulnera corpus.
Haec ſenior. tum ſic Atrides: Neſtor, ad ipſas
Quandoquidem pugnant naves, nec ſtructus Achivis
Jam prohibet murus Troas, nec foſſa, paratum
Quod fore perpetuo caſus munimen ad omnes
Spes erat, incaſſumque abiit labor irritus; omnes,
Nunc, reor, a patria longe cariſque propinquis
Jupiter indecori vult leto occumbere Achivos.
Noram quippe, aequa Danais cum mente ſavebat:
Novi nunc etiam, cum Teucros aequat honore
Caelitibus, noſtraſque ligat vireſque manuſque.
Ergo agite, atque meis cuncti parete volentes
Conſiliis. naves, quae primam in litoris oram
Subductae, confeſtim altum trudamus in aequor,

v. 76.

Semotas longe a terra quas anchora curvo
Detineat firmans morſu, dum venerit atra
Nox (triſti abſiſtant ſi pugna nocte ſub ipſa
Trojugenae); tum deinde alias deducere puppes
Cura ſuat, quaecunque abſunt a litore. cladem
Non turpe eſt ipſas inter vitare tenebras;
Atque malo potior multo eſt fuga. Talia ſantem
Torva tuens ſic eſt ſapiens affatus Ulyſſes:
Atride, nam quae iſta tibi vox fugit ab ore?
Exitium Grajis quod nam ſtruis? o mage digne,
Indecori praeſis qui genti cuilibet, inter
Quam nos ſceptra geras; primo queis magnus ab aevo
Jupiter extremae ad finem dedit uſque ſenectae
Duro exerceri bello, neſcire laborum
Et requiem, dum quiſque obeat ſua fata ſub armis.
Siccine Dardaniam vis linqui turpiter urbem,
Quam propter tulimus tot dura atque aſpera Graji?
Parce loqui, Danaûm te ne quis talia ſantem
Audiat, effari quae poſſit nemo virorum
Suetus ſana loqui, ſceptroque inſignis, & idem
Tot populis, quot tu, imperitans. male diſplicet iſtud
Conſilium, damno & penitus tua dicta, tumultu
In medio pugnaque jubes deducere curvas
In mare cum puppes; cui jam victoria cedit,
Succeſſu magis atque magis laetetur ut hoſtis.
Miles enim pugnam renuet perferre, carinas
In mare deduci ſimul ut conſpexerit, hoſti
Et cedet, celeriſque fugae ſpe abſiſtet ab armis;
Atque tuum tibi conſilium, rex, perdet Achivos.
Haec Ithacus; rurſum Atrides cui talia fatur:
O Laërtiade, monitu mihi corda ſubiſti
Ima gravi: ſedenim invitos deducere claſſem

v. 105.

Haud equidem jubeo Grajos; cupioque doceri
Quid ſit opus; meliuſque opto, quod proſit Achivis,
Conſilium promat quivis juveniſve, ſenexve.

Tum ſic magnanimus Tydides: Iſtud abunde
Qui praeſtet, nec abeſt, nec longo eſt tempore vobis
Quaerendus; modo ſi placeat parere monenti,
Nec quiſquam iraſci incipiat, vel ſpernere dicta,
Quod vobis aevo me cernitis eſſe minorem.
Nanque meum genus haud, credo, contemnitis; ortus
Qui patre ſum Tydeo, Thebis quem bella gerentem
Excepit gremio tellus, conditque ſepultum.
Terna etenim Portei nata eſt de ſemine proles
Inclyta, quae Pleurona, altam & Calydona colebat,
Agrius, atque Melas, belloque acerrimus Oeneus,
Patre meus pater eſt quo ſcilicet editus. inter
Praeſtitit hic fratres mira virtute, paternas
Et tenuit ſedes. variis erroribus actus
At Tydeus Argos coluit, caeleſtibus ut dîs,
Atque Jovi eſt placitum; regali & ſanguine gnatam
Adraſti duxit, florens opibuſque domoque
Egregia, atque tenens late arva ingentia, dives
Fruge ſolum, multo circum & pomaria verſu,
Lanigerique greges pecoris; tum clarus Achivos
Haſta inter cunctos, ſi quando bella vocarent.
Haec, ut vera, reor vobis audita. parentum
Nunc memores, ne me imbellem ignavumque putate,
Nec, dicam juvenis ſi quid bene, ſpernite dictum.
En agite, ad pugnam vel tardi vulnere, quando
Res dura & praeſens diſcrimen cogit, eamus.
Illic ſemoti a telis, ne ſaucia quiſquam
Figat membra, novo neu vulnus vulnere acerbet,
Hortemurque alios, & pubem, ſegnis ab armis

v. 132.

Quae

Quae ceſſat, voce incenſam mittamus in hoſtem.
Sic ait: hi parent dictis, juvenile ſecuti
Conſilium; atque gradum celerant; dux ibat Atrides.
Senſit caerulei rector maris; oraque cano,
Ora, habitumque, ſeni ſimilis proceſſit, Atriden
Et prope magnanimum citus adſtitit, atque prehenſum
Dextra, ſic blandis compellat vocibus ultro.
Atride, ſaevus nunc certe gaudet Achilles;
Exſultatque viro dirum cor, ſpectat Achivûm
Dum caedemque, fugamque. infelix! pectore in alto
Cui nil mentis ineſt ſanae. ſic numina perdant
Juſta illum, damnoque onerent, probroque merentem.
Sed te nondum omnes dî, rex, odere. videbis
Laetus adhuc Troum raptim regeſque duceſque,
Pulvere complentes camporum lata, relictis
Navibus effuſo ſua ferri ad moenia curſu.
Haec ait; & campis celeri pede concitus, altum
Clamavit. quanta conclamant voce novena,
Primam ineunt quando pugnam, vel dena virorum
Milia: Neptunus tantam de pectore vocem
Fudit, & indomitum Grajis in corda furorem,
Robur & injecit ſubitum, bellare ſine ullo,
Ut ſine, ac forti vellent decernere pugna.
Interea magni ſupremo a vertice Olympi
Terram humilem late deſpexit regia Juno:
Atque ſuum atque ſui germanum conjugis ire
Per medias vidit feſtinum laeta phalanges:
Parte alia irriguae celſis in montibus Idae
Rupe Jovem in ſumma; cui diva infenſa, ſub imo
Irarum ingentes volvebat pectore fluctus.
Huic ingreſſa dolos moliri; fallere ſi qua
Poſſit, & Argivo diſtrictum avertere bello.

v. 160. Omnia

Omnia verſanti, haec animo ſententia ſedit,
Compta omni ut pulchre cultu deſcendat in Idam;
Eximio captum formae ſi forte lepore
Implicet, exceptoque ulnis & lumina, totam
Et mentem ignavo componat callida ſomno.
  Ergo ſuum fert ſe in thalamum, quem filius olli
Mulciber exſtruxit, valvaſque aptavit ahenas
Poſtibus arcana clavi, ſecreta ſubire
Limina ne quiſquam poſſet de gente deorum.
Huc ingreſſa, operit radiantes lumine valvas:
Et primum ambroſia perfundens membra liquenti
Abluit.; hinc oleo perduxit, diva pararat
Quod ſibi ſuaveolens; quod tantum ut morat in alta
Aede Jovis, miro late caelumque profundum,
Terraſque, tractuſque maris complebat odore;
Hoc poſtquam corpus perduxit diva, capillum
Et rite aurato diſcrevit pectine; doctis
Compoſuit manibus formans pulchroſque, nitenteſque,
Et fuſos varie divino a vertice plexus:
Fulgidulum hinc peplum, quod longo virgo labore
Ipſa ſuis olli manibus Tritonia fecit,
Et rerum omnigenis ornavit rite figuris,
Induit; ad pectus multo quod fibula morſu
Aurea nectebat. zona poſt ambiit arcta
Corpus, multiplici ornabat quam fimbria villo.
Dehinc triplicem pulchra gemmam ſuſpendit ab aure,
Hinc atque hinc aptans opus admirabile viſu;
Atque recens factam impoſuit candore nivali
Ambroſio vittam capiti, quae fulgida, ſoli
Aſſimilis, partem radios jactabat in omnem.
Tum nitidis ſoleas pedibus ſubnectit; &, omni
Ornatu fulgens, thalamo procedit ab alto;

v. 188.

Ac Venerem coetu a ſuperûm dea ſevocat omni ,
Seductam & blandis affatur callida verbis :
  Dulcis nata , meis precibus flectere ? negabis
An flecti ? ac noles , quam nunc rem poſcere mens eſt ,
Largiri , iraſcens mihi ſcilicet , ipſa favere
Quod Danais ; tu , diva , ſoles defendere Troas ?
  Cui Venus : o Juno , dea magna , o regia magni
Proles Saturni , quod verſas mente , profare ,
Quidquid id eſt : fieri poſſit modo , laeta volenſque
Nam faciam , atque omnes impendam ſedula curas .
  Tum ſic orſa loqui fallaci pectore Juno eſt :
Illecebraſque , tuoſque mihi da , diva , lepores ,
Queis polles , menteſque domas hominumque deûmque .
Nanque abeo extremas almae telluris in oras .
Oceanumque deûm patrem , Tethynque parentem
Viſere , qui me ambo primaeva aetate ſuaque
Excepere domo , curaque aluere puellam
Ingenti ; Rhea quam dederat , quo tempore caelo
Saturnum exegit , terraſque & fruge carentem
Sub pontum ad Stygias detruſit Jupiter umbras .
Hos abeo viſura , queam ſi forte moleſtam
Adveniens blando affatu componere litem .
Nanque diu thalamo ſejuncti mutua ſeſe
Oderunt ; quorum mentes ſi nectere vinclo
Dulcis amicitiae liceat mihi , magnaque , & omnes
Ante alios merito dilecta vocabor utrique .
  Cui Venus : haud quidquam , quod poſcas cunque , licetve ,
Aut decet abnuere , o divûm regina , ſupremi
O ſoror , atque eadem conjux auguſta Tonantis .
  Dixit ; acu & pictum ſolvit de pectore lorum ,
Artis opus mirae , humanas mulcentia mentes
Cuncta ubi rerum inerant , amor , atque cupido , loquela

v. 216.

Et

Et dulcis, furtim ſapientum & corda ſubire
Blanditiae quotquot fuerunt, ac vertere mentes.
Hoc divae in manibus poſuit: dehinc talia fatur:
Hoc tibi habe, atque ſinu lorum, regina, reconde,
Cuncta ubi ſunt, quaecunque optas tibi. non erit ut re
Infecta redeas, coepto & ludaris inani.
Sic Venus: ampla oculos Juno ſubriſit; & abdit
Diva ſinu eximium laetanti pectore munus.
Nata Jovis patrias retulit ſe rurſus in aedes:
At Juno ſummo digreſſa eſt vertice Olympi;
Pieriam & lapſu celeri ſuper, & juga pulchrae
Emathiae fugiens, nive tecta cacumina, Thracum
Aërios tranat montes; nec concita ſubter
Contingit pedibus terram. tum rupibus altum
Linquit Atho, labenſque maris deſcendit ad undam
Fluctiſoni, Lemnumque advenit, regna Thoantis.
Convenit hic, Leti fratrem, dea candida Somnum;
Et dextram dextra contingens talia fatur:
Somne, hominum, atque deûm domitor, ſi tempore in ullo
Audiſti facilis mea vota, hoc adde rogatus
Optanti eximium nunc munus, nulla vetuſtas
Quod memori ex animo acceptum mihi deleat unquam.
Mecum ades, atque Jovi, ſimul ac mihi proximus ille
Procumbet, placido fulgentia conde ſopore
Lumina. ſi facies, auro radiante coruſcum,
Pulchro fuſum opere, haud ullo corrumpier aevo
Quod poſſit, ſolium dabitur tibi, magna laboris
Merces: Vulcanus multa quod ſedulus arte
Conflabit meus, atque, pedes quod fulciat apte
Dum celebras epulas, ſupponet rite ſcabellum.
Huic lenis placido reſpondit pectore Somnus:
Magni Juno genus Saturni, prima dearum,

v. 243.

Nul-

Nullum ego non auſim divûm ſopire, vel ipſum
Oceanum, unde genus divis, immane ruentem,
Volventemque altos ingenti murmure fluctus;
Unum ſed metuo propius vel adire, ſopore
Vel dulci mulcere Jovem, niſi ſi velit ipſe.
Nam me alias etiam ſtimulaſti, diva, ſecabat
Aequoreas qua luce vias magno Jove cretus
Alcides, Trojae poſt moenia diruta bello.
Tunc ego complexu molli praecordia magno
Ima Jovi affuſus demulſi: tu, dea, cladem
At ſubitam es molita hoſti; flabriſque furentum
Ventorum, ac ſaevo turbaſti caerula fluctu;
Et curſu excuſſum, ſociaque a pube revulſum,
Egiſti Coam veſano turbine ad urbem.
Excitus immanes divûm rex arſit in iras:
Atque deos celſa jactans turbabat in aede;
Meque furens animi primum quaerebat; ab alto
Contuſum & caelo ſalſas jeciſſet in undas,
Ni me ſervaſſet domitrix hominumque deûmque
Nox, gremio excipiens fugientem. turbidus ira
Ille manum abſtinuit, noctem quod laedere ſacram
Eſt veritus. Nunc tu caput objectare periclo,
Diva, jubes iterum, moliri &, quae male cedant.
  Tum Juno: Quid, Somne, animo nunc talia verſas,
Atque tibi trepidat formidine pectus inani?
Anne putas Teucros propter ſic poſſe moveri
Corda Jovi, Alcidae ut gnati ſunt mota periclo?
Surge agedum; pretium dabitur, ſociare jugali
Quam tibi dudum optas vinclo, pulcherrima coetu
E Charitum, primo vernantum flore juventae,
Paſithea. Ingenti perculſus corda repente
Pollicito Somnus laeto haec citus ore profatur.

Homer. v. 270.

En age, diva, lacus Stygios, violandaque nulli
Flumina jurato verax. rite altera pinguem
Tellurem tangat facito manus, altera falſi
Marmoreos ponti fluctus: teſteſque vocato,
Quotquot Saturnum circa tenet alta ſub umbris
Terra, deos, thalami cupio cui foedere jungi,
Te mihi Paſitheam, coetu praecellit in omni
Quae Charitum prima florentum aetate, daturam.
Haec Somnus: dictis paret dea; jurat & omnem
Vim divûm infernam, ſubter quos Tartara tellus
Ima tenet clauſos; Titanas nomine dicunt.
Ut jurata fidem fecit, teſtataque divos,
Feſtinant ambo, Lemnoque Imbroque relictis,
Atque auras carpunt nigra caligine ſepti.
Jamque adeo celſam pariter venere ſub Idam
Fontibus irriguam crebris, matremque ferarum,
Lectum ad litoream. ponti dein aequora linquunt,
Inceduntque ſolo raptim; ſilva alta tremebat
Sub pedibus. Somnus, venientem Jupiter ante
Quam videat, tenuitque gradum, furtivus & altae
Abjetis aſcendit ramos, qua nulla per auras
In tota ad caelum ſurgebat longior Ida.
Heic frondes inter, denſa protectus ab umbra,
Sedit avi ſimilis, vocitant in montibus altis
Chalcida quam divi, genus at mortale Cymindin.
At Juno ſummum celeri pede Gargaron Idae
Ibat ad excelſae. quam vidit Jupiter, arſit
Confeſtim & toto flammatus pectore: qualis
Divae furtivo primum eſt cum junctus amore.
Obvius & veniens haec leni eſt voce locutus:
Juno, quo properans alti de vertice Olympi
Huc te affers? nec currus adeſt, geminique jugales:

v. 300. Tum

Tum ſic orſa loqui fallaci pectore Juno eſt:
Longe abeo extremas almae telluris in oras,
Oceanumque deûm patrem, Tethynque parentem
Viſere. qui me ambo primaeva aetate ſuaque
Excepere domo, curaque aluere puellam
Ingenti. hos abeo viſum, ſi forte moleſtam
Adveniens aliqua poſſim componere litem.
Nanque diu thalamo ſejuncti, mutua ſeſe
Oderunt, animiſque agitant diſcordibus iras.
Irriguae in primis volucres radicibus Idae
Stant bijugi, qui me celeri terraque marique
Axe vehant: prius haec ſummo de vertice Olympi
Sed veni dictura tibi, ne mente doleres
Irata, ſi forte irem taciturna remotas
Oceani longe ad ſedes ac tecta profundi.
Sic ait: altitonans contra ſic Jupiter infit:
Ire illuc tibi mox actutum, diva, licebit:
Nunc mecum haud pigeat paullum ceſſare, meoque
Indulgere animo; cui nunquam pectora tantus
Cepit amor; nec quo conjux Ixionis olim
Tempore Pirithoum, ſimilem dîs corda creavit;
Clarum prae cunctis mortalibus Acriſione
Perſea nec Danaë genuit quo pulchra, nec illa
Nobilis eximii Phoenicis filia prolem
Quo geminam Minoa tulit, dium & Rhadamanthum:
Nec tam gratá mihi Semele fuit, Alcmeneve,
Altera magnanimi Alcidae, partu altera Bacchi
Nobilis, humanas ſolvit qui ad gaudia mentes;
Nec regina Ceres flavo bene compta capillo,
Inclyta nec Latona, eadem nec tu, dea, tanto
Aeque grata mihi compleſti pectus amore.
Jupiter haec. Juno verbis cui vafra doloſis:

Nam quid ais? tibi quis mentem, Saturnie, dirus
Verſat amor? Ida in ſumma nudoque ſub axe
Quid ſi divûm aliquis videat nos forte cubantes,
Atque aliis narret ſuperis? qua fronte reverti
Caelicolum ad ſedes tunc poſſem conſcia probri?
Verum, ita ſi placitum, ſi fert ita corde voluntas,
Eſt thalamus tibi, quem Vulcanus condidit, aptans
Poſtibus ille feras ſolidis. quin pergimus illuc
Et ſomnum in clauſo petimus de more cubili?
Tum ſic altitonans, caelo qui nubila denſat:
Ne dubita, divûm neu quenquam, Juno, verere,
Aut hominum: auratam cogens denſo aëre circum
Sic tibi ego nubem offundam, quae pervia nulli
Sit viſu; haud ipſi, qui perſpicit omnia, Soli.
Haec ait: ac placidae pariter dat membra quieti
Stratus humi: alma thorum tellus, mora nulla, recentem
Submiſit, gramenque ſinu foecunda profudit
Suaveolens, denſum, lotumque, crocumque rubentem
Flore novo, & violas, & purpureos hyacinthos.
At nubes fudit ſe circum pulchra repente
Auratis fulgens radiis, ſudoque nitebant
Rorantes caelo paſſim per gramina guttae.
Sic divûm pater atque hominum rex ardua ſupra
Gargara, perdomitus tandem ſomnoque, doliſque
Conjugis, oblita carpebat mente ſoporem.
Quem ſimul ac toto ſopitum pectore ſenſit
Somnus, continuo ad naves deſcendit Achaeas;
Nuncius & veniens Neptuno, talibus infit:
Laetus nunc fer opem Danais, Neptune, parumper
Et ſaltem feſſis laudem praebere decuſque
Ne dubita: ignarus rerum, victuſque ſopore
Dum jacet, ille mea domitus vi, & conjugis arte,

v. 360.

Ju-

Jupiter. Haec Somnus: longe dehinc avolat ipſe,
Et claros hominum coetus, urbeſque reviſit:
Acrius arſerunt Neptuni at corda, juvaret
Quo Danaos. ergo primis ſe concitus infert
Ordinibus, magnaque hortatur voce morantes:
Argivi, an ſegnes patiemur ab Hectore vinci
Priamida, ut capiat puppes, pugnaeque reportet
Ut decus? hoc certe ſperatque, & jactat, ad altas
Quod ceſſat naves, corda ira incenſus, Achilles.
At, ſi erimus tamen auxilio nos mutua nobis,
Non erit invictum cur multum optemus Achillem.
Ergo agite, atque meis cuncti parete volentes
Conſiliis. clypeis praeſepti ingentibus, ictus
Qui validos perferre queant magis omnibus, aere
Et claro galeis tecti radiantibus, haſtas
Et manibus longo quatientes robore, eamus.
Dux ego praegrediar cunctos; nec tempore longo
Stare loco poterit, qui nunc furit, improbus Hector.
Quiſquis Marte bonus ſcutum at breve geſtat, habendum
Pejori tradat, tollat ſibi grandius ipſe.
Sic ait: hi dictis parent. ad praelia terni
Quos reges, aegrique, accepto & vulnere tardi,
Armabant, Laërtiades, & primus Atrides,
Inclytus & bello Tydides. quippe virorum
Hi ſeſe cuneis miſcentes, omnia obibant,
Armaque mutabant armis; melioribus iret
Septus uti melior, pejoraque pejor haberet.
Inde viri, ut corpus texerunt aere micanti,
Hoſtem alacres contra vadunt: praeit omnibus, ingens
Qui terram quaſſat, Neptunus; fulminis enſem
Et dextra ſimilem geſtat, longumque, coruſcis
Horrendum & radiis; quem triſti attingere nunquam

v. 386.

Fas

Fas quenquam in pugna; ſubitus perculſa videntum
Terror habet ſed corda virûm, longeque coërcet.
Parte alia Troum diſponit rite maniplos,
Atque animos juvenum pugnae aptat Martius Hector.
Sic ambo infeſtis durum certamen in armis
Contulerant, Hector, pater & Neptunus, Achivam
Hic, Phrygiam hic contra certus defendere pubem.
Interea terram fluctu mare proluit ipſas
Ad naves, Danaûm denſa & tentoria; vaſtus
It caelo clamor confertim in bella ruentum.
Nec tanto ad terram fremitu ruit unda, furentis
Ex alto Boreae pellunt quam flabra; nec ignis,
Aërio in ſaltu ſilvam qui concitus amplam
Corripuit, laxiſque intro ſe immiſit habenis;
Nec validas inter frondoſo vertice quercus
Dira ſonat reboans immani murmure ventus;
Quantus erat Danaûm fremitus Troumque, viciſſim
Hortantum ſeſe, veſano & Marte furentum.
Primus ibi Ajacem in magnum ferus Hector adegit
Telum ingens recta; frontem ut converterat illuc;
Nec ferrum abluſit quoquam, ſed pertulit ictum
Adveniens, duplex qua ſupra ingentia balteus
Pectora tendebat ſeſe, clypeum alter, at alter
Argenti clarum bullis religaret ut enſem.
Hi ferrum tenuere, viro ne membra ſubiret
Mollia. Priamides immani turbidus ira
Ingemuit, dextra quod fugerat irrita cuſpis;
Et, mortem vitans, ſocium cedebat in agmen:
Ingens cedentem ſaxo Telamonius Ajax
Ingenti; (nam multa, citas religare carinas
Queis ſoliti, ante pedes pugnantum ſparſa jacebant)
Horum unum attollitque manu, clypeique rotundum

v. 412.

Su-

Supra orbem, colli prope finem, turbinis inſtar,
Contorſit magno in pectus ſtridore per auras.
Qualis ubi rapido Jovis igni procidit ingens
Ad terram quercus radicitus exturbata,
Sulfuris ac tetrum late diffundit odorem;
Tum, ſi quis vidit propior, micat ima pavore
Corda tremens (magni dirum Jovis, & grave fulgur):
Sic proſtrata ſolo vis concidit Hectoris: haſtam
Abjecit, clypeuſque ingenti eſt mole ſecutus,
Et galea: arma ſonum dederunt circum aerea. laeti
Accurrunt vaſto Danai clamore, jacentem
Spes & erat trahere ad ſeſe; tum ſpicula denſi
Multa manu intorquent, nequidquam: figere nemo
Eminus evaluit, vel cominus. undique regem
Nam circumfuſi, procerum flos, prima virorum,
Aeneaſque, & Polydamas, & dius Agenor,
Et Lyciûm ductor Sarpedon, Glaucus & acer:
Nec ſociûm e numero quiſquam neglexit, & omnes
Protexere virum, clypeoſque ad tela ſiniſtris
Objecere hoſti. medio e certamine pugnae
Sublatum donec fidi avexere ſodales,
Atque manus inter tulerunt, ſemotus ab armis
Totam ubi poſt aciem currus auriga tenebat,
Alipedes & equos. hi regem ad nota ferebant
Moenia, torpentemque artus, aegroque cientem
Ore graves tractim gemitus. dehinc, pulchra fluentem
Vorticibus rapidis ad Xantum, cui genus alto
Ab Jove, cum venere, citi curruque ſuperbo
Depoſitum ſtravere ſolo, laticeſque jacenti
Affudere: auram paullum ſibi redditus ille
Dulcem hauſit, caelumque oculis ſuſpexit apertis;
Inde genu flexo nitens craſſum ore cruorem

v. 437.

Evo-

Evomuit, rurſuſque ad terram in terga ſupinus
Defluxit; nigraque oculos caligine texit
Nox iterum. nam plaga ingens mentemque domabat
Perculſam, nec ſueta aptos ad munia nervos.
At Danai, poſtquam viderunt Hectora longe
Avectum, Troaſque urgent, ac praelia miſcent.
Primus Oilides celer Ajax perculit haſta
Satnion Enopiden procurrens, optima Nais
Quem tibi quondam, Enops, paſcenti armenta creavit,
Nympha viro, pulchri prope flumina Satnioëntis.
Cominus huic, Ajax defixit in ilia ferrum.
Labitur ad terram reſupino corpore; circum
Orta gravi eſt Danaûm ac Troum certamine pugna.
Ocyus huic, valido quaſſans immane lacerto
Telum, Polydamas, Panthei genus, advolat ultor,
Atque humerum ferit in dextrum Prothoënora, diam
Fortis Areïlyci prolem: gravis haſta cruentum
Trans abiit propulſa humerum: pronus cadit ille,
Sternitur & paſſis immundo in pulvere palmis.
Polydamas laeto haec tum fudit pectore dicta:
Ni me oculi fallunt, validam non irrita fugit
Panthoidae haſta manum, excepit ſed corpore miſſam
Grajûm aliquis; poſſit certe veſtigia firmans
Qua niti, obſcuri ſedes dum pergit ad Orci.
Sic ait: Argivis mentem dolor, imaque fodit
Corda; ſed ante alios magno Telamone creatum
Impulit Ajacem, juxta quem ſaucius heros
Planxit humum: citus ergo, refert veſtigia in agmen
Dum ſocium, aerata praefulgens cuſpide telum
Cedenti adjecit jaculans: praevidit at ictum,
Obliquanſque viam ſe morte abduxit ab atra
Polydamas; telum Archilochus fatale recepit

v. 464.

Im-

Immemor. hunc placitum dîs eſt demittere morti.
Summa etenim capiti qua cervix nectitur imo,
Haſta ſubit, nervumque ſecans praecidit utrumque.
Procidit, atque ſolùm tangit prius ore, ſolutis
Quam genibus. contra tum ſic Telamonius Ajax
Inclamans, fortem compellat Polydamanta.

Polydama, perpende animo, verumque fatere:
Iſtene vir dignus, caeſum Prothoënora caeſus
Qui penſet? certe mihi nec malus eſſe videtur
Ipſe, malo natus nec ſemine; Marte ſuperbi
Filius at, fraterve Antenoris: huic reor eſſe
Nam ſimilem facie, atque humeris, & corpore toto.

Sic ait, ille virum noſcens: praecordia Teucris
Ima dolor ſubiit, morſu & perfodit acuto.
Boeotum heic Achamas Promachum longa ferit haſta,
Fertque citus fratri auxilium; quem ſcilicet ille
Arreptum pedibus, cupiens ſpoliare, trahebat.
Tum ſuper haec magno gaudens clamore profatur:

Graji, turba ferox levibus pugnare ſagittis,
Et vanas jactare minas aſſueta ſine ullo
Fine, labor certe non ſolis, multus & uſque
Moeror erit nobis: etiam vos triſtia tandem
Fata prement; etiam vobis alterna viciſſim
Funera. jam Promachus (mentes advertite) longo eſt
Compoſitus ſomno, mea quem vi perculit haſta,
Ne mihi dilatam frater moereret inultus
Ob poenam. in patriis fratrem hoc ſibi quiſque relinqui
Aedibus exoptat, caedem qui caede rependat,
Ultor & inferias fratri pius immolet hoſtem.

Haec ait: Argivi dictis doluere ſuperbis.
Peneleo mens ante alios incenſa furore.
Ergo ruit contra: venientem, ac dira frementem

Stare Achamas coram haud auſus, regiſque manere
Penelei telum. qui protinus Ilionea
Dejecit leto cretum Phorbante beato;
Ante omnes unum Troas quem dexter amavit
Majugena, & cenſu, lucriſque ingentibus auxit.
Huic unum conjux partu edidit Ilionea:
Haſta ſupercilium cui tum gravis acta ſub ipſum,
Ejecitque oculum penitus, nervumque recidit
Pervadens retro; paſſis at ſaucius ille
Sedit humi palmis. vagina diripit enſem
Peneleus, dextraque micantem extollit, acuto
Cervicem & mediam ferro ſecat. aerea caſſis,
Abſciſſumque ſolo jacuit caput: haſta cruento
Haerebat defixa oculo. caput ille, papaver
Ceu ſectum, dextraque attollit, clamat & altum
Vociferans: Troës, matremque, patremque jubete
Ilioneo luctus ordiri ac funera. laeto
Nec Promachi conjux Alegenoridae ad ſua vultu
Tecta virum excipiet reducem, poſt eruta bello
Pergama cum patrias Graji veniemus ad urbes.
Haec ille: at gelidus confeſtim in pectora Teucris
Inſinuat pavor: huc atque huc pallentia vertunt
Ora, fuga liceat duram ſi evadere cladem.
Dicite nunc, Muſae, celſi domus ardua Olympi
Quas habet, occiſo quis primus ab hoſte cruentas
Retulit exuvias, Neptuni ut numine flexit
Pugna vias, magno & Troum res verſa tumultu eſt.
Hyrtion ante omnes ſtravit Telamonius Ajax
Gyrtiaden, Myſae ductorem gentis; at acer
Antilochus Phalcenque & Mermeron exuit armis;
Meriones leto dedit Hippotiona, Morynque;
At Teucer Prothoona ſimul premit & Peripheten;

v. 515.

Tum

Tum deinde Atrides regali Hyperenora ſceptro
Inſignem longo percuſſit ad ilia telo,
Viſceraque & penitum diſcindens cuſpide acuta
Ventrem hauſit: qua nacta viam per vulnus in auras
Vita abiit tenues: oculis nox ingruit atra.
Plurima ſed Troum demiſit corpora morti
Magnanimo pernix Ajax prognatus Oileo,
Cui ſimilis nemo verſis inſtare ſequendo
Agminibus, poſtquam terrorem in corda virorum
Jupiter atque fugam altitonans immiſerat atram.

Digitized by Google

HOMERI ILIADOS

LIBER QUINTUSDECIMUS.

AT poſtquam Troës pulſi, verſo agmine, vallum
Sunt aegre ac foſſam tranſgreſſi, ac terga prementum
Sub manibus multi jacuerunt pulvere in atro:
Hi, vacuos juxta camporum in gramine currus,
Conſtiterunt paullum, tremefacti corda pavore,
Ora metu exſangues pallentia; vertice in Idae
Jupiter at ſomno Junonem propter inerti eſt
Excitus; inque ſolo viridi ſtetit, ac vigil ora
Vertit ad Argivos, Troaſque; hos & videt hoſti
Terga dare, hos caedi ſpoliiſque inſtare; ſimulque
Ire maris regem Neptunum. parte jacere
Aſt alia dium videt Hectora; fida, ſodales,
Pectora, quem circum turbata mente ſedebant.
Ille autem vix ore animam ducebat anhelo
Attonitus, ſenſuque expers, craſſumque cruorem
Ejectans: nec enim dextra perculſus inerti
Conciderat. pater hunc hominumque deûmque dolore
Haud tacito miſerans, Junonem torvus acerbo
Horrendum adſpexit vultu, dehinc talibus infit:
Arte tua abjectuſque Hector, Troëſque fugati,
Vafra dolos verſare, & fraudes nectere, Juno.
Quarum, credo equidem, fructus tu prima dolendos
Percipies flagris iterum conſciſſa cruentis.
Anne dies memori ex animo tibi fluxit, ab alto
Qua te ſuſpendi caelo, geminaſque revinctis
Incudes pedibus demiſi, atque aurea palmis,

v. 20.

Nul-

Nulla quae frangi vi quirent, vincula nectens
Implicui. vacuo pendebas aëre; divi
Toto indignantes turbabant plurima caelo;
Nec quibant circumfuſi te exſolvere vinclis.
Aſt ego, quem validis apprendere cunque furenti
Contigerat manibus, jaciebam limine Olympi
Praecipitem ex alto longum per inane, pavore
Semianimis donec telluris dura veniret
Ad ſola. nec tumidum poſt haec tamen omnia facta
Pectus adhuc fervens penitus mihi liquerat ira,
Alciden propter laeſum. quem ſcilicet, atras
Ipſa ciens contra Borea ſtridente procellas,
Mente mala vaſti miſſum per caerula ponti
Abſtuleras urbis Coae ſub moenia curſu
Excuſſum. pater at gnatum ſolvique, labores
Et paſſum duros, Argivae ad moenia gentis,
Atque domus patriae miſerans ad tecta reduxi.
Haec ſi forte animo exciderunt, meminiſſe recenti
Admonitu rurſus cogam; fraudumque, dolique
Ut pigeat, noſcas & tandem quid tibi lucri
Blanditiae, amplexuſque ferant, ſociumque cubile.

Jupiter haec: perculſa animum formidine Juno
Intremuitque artus, celeri & ſic voce locuta eſt.

Eſto nunc teſtis mihi tellus, atque ſuperne
Ingens quod partes caelum ſe tendit in omnes;
Atque, deis qua nil jurari eſt ſanctius, alta
Labens ſub terra nigrae Stygis unda; tuumque,
Sancte, caput; noſterque, auſim quem fallere mendax
Haud unquam, thalamus: qui nunc Neptunus Achivos
Allevat auxilio, magna & premit Hectora clade,
Dardaniam & pūbem, non ſuaſu ad praelia venit
Ille meo, ſed ſponte ſua, miſeratus ad ipſas

v. 43.

Ar-

Argivos naves tot rerum dura ferentes.
Ipſi ego quin fuerim, ſi me nunc audiat, auctor,
Ire, voces quacunque, animo & parere volente
Imperiis rex magne tuis, qui nubila cogis
Altitonans, nigraque tegis caligine caelum.
Sic Dea: ſic hominum contra divûmque creator
Subridens placido reſpondit Jupiter ore:
O Juno veneranda, deûm ſi tu mihi coetu
In magno aſſideas concors, noſtrique viciſſim
Conveniant ſenſus; nae, quem nunc dira cupido
Fert alio, mentem Neptunus vertat, utrique
Et noſtrûm adjungat ſeſe facilisque volenſque.
Verum age, quae dixti, vera ſi mente locuta es,
Ocyus i ſuperûm ad ſedes, celereſque jubeto
Huc veniant Iriſque, arcuque inſignis Apollo:
Iris ad Argivas ferat ut ſe nuncia puppes,
Neptunum & regem triſtique excedere pugna
Actutum, atque ſuas jubeat ſe condere in aedes;
Phoebus at ad pugnam rurſum excitet Hectora, vimque
Inſpiret praeſens validam, ſaevoſque dolores,
Preſſa domant qui corda viro, depellat; Achivos
Terreat ut rediens, enervi & vertere cogat
Terga fugae, donec trepidum formidine vulgus
Ipſas Pelidae in puppes incurrat Achillei.
Ille ſuum exhortans in praelia dura ciebit
Patroclum; hunc urbis non longe a moenibus Hector
Congreſſus leto ſternet, tumidumque virorum
Multa caede, meo clarum & Sarpedone vita
Exuto. iratus Patroclum propter Achilles
Hectora tum nigras Orci demittet ad umbras.
Ex illo Argivis a puppibus uſque repulſos
Troas terga fugae cogam dare verſa, Minervae

v. 70.

Con-

Conſiliis, Grajûmque manu dum concidat alta
Ilios. ante modum ſtatuam nec mitior ipſe
Irarum, patiar nec divûm accedere quenquam
Auxilio Danais, magni quam dius Achilles
Attigerit finem voti, perfectaque cernat,
Quae ſum pollicitus, moto & quae vertice nutu
Ingenti jurans firmavi, qua Dea luce
Genua mihi ſupplex Thetis eſt amplexa, rogavit
Ornarem & fortem ut, Danais infeſtus, Achillem.
Jupiter haec. dictis paret dea; liquit & Idam,
Atque deûm celſas abiit ſublimis in aedes.
Ut cum ſaepe viri mens pervolat incita, magnos
Terrae qui tractus luſtravit, multaque ſecum
Corde putans memori verſat: locus hic prius, ille
Dehinc alius, tum deinde alius mihi tactus eunti eſt:
Sic celeri magnum niſu per inane, ſupremum
Se tulit aërii tunc Juno ad culmen Olympi;
Inque domum venit celſam Jovis, atque deorum
Obtulit adveniens coetu ſe diva. frequentes
Caelicolae aſſurgunt venienti, ac pocula praebent
Plena manu affuſi certatim. negligit omnes
Illa alios: quam pulchra Themis praebebat, amice
Accepit pateram. prae cunctis nam Themis olli
Obvia ſe celeri greſſu tulit; atque ita, magnam
Diva deam trepida compellans voce, locuta eſt:
Adventus ſubiti quaenam tibi cauſſa? videris
Cur perculſa metu, Juno? conterruit an te
Conjux immani Saturnius, ut ſolet, ira?
Cui Juno graviter ſuſpirans: O Themi, parce
Iſta rogare. mei quam ſaevus, quamque ſuperbus
Conjugis eſt animus, noſti ſatis ipſa ſuperque.
Verum age, nunc epulis tu curam impende regendis

v. 95.

Aequa domo in ſuperûm : cunctos audire licebit
Mox inter divos, quae rerum horrenda minetur
Efferus; haud quiſquam poſſit quae audire, nec angi,
Mortaliſve, deuſve, licet ſolemnia laetus
Mente hilari plenis agitet convivia menſis.
Sic ait; auratoque locavit membra ſedili.
Omnes perculſo moerebant pectore : ſummis
Illa tenus riſit, non laeta fronte, labellis;
Atque irata deis haec moeſto corde profatur :
Vecordes, ſtolidique, labos exercet inanis
Quos fruſtra, iratoſque Jovi, cupidoſque parantem
Quae lubet, aut verbis, aut vi cohibere. movetur
Ille nihil, longeque ſedens nos, noſtraque ſpernit
Orſa : deos dicit nam ſeſe morte carentes
Antiſtare animis, invicto & robore cunctos.
Ergo, dabit cuivis quam partem cunque malorum,
Aequo ferte animo. Marti ſua noxa dolorque
Jam, reor, obvenit; pugna cui dulcis in acri
Aſcalaphus leto domitus jacet; ille, virorum
Nemo unus Marti eſt quo carior; ille, fatetur
Eſſe ſuo natum fortis quem ſanguine Mavors.
Dixerat : iratus femur at percuſſit utrumque
Pronis Mars palmis, gemituque haec addidit alto:
Ocyus, o ſuperi, nec ſit grave, turbidus altas
Hinc feror ad naves Danaûm. ſtat qualibet illic
Ulciſci gnati mortem : nec fulmine ſtratus
Ipſe Jovis, fuerit mihi ſi fatale, recuſo,
Inter purpureo manantes ſanguine rivos,
Pulvere in immundo, mediaque in caede jacere.
Haec effatus, equos curru ſubjungere juſſit
Terroremque, Metumque; armis fulgentibus ipſe
Interea ſeſe cingens in bella parabat.

v. 120.

Heic ſuperis multo gravior majorque coorta
Ab Jove confeſtim ſummo foret iraque , & atrox
Flamma odii ; metuens cunctis at ſede Minerva
Exſurgens ſubito e celſa , primum evolat extra
Veſtibulum ; atque dei galeam de vertice ahenam ,
Deque humeris clypeum detraxit ; cuſpide & haſtam
Aerata dextraeque extorſit , limen ad altum
Sepoſitam & ſtatuit ; verbiſque ita fatur acerbis :
O veſane , excors , male perdite , num tibi fruſtra
Sunt aures ? periitne omnis tibi menſque , pudorque ?
Non audis , narrat quae Juno candida , ab ipſo
Illa recens digreſſa Jove ? eheu triſtia , frater ,
Tuque prior vis multa pati , ac remeare coactus
Vi dura caeli ad ſedes ; & grandia nobis
Ferre mala , atque omnes ingenti perdere clade .
Confeſtim Danaos linquet Troaſque ſuperbos
Nam pater , ac veniet nobis iratus ; Olympo
Et dabit ingentes turbas , ſonteſque furore
Percitus , inſonteſque una raptabit . ademptum
Ob gnatum iraſci nunc ergo deſine . multi
Longe illo manibus meliores vique , vel ante
Sunt caeſi , vel poſt caedentur ; nec queat omne
Eximere humanum morti genus ulla poteſtas .
Haec ait ; ac Martem conſueta in ſede locavit .
Interea Juno tectis Phoebum evocat altis ,
Atque Irin , ſuperûm quae fert mandata per auras ;
Compellanſque ambo celeri ſic ore profatur :
Ad ſeſe in Phrygiam vos Jupiter ocyus Idam
Ire jubet , coramque audire , ac diſcere , mandet
Quid fieri . celerate viam , ac parete jubenti .
Haec ait ante fores : intro dehinc Juno reverſa ,
Aurato ſedit ſolio . feſtinus Apollo ,

Homer. v. 150.

Atque Iris celeri lapſu venere ferarum
Ad matrem, crebris manantem fontibus Idam.
Caelicolum hic nacti ſunt regem in Gargaro alto
Solum ſupremo reſidentem in vertice: cui ſe
Circum ſuaveolens fundebat candida nubes.
Huic ambo ſiſtunt ſeſe. quos mitis amico
Excepit vultu ſedata Jupiter ira:
Paruerant celeres nam juſſis, regia Juno
Quae tulit. affatur prius almam his vocibus Irin.
 Iri, agedum, celeri lapſu hinc i nuncia regi
Neptuno, & verax, quae mando, haec ipſa referto.
Actutum, triſti bello pugnaque relicta,
Aut abeat ſuperûm ad coetus, aut ſub vada ponti.
Sin dictis parere negat, ſpernitque jubentem;
Quantumvis fortis, videat ne forte manere,
Si veniam, nequeat me contra; viribus illum
Qui vinco, & major ſum natu, ſit licet audax
Ille, parem & ſtulte ſeſe mihi jactitet, horrent
Omnes quem pavido tremefacti pectore divi.
 Jupiter haec: Iris paret; ventiſque vocatis,
Vertice ab Idaeo Trojanas tendit ad arces.
Ut quondam volitans aut nix, aut frigida grando
Raptim nubifugi Boreae vi concita fertur:
Sic medias fugit raptim levis illa per auras;
Neptunoque adſtans regi, ſic farier infit.
 Ô terras complexe omnes, o crine decore
Caeruleo Neptune, Jovis tibi nuncia miſſu
Advenio, dictura, jubet quae dicier ipſe.
Actutum, triſti bello pugnaque relicta,
I ſuperum longe ad coetus, aut ſub vada ponti.
Sin dictis parere negas, ſpernisque jubentem;
Huc ſe venturum dicit. verum admonet ante

v. 180.

Ut

Ut vites conferre manum. nam viribus ille
Te vincit longe, natuque eſt grandior, etſi
Eſſe parem jactas tu te illi ſcilicet, horrent
Omnes quem pavido tremefacti pectore divi.
  Indignans gemitu Neptunus talia reddit:
Nam quid ait? tantumne animis tumet ille ſuperbis,
Cogat ut invitum, ſibi, quanquam fortis, honore
Quem tamen eſſe parem novit? tres nam ſumus orti
Saturno fratres, Rhea quos veneranda creavit.
Ille, & ego, triſtes & Pluto qui regit umbras:
Tres rerum & ſummam in partes diviſimus omnem.
Cuique ſua obvenit pars aequa ſorte; profundi
Regna mihi pelagi, Plutoni horrenda ſub imis
Caligo terris, caeli domus aethere in alto
Ampla Jovi. tellus, tractuſque ingentis Olympi
Nunc quoque communes poſt tempora longa ſuperſunt.
Ergo Jovi nil eſt cur vivam obnoxius: aequus
Me ſinat; atque habeat placide, quae tertia ceſſit
Tunc, ſibi regnorum partem: nec robore quanquam
Magno eſt, ignavum veluti, me territet ille;
Sed natos dictis nataſque minacibus ultro
Inceſſat potius, genuit quos ipſe, jubentem
Queis audire patrem, dicto & parere neceſſe eſt.
  Talia Neptunus; contra Iris talia: mene
Iſtaec dura jubes, Neptune, atque aſpera fatu
Ferre Jovi reſponſa? an, verſo pectore, mutas
Dictum aliquod? flecti non raro verſa bonorum
Corda ſolent; noſti &, natu majoribus adſtent
Ut Dirae, ac vocem faciles nutumque ſequantur.
  Tum ſic caerulei rector maris: O dea, dicis
Vera iſtaec; bene habet res & ſe, mente ſagaci,
Quid deceat quid non, cernit cum nuncius: atro

Sed mihi ſelle dolor ſubit in praecordia, natum
Sorte pari ac fato, verbis cum ſaevus acerbis
Increpat, imperitans aequali. at, percita quamvis
Fervent corda furore, placet nunc cedere fratri
Sponte mea. dicam aſt aliud, veraxque minabor
Ex animo: ſi forte, invitis meque, Minerva
Et celeri, forti & Vulcano, Mercurioque,
Junone & magna, ſoluſque pepercerit urbi
Pergameae, vaſtare volet nec moenia bello,
Argivaeque decus meritum concedere genti;
Triſte ſibi a nobis odiumque iramque paratam
Aeternum ſciat eſſe. Haec fatus liquit Achaeam
Ultro aciem, atque mari genitor ſe condidit alto:
Abſentem optabant moerenti pectore Graji.
His Phoebum affari dictis tum Jupiter orſus:
Dulcis Phoebe, adeas mando nunc Hectora bello
Egregium. ponti Neptunus ceſſit in alti
Jam vada, formidans alto me corda furore
Flagrantem; quod ni ceſſiſſet ſponte, fragorem
Ipſi etiam audiſſent pugnae, quoſcunque ſub Orco
Ima deos circa Saturnum terra coërcet.
Verum hoc ambobus multo eſt optatius, illi,
Atque mihi, pugnam vitans, iramque manuſque
Ipſe meas metuens longe quod ceſſit ab armis.
Nam ſudore foret perfectum non ſine multo
Certamen. Nunc, quod ſupereſt, age, nate, coruſcis
Horrendam villis cape turbidus aegida, & uſque
Concutiens, Grajas imple terrore phalanges.
Idem tu clari, arcitenens, mihi ſuſcipe curam
Hectoris, atque viro validum per membra vigorem
Adſpira, ingenteſque animos, dum, Graja carinas
Venerit ad curvas fugiens ac litora pubes.

v. 233.

Tum

Digitized by Google

Tum ſtatuam quod opus; rurſum ut recreata vigeſcat
Gens, defeſſa malis, & duro fracta labore.
Jupiter haec: patri non ſegnis paret Apollo.
Continuo ex altis mittit ſe montibus Idae,
Accipitri ſimilis rapido, per inane columbas
Qui ſequitur, vincitque alis genus omne volantum.
Ut venit, fortis Priami prolem, Hectora dium,
Jam non membra ſolo ſtratum, velut ante; ſedentem
Corpore ſed flexo invenit: nanque, excitus alto
Ceu ſomno, ſocios agnorat: anhelitus imum
Aeger nec pectus quaſſabat, frigidus ibat
Nec ſudor: Jovis auxilio ſibi redditus heros
At fuerat. pulchro quem juxta conſtitit arcu
Inſignis Phoebus, fuditque has pectore voces:
Hector Priamide, longe ſemotus ab armis
Cur langues? mentem ſubiit quaenam anxia cura?
Aegre animam ducens cui talia reddidit Hector:
Quis coram ſcitare iſtaec, divûm optime? necdum
Audiſti naves propter bello acer Achaeas
Ut me Ajax, olli ſocios dum perdere leto
Non ceſſo, immani ſaxo male perculit ipſum
In pectus, pugnaque exegit, robur & omne
Solvit: ego hac certe manes me luce putavi,
Atque domos Orci viſurum, pectore dulcem
Jam jam animam exhalans. Haec Martius Hector: Apollo
Haec contra: Nunc fide animo; talem tibi magnus
Jupiter ex alta ſubmiſit providus Ida
Cuſtodem comitemque, aurato bella gerentem
Phoebum enſe; exitium tibi qui fatale nec ante
Ceſſavi prohibere ipſi, nec moenibus urbis.
Verum age, nunc denſos equites ad litora, curvas
Et puppes hortare, leves impellere currus:

v. 259.

Aſt ego praegrediens bijugiſque volantibus omnem
Ante viam ſternam, diro & terrore fugaque
Turbabo attonitis perculſum pectus Achivis.
 Sic ait; ac ſubitum afflavit per membra vigorem.
Ac velut in plenis praeſepibus hordea paſtus
Ille diu ſonipes, rupit ſi vincla, virentum
Planitiem & fugiens camporum eſt nactus apertam;
Inſultatque ſolo, celſum & caput arrigit alte
Luxurians, luduntque jubae per colla, nitentes
Perque armos; volat ante levis Zephyrumque Notumque
Arva ſecans; & nota petit vel paſcua equarum,
Vel fluvium, adſuetus vitreas innare per undas:
Genua pedeſque levis rapido ſic incitus Hector
Jactabat curſu, exhortans ad praelia turmas,
Ut dulci divina ſono vox impulit aures.
Cornigero veluti ſublimem vertice duri
Agricolae in cervum, fida ſtipante canum vi,
Aut capream, curſu, vaſto & clamore feruntur.
Ille quidem rupeſve inter virgultave denſa
Abditus occultat ſeſe: verum excitus acri
Interea fremitu ſilva leo prodit ab alta,
Atque viam horrendus mediam tenet: haud mora cuncti
Perculſis cecidere animis; tremefactaque greſſum
Turba refert: gelida pallent formidine vultus:
Sic Danai Teucros urgebant agmine denſo,
Ancipiti & ferro caedebant, enſibus, haſtis
Et rigidis: magnum ſubito at videre maniplis
Hectora ut in mediis, turbato pectore cuncti
Intremuere; omnis excuſſa eſt pectore virtus.
 Hos inter, proles Andraemonis inclyta, coepit
Corde Thoas fari haec perculſo, maximus ille
Aetolos inter bellator, telaque doctus

v. 282.

Miſ-

Miſſa manu torquere, manum & conferre; diſerto
Ore idem cedens paucis, contendere verbis
Si quando in coetu pubes coepiſſet Achivûm.
Hic Grajis eſt in mediis ita farier orſus:
 Pro ſuperi! quale hoc percellit lumina monſtrum!
Qua, fatum eluctans, vitae ſe Martius Hector
Reſtituit rurſus? quem ſpes erat omnibus una
Sub Telamoniadae manibus cecidiſſe cruento
Perdomitum leto. Grajis male numen amicum
Nempe aliquod mortiſque virum de faucibus atrae
Exemit, ſervatque; neci qui ſaevus Achivos
Ante dabat, dabit atque iterum: nec enim ſine magno
Ille Jove exſultatque in primis, & furit acer
Ut nemo. Haec propter, mentes advertite, dicam
Quid ſit opus: dictis nemo at parere recuſet.
Hortemur vulgus procul hinc ſecedere celſas
Ad puppes: ipſi ante alios, qui dicimur eſſe
Egregii bello, ſtemus; ſi forte ruentem
Occurſu primi valido cohibere queamus
Arrectis adverſi haſtis; nec, fortis & acer
Sit licet, audebit Danaûm ſe immittere turbae.
 Haec ait: at Graji parent, ac dicta capeſſunt.
Continuo magnuſque Ajax, rectorque virorum
Idomeneus, Teucerque, Megeſque, atque inclytus armis
Meriones, ipſo bellantum flore coacto,
Inſtruxere aciem adverſi, pugnaeque parant ſe:
Turba retro interea ad naves, ut juſſa, redibat.
 Incurrunt primi Troës denſo agmine, greſſu
Quos Hector magno torvus praeit. altus Apollo
Ante virum graditur, niveos circumdatus atra
Nube humeros, ſaevuſque manu praeportat utraque
Aegida terrificam, villis horrentibus hirtam

v. 309.

Hinc

Hinc atque hinc, late fulgentem; Mulciber olim
Quam fecit, donumque Jovi dedit ipſe, virorum
Terreret pavidas diro ut geſtamine mentes.
Hanc geſtans manibus, Troas ducebat Apollo.
Quos Argiva phalanx adverſa fronte ruentes
Suſtinet. it caelo ſublatus clamor utrinque
Ingens; tela volant nervis propulſa, frequentes
Bellantum e manibus magno ſtridore feruntur
Uſque haſtae; ac juvenum florenti corpore ſeſe
Pars condit, pars magna ſolo defixa, priuſquam
Adverſum poſſet veniens attingere corpus,
In medio ſtabat, cupiens haurire cruorem.
Immotam donec geſtavit Phoebus Apollo
Aegida, tela pari certamine miſſa volabant
Hinc atque hinc, pubes & leto ſtrata cadebat:
Ille ſed Argivum poſtquam converſus ad agmen
Aegida terrificam concuſſit, voce ruentes
Et contra horrenda increpuit; vim protinus omnem
Infregit, mentes enervans: excidit omne
Continuo robur, dextraeque ad fortia torpent.
Ut geminae deprenſa boumve armenta, gregemve
Magnum ovium quandoque ferae, dum caeca ſilet nox,
Incurſu turbant ſubito; procul inſcius inde
Paſtor abeſt: Danai magno ſic verſa tumultu
Terga dabant pavidi, enerves; foedam altus Apollo
Nanque fugam injecit miſeris; magnumque ſecundus
Priamidae ſaevo ac Teucris indulſit honorem.

Tum vir quiſque virum legit, quem mitteret Orco,
Ut rara eſt laxis acies disjecta maniplis.
Hector dat leto Stichiumque ac Arceſilaum,
Boeotae hunc gentis ductorem, fortis at illum
Ante alios fidum comitem per bella Meneſthei.

v. 331.

Ae-

Aeneas telo premit Iaſon, atque Medonta
Ajacis fratrem, atque notham praeſtantis Oilei
Progeniem. hic celſam patria procul urbe colebat
Extorris Phylacen; irata mente, novercae
Confodit ferro quod fratrem Eriopidos, acer
Regali thalamo ſibi quam ſociarat Oileus:
Iaſus at, claro natus de ſanguine Spheli
Bucolidae, Actaeam pubem ductabat in arma.
Polydamas fortem fortis Meciſtea mactat;
Priamides Echium prima inter tela Polites;
At Clonium eximius morti demittit Agenor;
Deïocho in primis fugienti, pone ſagittam
Infra humerum dorſo fixit Paris, egit & alte
Horrendum ſtridens aerata cuſpide telum.
  Interea, caeſos illi fulgentibus armis
Dum ſpoliant, curſu vallum foſſamque petebant
Praecipites trepido Graji, muroque ſubibant.
Hector at, inclamans altum, jubet ire carinas
Ocyus ad celſas, praeda ſpoliiſque relictis.
  Nam procul Argivis a puppibus ire virum quem
Si videam, ipſe manu confoſſum protinus Orco
Demittam: nec erit, fratres caraeque ſorores
Exſtincto ut funus curent; ſed foeda jacebit
Eſca lacer canibus patriae ſub moenibus urbis.
  Sic ait; ac bijugos, contingens terga flagello,
Egit equos, rapidoque volans obit omnia curru,
Hortaturque viros. regem clamore ſecuti
Horriſono, increpitant rapidos urgentque jugales,
Quiſque ſuos. gradiens prae cunctis Phoebus Apollo
Labra celer foſſae nullo ſubverſa labore
Proruit, in medium devolvens; ſtravit eunti
Et turmae longamque viam latamque, volantis

Homer. v. 362.

Quam longe teli jactus pertingit, adegit
Quod vir, firma ſuae tentat dum robora dextrae.
Hac ſe confertim denſi infudere; praeibat
Attollens ſacram deus aegida, ſeptaque muri
Sternebat; puer aequoream ceu parvus arenam.
Qui ſibi ludicrum ſtudio cum ſtruxit inani,
Ludo rurſus idem manibus pedibuſque ſolutum
Disjicit. ingentem Grajae curam atque laborem
Sic gentis tu, Phoebe, levi ſimul omnia miſcens
Impulſu, ad terram fudiſti; pectus & idem
Compleſti attonitum Danais terrore fugaque.
Sic illi, ad naves compulſi, litore in arcto
Conſtiterant ſeſe hortantes, dîſque omnibus alto
Cum gemitu ac votis tendebant lumina, & ambas
Suppliciter palmas. Neſtor queis talia princeps
In mediis fudit moerenti corde, ſupinas
Ille manus tollens caeli ad ſtellantia templa:
Jupiter omnipotens, Argiva ſiquis in urbe,
Taurorumve oviumve imponens pinguia flammis
Viſcera, pro reditu dulci eſt tua magna precatus
Numina; tuque pias non averſatus amica es
Aure preces; mentem ſubeant nunc omnia; cladem
Nunc, pater, horrendam feſſis averte, nec omnes
Heic finito Grajos Phrygio ſub Marte domari.
Talibus oravit Nelides: verba precantis
Audiit, ac tonitru caelum concuſſit ab Ida
Jupiter altiſono. pubes Trojana ſecundo
Freta Jove, incurritque audax, atque acrior inſtat
Ingens ut vaſti fluctus maris, alta carinae
Septa ſupergreditur, venti cum ſaeva tumentem
Ex alto impellunt veſano turbine flabra;
Sic Troës muro ſeſe infudere patenti,
v. 384.
Cur-

Curribus & magno immiſſis clamore, cruentam
Protinus invadunt pugnam. ſtant curribus altis
Hi rigidas dextra quatientes cominus haſtas;
Puppibus in celſis ſtat contra obnixa juventus
Grajugenum, longos, quorum ingens copia, contos
Tela manu geſtans navalia, robore duro
Firma, aciem inducto ſummam fulgentia ferro.

Patroclus, curvis dum longe a navibus acres
Praelia miſcebant Danai Troëſque, ſoluto
Eurypyli reſidens intra tentoria manſit
Uſque animo; atque aegrum vario ſermone levabat,
Inſpergens miti vulnus medicamine, duros
Paeonia relevans & ſedulus arte dolores.
Verum ubi tranſgreſſos muri ſepta ardua Troas
Senſit, & exortus fugientum eſt clamor Achivûm;
Ingentemque dedit gemitum, percuſſit utrumque
Et pronis ululans manibus femur; inde, jacentem
Ad ſocium verſus, dedit has de pectore voces.

Eurypyle, indigeas licet aeger me, tibi adeſſe
Amplius haud equidem poſſum. nam dura coorta
Pugna eſt. heic adſtans famulus te curet amice,
Soleturque: adeo Peliden ocyus ipſe,
Regem hortans ſi forte queam propellere in arma.
Forſitan admonitu, ſi quis Deus adjuvet orſus,
Ille meo tandem victus flectetur. amici
Nam ſaepe admonitu flectuntur corda bonorum.

Haec ubi ſic fatus, celeri pede concitus ibat.
Interea Graji conſtanti pectore ſtabant
Adverſi Teucris, multi nec pellere paucos
Navibus a celſis quibant; Trojana juventus
Grajugenum objectas quibat nec denſa phalanges
Rumpere, & in medias tandem ſe immittere puppes.

Navale ut lignum recto cum limite norma
Dirigit in manibus fabri, quem numine multo
Afflavit, docuitque artes Tritonia Pallas:
Horum pugna aequo ſic ſe tendebat utrinque
Limite, nec partem vergens flectebat in ullam.
Pugnabant alias alii certamine magno
Ad naves; clarum contra proceſſerat Hector
Ajacem. his ingens ortus labor unius ergo
Puppis erat; nec Priamides Telamone creatum
Exigere, atque cavis ignes inferre carinis;
Nec Telamoniades quibat depellere ſaevum
Priamiden, deus ipſe virum poſtquam appulit illuc.
Tum, Clytii genus acre, Caletora maximus Ajax,
Ignem infert puppi dum turbidus, occupat haſta
Tranſadigens pectus; magno ruit ille fragore
Ad terram: excuſſus longe dextra excidit ignis.
Hector, ubi carum vidit ſibi morte propinquum
Proſtratum ante oculos jacuiſſe in pulvere, nigra
Haud procul a puppi, magno clamore ſuorum
Inceditque animos hortans, ac talia fatur:
O Troës, Lyciique, & pubes Dardana, bello
Clari omnes, ſpatio ne quis mihi ſegnis in arcto
Heic pugnet. Clytii gnato ſuccurrite, nudent
Ne ſtratum ad naves Danai fulgentibus armis.
Sic ait: atque ingens vibranti cuſpide telum
Ajacem in magnum torſit; nec figere pectus
Ille tamen potuit; vacuas petit haſta per auras
Ajacis famulum comitemque Lycophrona, pulſus
Olim qui patriis, patrata caede, Cytheris
Exſul magnanimi Telamonis tecta colebat.
Huic (prope nam regem ſtabat), rigido caput aere
Haſta volans laevam ſupra tranſverberat aurem.

v. 434.

Pro-

Pronus humum petiit, puppi dejectus ab alta,
Collapſique artus nervis jacuere ſolutis.
Horruit, affaturque his fratrem vocibus Ajax,
Carum Teucre caput, nobis bonus ecce ſodalis
Maſtorides leto domitus jacet; ille Cytheris
Qui pulſus, noſtraſque exſul ſuſceptus in aedes,
Carus erat nobis, aeque ac pater ipſe. peremit
Hunc Hector. Quo tela tibi letalia? quo nunc
Arcus, Teucre, abiit, tibi quem donavit Apollo?
Haec Ajax: juſſis paret citus ille; propinquus
Adſtitit & fratri, geſtans arcumque ſonantem,
Atque gravem telis pharetram: raptimque ſagittas
Impiger Iliacum celeres mittebat in agmen.
Ille ſatum forti Clitum Piſenore fixit,
Panthoidae ſocium praeclari Polydamantis,
Docta lora manu dum concutit, atque volantes
Pellit equos turbam in mediam, qua plurima ſervet
Pugna virûm, ſeque oſtentat, magno ille placere
Priamidae, & Teucris cupiens: ſed triſte repente
Exitium miſero ſuper ingruit, arcuit olli
Quod nemo e ſociis optanti; cuſpis in ipſam
Venit enim averſo cervicem, vulnus & aegros
Apportans gemitus: curru moribundus ab alto
Corruit; at bijugi retro ceſſere, ſonore
Quaſſantes bigam ingenti. quibus ocyus ipſe
Objecit ſe Polydamas, tenuitque furentum
Fraena manu: Aſtynoo Protiaonis inde regendos
Tradit, multa monens, ſeſe ut per bella ſequatur
Obſervans, vacuoque legens veſtigia curru:
Ipſe autem primis rurſum ſe immiſcuit armis.
Aſt aliud telum interea depromſit in ipſum
Hectora magnanimus Teucer, quod dira frementi

v. 459.

Dul-

Dulcem animam eripiens, pugnam ſedaſſet Achaeas
Ingentem ad naves, dempto duce: ſed Jovis alti
Haud latuit mentem, dium qui providus omni
Hectora ſervabat cura, Teucroque repente
Eximiam Telamoniadae laudem abſtulit ipſe.
Nanque arcu in valido nervum de more trahenti
Ad ſeſe, nervum quem multa torſerat arte
Bellator, ſubito rupit: detorta ſagitta
Eſt alio, atque ingens laeva procul excidit arcus.
Horruit; ac fratrem his compellat vocibus heros:
  Eheu! conſilium nobis deus, orſaque pugnae
Mente aliquis laeva praecidit, qui mihi & arcum
Excuſſit manibus validis, nervumque recentem
Rupit, ego quem primo hodie cum lumine ſolis
Aptavi cura ingenti, durare volantum
Poſſet ut impulſus telorum firmus ad omnes.
  Haec fratri Teucer: tum ſic Telamonius Ajax:
Quin tu igitur flexoſque arcus, volucreſque ſagittas,
Frater, mitte, tuis numen quando obſtitit orſis,
Et laudem invidit Danaïs; ſcutum indue forti
Nunc humero, ingentemque manu tolle impiger haſtam,
Et pugna in Teucros, turbamque hortare: carinas
Ne capiant ſaltem, quamvis victoribus eſſe
Contigerit, vacui cura ingentique labore.
Rumpe moras: ambo & pariter pugnemus in hoſtem.
  Sic ait: ille abiit celſa in tentoria, & arcum
Seponit, ſcutumque humeris ingentibus aptat
Quadruplex; capitique habilem flammaſque vomentem
Induitur galeam, ſummo cui vertice equinae
Horrendum ſetae nutabant: corripit haſtam
Inde manu validam, fulgentem cuſpide acuta;
Evolat & rapido curſu, fratrique revertens

v. 483.

Ad-

Adſtitit eximius gravibus bellator in armis .
  Aſt Hector , poſtquam Teucri tela irrita vidit ,
Sic Troas Lycioſque affatur voce ſuperba :
  O Troës , Lyciique , ac pubes Dardana , nunc o
Eſte viri , veſtramque alacres vim promite Grajas
Certatim ad puppes . vidi nanque irrita ab ipſo
Facta Jove , his oculis modo vidi , fortia primi
Tela viri . facilis noſci eſt mortalibus alti
Vis Jovis , aequus opem ſeu cum fert , ac decus auget ;
Sive aliquem premit iraſcens , atque abjicit idem :
Argivos ut nunc certe premit , ac bonus ultro
Nos juvat . o fortes , denſo nunc agmine , ad ipſas
Nunc puppes pugnate , viri . quod cominus ictus ,
Eminus aut ſiquis , fatalis venerit horae
Ad metas , leto domitus cadat ; ac erit hoſtem
Arcenti dulci à patria cecidiſſe decorum ;
Uxor & exſtincto incolumis , natique manebunt ,
Et domus , & patrii cenſus , Argiva paternas
Hinc longe ad ſedes fugiat ſi denique claſſis .
Talibus incendit vires ac pectora dictis .
  Parte alia hortari ſocios non deſinit Ajax :
Proh pudor ! Argivi , praeſtat vel dura ſubire
Fata ſemel , Grajam vel rem ſervare , ſupremam
Et cladem , diroſque ignes arcere carinis .
An , miſeri , ſpes eſt , naves ubi ceperit Hector ,
Poſſe domum pedibus trans caerula vaſta reverti ?
Hectora non Teucros omnes clamore cientem
Auditis , furit igne cavas qui exurere puppes ?
Non ciet ad choreas , at ſaeva in praelia pubem .
Nil melius nobis at quiſquam ſuaſerit , hoſti
Quam conferre manus , triſtique occurrere pugnae
Cominus . hoc certe praeſtat , ſemel ire ſub umbras ,

v. 511. Aut

Aut vitam pulſo dulcem ſervare periclo,
Quam longo implicitos angi ac tabeſcere bello
Paullatim, forteſque hoſti ſuccumbere inerti.
Sic fatus, pugnae cunctos incendit amore.
  Tum Schedium, prolem Perimedei, perculit Hector,
Clarum Phocaeae rectorem pubis, at Ajax
Laodamanta, ſatus magno qui Antenore, agebat
Bellator peditum florentes aere catervas.
Durum Polydamas Otum, quem frigida miſit
Cyllene, ſocium Phylidae, gentis Epeae
Ductorem, ferro adveniens mactavit acuto.
Huic ruit adverſus, fatum ut conſpexit amici,
Phylides: telum vitavit corpore flexo
Polydamas; Panthi gnatum nec paſſus Apollo eſt,
Dum primos inter pugnat, demittier Orco.
Ergo Meges medium Croeſmi tranſverberat haſta
Ingenti pectus; ſonitum dedit ille cruenta
Stratus humo: exſtinctoque Meges jam pulchra trahebat
Arma humeris; ſed tela Dolops tulit obvia contra
Lampetides, genuit quem maximus ille virorum
Laomedontiades, doctum bella omnia, Lampus.
Is tum Phylidae medium perſodit acuta
Scutum haſta adſiliens; at durus ſunera thorax
Aere cavo avertit. Phyleus hunc belliger alta
Ex Ephyra tulit olim a flumine Selleente;
Euphetes olli dederat quem regius hoſpes,
Ferre inter pugnas ſaevo tutamen ab hoſte.
Hic tum illi gnati florenti a corpore letum
Arcuit, ac Dolopis telum fatale repreſſit.
At contra Dolopi Phylides cuſpide acuta
Aeratae conum galeae percuſſit, equinam
Abſtulit & ferro criſtam, quae pulvere in atro

v. 538.

Ful-

Fulgens purpureo dejecta colore jacebat.
Huic, Dolopem contra dum pugnat, vincere ſperans
Poſſe virum, auxilio venit Menelaus, & haſtam
Quaſſans obliquus Dolopi ſtetit, & grave telum
Inque humerum tergo fixit, pectuſque per altum
Exegit: pronus moribundo corpore terram
Ille petit: lapſoque inſtant, fulgentiaque arma
Detrahere hi cupiunt humeris. at Martius Hector
Omnes ingenti fratres clamore vocabat
Increpitans, fortem ante alios, Hicetaonis alti
Egregiam prolem, Melanippum. paverat olim
Percota hic tauros in pingui, moenibus hoſtis
Donec erat longe a patriis: at, litus Achaea
Venit ubi ad Phrygium claſſis; rediitque paternas
Ad ſedes, Troaſque inter praeſtabat honore,
Par Priami & natis regalia tecta colebat.
  Hunc Hector primum increpitat, proprioque vocatum
Nomine ſic notis compellat vocibus ultro.
O, Melanippe, ergo lenti ceſſabimus? ergo
Nil movet heu cari caedes indigna propinqui?
Nondum etiam correpta vides ut fortia Graji
Arma legunt Dolopis? quin tu per tela per hoſtes
Me ſequere. haud ultra tutis licet eminus hoſtem
Miſſilibus contra pugnare, at cernere ferro
Cominus, aut illi pereant, aut funditus omnis
Dum cadat alta ſuis cum civibus Ilios: Hector
Haec poſtquam effatus, greſſum tulit ante; ſecutus
Vir ſimul eſt ſuperis par forma & robore divis
  Interea hortatur Grajos Telamonius Ajax:
Eſte viri, & mentem ſubeat pudor; atque ſodales
Quiſque ſuos veritus, conſtanti pectore pugnet.
Queis pudor eſt ceſſiſſe loco, caroſque verentur

Homer. v. 563.

Qui ſocios, vivunt plures, quam morte domantur:
Qui fugiunt, horum perit omnis viſque, decuſque.
Sic ait: illi, hoſtem cupidi prohibere carinis
Sponte ſua, condunt alto ſub pectore magni
Verba ducis, denſique armis fulgentibus adſtant,
Atque rates ſepto cinxerunt protinus aereo.
Iliacum in Danaos divûm pater incitat agmen:
At minor Antilochum in Teucros inſtigat Atrides:
Antiloche, haud quiſquam Grajûm florentior aevo,
Haud quiſquam eſt pedibus melior te, viribus aeque
Nec validis pugnare audax. age, figere ſiquem
Proſiliens poſſis, morti & demittere Teucrûm.
Haec fatus medio ardentem ſermone reliquit
Abſcedens rurſum. Antilochus levis evolat ante
Primam aciem, telumque manu fatale coruſcat,
Huc atque huc vertens oculos. Trojana minantem
Turba tuens, greſſum retulit. non irrita fugit
Haſta manu e valida, gnatoque Hicetaonis, acer
Dum ruit in pugnam, juxta perlata papillam,
Tranſiit ingenti perfoſſum vulnere pectus.
Concidit: arma ſuper magno intonuere fragore.
Advolat Antilochus: celerem ſuper ut canis olim
Hinnuleum, nemorum e latebris, notoque cubili
Commotum, longe telo venator adacto
Quem fixit, nervoſque omnes ac robora ſolvit:
Sic te magne ſuper ſaevus Melanippe jacentem
Irruit Antilochus, cupiens fulgentia ferre
Arma ſibi victor: dium tamen Hectora currens
Haud latuit; qui tela inter, turbamque virorum
Per mediam curſu rapido fert ſe obvius. illum
Ut vidit contra venientem atque arma ferentem
Antilochus, quamquam bello impiger, haud tamen auſus

v. 585.

Sta-

Stare loco, tremuitque artus, & palluit ora;
Ille ferae ſimilis, noxae quae conſcia, caeſo
Vel cane, vel tauros circa paſtore, prius quam
Turba virum raptis veniens ſuper ingruat armis,
Tuta petit, monteſque fuga ſeſe abdit in altos.
Talis Neſtorides tremefacto pectore fugit,
Hector ubi, ac Troës vaſto clamore ſecuti
Denſa manu valida coeperunt ſundere tela.
At, poſtquam ſociûm in turmam ſeſe abdidit heros,
Reſtitit, ac frontem rurſus convertit in hoſtem.
Interea Troës, praedantum ut ſaeva leonum
Turba, ruunt contra naves, ſummique faceſſunt
Magna Jovis mandata; viris per membra vigorem
Qui magis atque magis praeſenti numine dexter
Invictum afflabat, Grajorum pectora contra
Enervans, partumque decus, laudemque paratam
Eripiens, donec magnus clareſceret Hector
Unus ſupra omnes, flammamque inferret in ipſas
Indomitam victor puppes, Thetidiſque nefaſtam
Parte precem ex omni compelleret. providus ergo
Flammam exſpectabat, puppi ex ardente videndam
Se daret optanti clara dum luce, fugaret
Troas ut inde iterum, laudem & praeberet Achivis.
Haec verſans, Danaûm in puppes pater uſque ciebat
Hectora Priamiden; furiato pectore ſaevus
Quanquam ſponte ſua ardebat; veſanus ut haſtam
It quatiens Mavors; aut ſilvam ingreſſus opacam
Ignis edax furit aëriis in montibus olim.
Spumant labra, oculis ardentia fulgura torvis
Abſiſtunt, galea alta viro cava tempora circum
Horrendum concuſſa tremit. rex ipſe deorum
Bellanti auxilium caelo nam praebet ab alto,

Digitized by Google

Millibus in multis uni & largitur honorem
Eximium, atque decus: limes quippe ultimus aevi
Haud aberat longe miſero, lucemque ſupremam
Magni ſub manibus Pelidae inimica parabat,
Triſte urgens juveni fatum, Tritonia Pallas.
Ille quidem cupiens aciem perrumpere, ſeſe,
Qua turbam qua tela videt denſiſſima, certat
Irruere in medios: ſedenim fruſtra omnia tentat,
Nec potis eſt uſquam durum pervadere ſeptum.
Nam, turris validae in ſpeciem, denſo agmine ſtabant
Conferti. qualis procurvo in litore cautes
Vaſta, horrens, canum procurrens edita in aequor,
Stridentum furias ventorum, undaſque, fragorem
Inſanum & ponti perfert, ac mole ſua ſtat:
Tales Grajugenae ſtabant, Troumque catervam
Hectoraque obnixi contra. ferus inſilit ille
In medios igni fulgens unde unde coruſco.
Caerulea ſub nube ingens tumefactaque vento
Ut cadit unda ratem ſupra gravis: albet at illa
Spumigero candens fluctu perfuſa; ſuperne
Velum dira fremens niveum quatit aura: tremiſcunt
Nautis corda metu leti jam limine in ipſo:
Sic Danais micuere ſinus formidine, & anceps
Invaſit mentes turbataque pectora terror.
Adveniens ceu cum ſaevo leo dente juvencas
Invadit prato in viridi prope ſtagna, per herbam
Dum ſeſe innumerae denſant; ac ſervat euntes,
Neſcius ille feras contra pugnare magiſter
Cornipedum de caede boum; primaſque, vel inter
Extremas graditur; pernici ſed leo curſu
Inſilit in medias, ſtratamque ex omnibus unam
Devorat: armentum trepida formidine circum

v. 636.

Diſ-

Diffugit omne: omnes Danai ſic Hectora dium,
Atque patrem ſugere Jovem; ſolum inclytus heros
Morte Mycenaeum ſubita ſtravit Peripheten.
Hunc genuit Copreus, Euryſtei juſſa ferebat
Qui magno Alcidae: non claro patre ſed ortus
Filius eſt longe melior, virtutibus ille
Omnigenis clarus, curſu bonus, acer ad arma,
Conſilii prudens auctor, procerumque Mycenes
Par primis. magno tum ſtratus ab Hectore laudem
Eximiam, atque decus victori praebuit ingens.
Nam, dum verſa fugae dat terga, offendit in oram
Ipſe ſui extremam clypei, Troum omnia contra
Quem tela oblongum talos geſtabat ad imos.
Huic temere impegitque pedem, retroque ſupinus
Concidit, afflictus terrae; galea alta recuſſo
Aere dedit ſonitum ingentem cava tempora circum.
Senſit, & accurrens lapſum ſuper adſtitit Hector,
Defixitque haſtam fulgentem in pectus, amicos
Inter & oppreſſum, leto dedit. obvius ire
Nemo auſus, nec opem deprenſo ferre ſodali;
Ipſe ſibi Hectoreis nam quiſque timebat ab armis.
Jamque adeo retulere gradum, & ceſſere carinas
Poſt primas, ſepti extremis, a litoris ora
Quae minus abſtabant. Troum denſo agmine pubes
Affudit ſeſe, certatimque ingruit hoſti:
Argivi primas puppes liquere (coactos
Urget enim res dura); alta ad tentoria crebri
Sed manſere tamen, nec ſe per caſtra ſolutis
Ordinibus paſſim fudere; pudorque, metuſque,
Continuit magnum clamantes, atque viciſſim
Mutua ſe hortantes. Quos prudens Neſtor, Achivae
Eximius gentis cuſtos, per tecta, parenteſque

v. 660.

Et gnatos lacrimis obteſtabatur obortis:
 Eſte viri, o ſocii: nunc famam quenque vereri,
Nunc meminiſſe decet natorum, conjugis, unde
Ortus & eſt, patriaeque domus, matriſque, patriſque,
Seu vivunt, ſeu jam ſunt paſſi extrema. per hoſce,
Qui longe hinc abſunt, obteſtor; ſtate, manete
Invicto fortes heic pectore, terga nec hoſti
Vertite. ſic animos incendit Neſtor, & acres
Admovit ſtimulos. nubem at caliginis atrae,
Offuſam late, diſcuſſit Pallas. obortum
Continuo eſt oculis jucundum lumen utrinque,
Litore ab extremo, pugnaeque a parte cruentae.
Apparet magnuſque Hector, ſociique, retrorſum
Quicunque abſtiterant pugna, & quicunque feroci
Obnixi ad curvas pugnabant Marte carinas.
 Magnanimo tunc Ajaci, quo caetera ſtabat
Grajûm turba, loco haud placuit conſiſtere; obibat
Sed magno incedens greſſu tabulata; gravemque
Hac illac verſans contum quaſſabat, ahenis
Praefixum clavis, telum ad navalia factum
Bella, bis undenas protentum robur in ulnas.
Ac veluti quondam doctus deſultor, ut omni
Quatuor e numero praeſtantes corpore pulchro
Legit equos, campo admiſſos dehinc pellit ad urbem,
Ampla volans qua ſtrata viae ſe publica tendunt;
Mirantur dextra & laeva matreſque virique
Spectaclum attoniti; celer ille huc tranſilit atque huc,
Mutatoque ſedet dorſo imperterritus; Eurum
Ante levem volucres curſu hi pernice feruntur:
Sic Ajax per crebra gradu tabulata ferebat
Se magno, inſiliens nunc hanc, nunc impiger illam
In puppim; tum miſſa viri vox ibat ad aſtra

v. 686.

In-

Ingens, Argivos vaſto clamore jubentis
Tutari curvaſque rates, tentoria & alta.
Quippe audax Troum in turba non ſe tenet Hector;
Sed, veluti celeri lapſu Jovis involat ales
Anſeribus, gruibuſve, aut cycnis, agmine magno
Dum liquidum ripa in viridi paſcuntur ad amnem;
Caeruleam affectat puppem ſic maximus herps
Aſſiliens: dextra magnus quem Jupiter, ipſum,
Et ſocios ſimul horrendo clamore ſequentes,
Impulit ingenti. ſurgit pugna aſpera: nuſquam
Ceſſatur. credas nunc primum praelia inire
Integros, ullo nec feſſos membra labore;
Sic alacres in ſaeva ruunt certamina. nec ſpes
Pugnantum eſt eadem. non ullo evadere cladem
Poſſe modo Graji ſperabant, diraque fata;
Sperabant Teucri, curvas exurere puppes,
Et pubem penitus morti demittere Achaeam.
Talia verſabant animis, denſique premebant
Hinc atque hinc ſeſe magno certamine anheli.
  Adjecit dextram ſaevus tum denique puppi
Hector, ad Iliacum quae litus Proteſilaum
Pulchra tulit, ſed non & ſedes pulchra revexit
Incolumem ad patrias. hanc circum Troica pubes
Grajaque ſe duro caedebat mutua ferro
Cominus. haud etenim flexo volitantia ab arcu
Spicula, miſſa manu abſtantes nec tela manebant:
Fortia pectoribus prope juncti at pectora, acutis
Miſcebant horrenda ſecuribus, atque bipenni
Praelia certatim ferro, magnique micabant
Enſeſque, ancipiteſque haſtae; inſertique nigranti
Ingentes gladii capulo tellure jacebant,
Hi lapſi e manibus pugnantum, fortibus illi

v. 714.

Ex

Ex humeris; ſubterque ibat cruor undique rivis.
Hector ubi arripuit puppim ſemel, alta tenebat
Apluſtra, & Teucros magno clamore vocabat:
  Ignem ferte, viri, pugnamque intendite: lucem
Jupiter hanc nobis aequus dedit, una rependat
Tot moeſtos quae laeta dies; exurere puppes
Qua datur, iratis huc dîs quaecunque profectae,
Intulerunt nobis tot triſtia damna, ſenatus
Iliaci culpa; qui me, obvia ferre volentem
Arma, diu tenuit, pubemque in bella paratam,
Exire haud paſſus. noſtras at Jupiter olim
Si laevus mentes laeſit, nunc incitat idem
Hortator ductorque. Hector ſic fatus; at illi
Acrius incubuere, inſano & Marte ruebant:
Nec Telamoniades Ajax jam quibat eodem
Stare loco (obruitur ſic denſis undique telis);
At retro paullum ceſſit, fata ultima vitans,
Et liquit tabulata heros, ſeptemque pedali
Conſtitit in tranſtro, circum vigilantia volvens
Lumina, bellator conto & gravis uſque trabali
Inſtantes arcens Troas, flammamque ferentes,
Atque hortans magno ſocias clamore cohortes.
  O ſocii, heroës Danai, Mavortia pubes,
Eſte viri, ac patrium memores expromite robur.
A tergo ne aliquem vobis, nunc eſſe putatis
Qui ferat auxilium pulſis? an firmior uſquam
Eſt aliquis murus, poſſit qui avertere cladem?
Urbſne aliqua eſt proprius, praecinctam turribus altis
Quam liceat populi alterna ſervare corona?
Bellantum at campo in Teucrûm, longeque remoti
A patria, & ponti concluſi degimus unda.
Ergo manus poterunt, non lenta ignavia lucem

v. 741.

Fer-

Ferre aliquam tandem, & rebus ſuccurrere lapſis.
Haec ait: ac torvus, furiata mente, petebat
Haſta omnes, quotquot ſe curvas igne ferebant
Accincti ad naves, quo ſaevus juſſerat Hector;
Biſſeni & magna perfoſſi cominus haſta,
Ante ipſas leto ſtrati jacuere carinas.

Homer. v. 746.

HOMERI ILIADOS

LIBER SEXTUSDECIMUS.

SIc hi pro celſa miſcebant praelia puppe.
Magnanimo coram ſtabat Patroclus Achille,
Fletu moeſta pio perfundens ora; tepentes
Ibant ex oculis lacrimae, ceu jugis aquae fons
Aëria lymphas volvit de rupe liquentes.
Hunc ſimul ac vidit, dulcem eſt miſeratus amicum,
Talibus & mirans dictis affatur Achilles:

Nam cur ſic ploras, Patrocle? ut parva puella,
Pone ſequens trepido matris veſtigia greſſu,
Quae cupit in gremium tolli, veſtemque retentat
Apprenſam manibus, feſtinam & detinet udis
Suſpiciens oculis, geſtari & poſcit in ulnis.
Huic tu nunc ſimilis lacrimis rorantibus ora
Moeſta rigas, Patrocle. Aliquid num triſte, quod omni
Myrmidonum genti, mihi vel quod contigit ipſi,
Apportas? Phthia num quis tibi miſſus ab urbe
Nuncius huc venit ſoli? certe Actoris ajunt
Vivere adhuc natum; ſceptroque inſignis avito
Vivit adhuc Peleus; quorum nos fata deceret
Lugere, atque pios utrivis reddere fletus.
Anne vicem ploras Danaûm, quod clade carinas
Ingenti ad curvas pereunt, ultoribus & dîs,
Quas meriti, expendunt ſcelerato ſanguine poenas?
Dic age: nil cela; tecum ut ſimul omnia norim.

Haec ille: at gemitu Patroclus talia reddit:
O Pelida ingens, Grajûm fortiſſime, Achille,

v. 21.

Parce irae, atque audi; tantus dolor urget Achivos.
Quotquot enim, eximia clari virtute, juvabant
Rem Danaûm, longave haſta volucrive ſagitta
Vulnus habent, aegrique jacent in puppibus altis.
Eminus eſt ferro laeſus fortis Diomedes;
Cominus at Laërtiades, & major Atrides;
Et femur Eurypylo ſubiit letalis arundo.
Paeonios docti ſuccos arteſque, laborant
Hos circum. precibus tu nondum flecteris ullis.
Dî faciant, talis nunquam praecordia tangat
Ira mihi, qualem indomito furiatus, Achille,
Corde foves. cui nam poſthac eris utilis ulla
In re uſquam, indignam Grajis qui avertere cladem,
Dure, negas? non te Peleus pater, optima non te,
Saeve, Thetis genuit: glauco ſed caerula fluctu
Aequora, ſed durae montano in vertice cautes,
Immitis cui ſic animus manſueſcere neſcit.
Quod ſi forte aliquod vitas, animoque verere
Augurium; ſi quid retulit tibi diva creatrix
Ab Jove; me ſaltem ne ſit grave mittere, mecum
Myrmidonum & pubem; tam nigro in turbine Grajis
Siquam forte queam veniens affundere lucem.
Hoc etiam da, rex; humeris tua fortibus arma
Induere; armorum perculſos fallere Troas
Si poſſim facie, ſi forte ad bella reverſum
Te credant, ſaeva &, tremefacto pectore, pugna
Abſiſtant; Grajûm pubes at Martia paullum
Reſpiret, jam fracta malis. vel parva laboris
Prodeſt ſaepe quies duro in certamine belli.
Pronum erit integris jam feſſos puppibus altis
Arcere, ac patriam pulſos compellere in urbem.
Talibus orabat demens, ſua fata, ſuamque

v. 46.

Neſcius interea precibus ſe poſcere caedem.
Ingemuit graviter, ſociumque affatur Achilles:
Nam quid ais, Patrocle, deûm genus? haud ego vito
Augurium nunc triſte ullum, nec diva creatrix
Ab Jove mi retulit quidquam; ſed corda ſubivit
Ima gravis mentemque dolor, par me orbat iniquus
Aequalem quod ſorte pari, largitus & ipſe
Quod fuerat, fretus non jure, at viribus, aufert.
Hic me angit miſerum miſere dolor; hic mihi pectus
Moeror habet nocteſque dieſque. olim mihi Graji
Quam dederant munus famulam, mihi Marte pararam
Urbe olim everſa quam victor, rurſus eandem
Abſtulit Atrides late regnans Agamemnon
Extorri veluti patriaque domoque carenti.
Haec ſed miſſa decet fieri, quae facta, nec uſque
Iraſci. certe dixi, fixumque ſedebat
Hoc animo; triſti non ullum imponere finem
Ante irae, mea quam bellum ad tentoria & altas
Veniſſet puppes: humeris tamen indue (quando
Sic placet) arma; acres & bello ducito in hoſtem
Myrmidonas, nigra qua Troës nube carinis
Incubuere graves; concluſi & litore in arcto
Anguſtos intra fines miſcentur Achivi,
Ac pavidos magis atque magis Trojana juventus
Tota premit, fidens animi, tumefacta ſecundo
Marte. meae nec enim galeae videt aera coruſco
Clara igni. caeſis amplas fortaſſe repleſſent
Corporibus dudum ſed foſſas, aequior in me,
Ut decuit, leni ſi mente fuiſſet Atrides.
Nunc Danaos laeti concluſos milite denſo
Obſedere: arcens nec caedem & funera Grajis
Tydidae in manibus validis furit haſta, nec ullam

v. 75. Au-

Audivi Atridae vocem clamantis ab ore
Inviſo. diri vox Hectoris una, cientis
Iliacam aſſidue pubem, circumſonat: illi
Clamore ingenti caſtris funduntur, & inſtant
Ferro victores turbam concidere inertem.
Haud minus interea tamen i, Patrocle, carinis
Exitium defende, hoſtemque invade feroci
Marte, rates igni ne ſaevo exurat, Achivis
Et reditum patriae dulces praecidat in oras.
Haec mea ſed defige animo, penituſque reconde
Dicta memor; decus ut magnum mihi victor ab omni
Gente pares Danaûm; forma praeſtante puellam
Actutum ut reddant, addantque ingentia dona.
Hoſtem ubi pulſum abiges, greſſum huc refer: altus Olympi
Si tibi rex laudem annuerit, ne dira cupido
Caecum animi abripiat, pugnae indulgere cruentae
Me ſine belligeros in Troas; ne mihi laudem
Praeripias, rerum laetis neu ſpernar Achivis.
Ne bello exſultans nimium, tumiduſque ſecundo
Marte, Phrygas caedens, duc laeva mente ſub urbem
Myrmidonas; divûm ne quis deſcendat Olympo
Adjutor genti; miro complexus amore
Quam fovet, ac praeſens tutatur Phoebus Apollo.
Navibus ut primum abſtiterint, Patrocle, referto
Huc greſſum: miſcere alios certamina campis
Saeva ſine, ac longum pugnae durare laborem.
Atque utinam, o divûm rex, ac Tritonia Pallas,
Et Phoebe, haud quiſquam Troum de gente, quot uſquam
Sunt, Grajûmque necem effugiat: ſupereſſe duobus
Et nobis tantum contingat; vertere ſacra
Ut liceat ſolis perjurae moenia Trojae.
Illi alternantes vario haec ſermone ferebant.

v. 101. In-

Interea haud quibat ſubſiſtere maximus Ajax
Amplius, & ſervare locum: ſic grandine crebra
Telorum obruitur; laevo quem numine magnus
Jupiter, adverſiſque premunt ſolum undique Troës
Denſi armis: ſtrepitu horrendo cava tempora circum,
Aſſiduo pulſata ictu, ſonat aerea caſſis.
Laevum heros humerum torpet deſeſſus, in omnem
Scutum ingens partem dum verſans objicit hoſti.
Nec tamen urgentum telis duraque repelli
Vi potis eſt; ſtat mole ſua defixus, anhelam
Aegre animam ducens: proruptus corpore toto
It ſudor rivis, nec reſpirare poteſtas
Ulla, malumque malo gravius ſuper ingruit uſque.
Dicite ſiderei, Muſae, quae in vertice Olympi
Incolitis divûm ſedes, tecta aurea: quanam
Argivas primum puppes ſuper incidit ignis.
Hector fraxineam Telamoniadae citus haſtam
Cominus ingenti gladio percuſſit, acuta
Cuſpis ubi, ligno tereti praefixa, micabat;
Ac ſummam ferro partem demeſſuit: Ajax
Trunca manu magna quatiebat robora fruſtra;
Terrae alliſa gravem ſonitum dedit aerea cuſpis.
Senſitque, exhorruitque Ajax, miranda deorum
Facta videns. belli altitonans cui Jupiter orſa
Abrupit penitus; praeſenti & numine Teucris
Annuit ipſe decus victoribus. ergo receſſit
Extra tela pedem referens: at Troia pubes
Ignem denſa citae magno clamore carinae
Intulit. indomitis gliſcunt incendia flammis,
Ac totam involvunt puppim: furit aeſtus ad auras.
Tum vero manibuſque femur percuſſit utrunque,
Et trepido has fudit Pelides pectore voces:

v. 125.

En agedum, Patrocle, deûm genus, arma capeſſe
Ocyus; ad naves video nam gliſcere flammam.
I citus, ante, rates capiant quam prorſus, & omnem
Eripiant Grajis reditum. celer ocyus arma
Indue tu: pubem ipſe vocans in praelia cogam.
Sic ait: ille autem dictis parere ſodalis,
Atque armis cingi totus feſtinat ahenis.
Principio ſuris ocreas ingentibus aptat,
Aurea multiplici nectit quas fibula morſu;
Pectora dehinc circum varium thoraca, micantem
Sideris in morem, magni geſtamen Achillei;
Dehinc humeris enſem aeratum ſuſpendit, habebat
Quem vagina ardens claris argentea bullis;
Suſtulit hinc laeva ſcutum impenetrabile, magno
Amplum orbe; atque caput galea contexit equinis
Ornata in ſpeciem ſetis, motiſque ſuperne
Horrendum criſtis nutanti; corripit inde
Apta ſuis manibus bellator tela: reliquit
Aeacidae magni ex armis unam omnibus haſtam,
Fraxineam, ingentem, nodoſo robore & amplo
Aere gravem, nemo ex omni quam pube valebat
Grajugenum vibrare, unus vibrabat Achilles.
Peliaco ſenior quondam hanc de vertice Chiron
Attulerat Peleo, munus fatale, futuram
Heroum genti ſaeva inter praelia caedem.
Tum jubet Automedonta citos ſubjungere curru
Alipedes, ſociûm e coetu quem ſcilicet omni,
Magnanimum poſt Aeaciden miratus, amabat,
Ante alios fidum certamina Martis obire,
Hoſtiles & ferre minas, bellique tumultum.
Jungit equos curru Automedon, mora nulla, frementes,
Xanthumque & Balium, quos, miro aequare volucres

v. 150.

Cur-

Curſu aptos ventorum animas, Harpyia Podarge
Aërio genuit Zephyro, dum pinguia prata
Oceani magnum paſcens percurſat ad amnem.
Pedaſon his addit, quem captum duxit Achilles
Eetioneae vertit cum moenia Thebes,
Mortalem, aetherio cretos at ſemine curſu
Aequantem, curruſque ſimul per bella trahentem.
Myrmidonum interea pubem, tentoria celſa
Ipſe obiens, inſtanſque viris, armabat Achilles.
Ac veluti praedae adſuetum genus acre luporum
Nacti cornigerum procero corpore cervum
Montibus in celſis laniant (immania lavit
Omnibus ora cruor) purum dehinc ſaeva gregatim
Turba ruit ſimul ad fontem, levibuſque liquentem
Libat aquam linguis, caedemque eructat; at imus
Lympharum dulci venter diſtenditur hauſtu:
Sic magni Aeacidae ad famulum ſe, robora gentis
Myrmidonum, denſi agglomerant procereſque duceſque.
Milibus in mediis hortator ſtabat Achilles,
Ipſe urgens turmaſque equitum, peditumque cohortes.
  Quinquaginta citis ad Trojam puppibus olim
Venerat Aeacides: in puppi quaque ſedebant
Quinquaginta viri; ductores quinque regendae
Praepoſiti pubi, clari virtute fideque
Ante alios: magno cunctos ſraenabat Achilles
Imperio, ſceptrique potens, & maximus armis.
Primum agmen vario inſignis thorace coërcet
Sperchii proles generoſa, Meneſthius, amnis;
Filia quem Pelei peperit Polydora perenni
Sperchio, mulier divo conjuncta cubili;
Dictus at eſt ſoboles Bori Perierеos, olli
Nupta palam fuerat quod magnis non ſine donis

v. 178.

Re-

Regia divinos virgo clam paſſa hymenaeos.
Agmen deinde aliud ducit Mavortius heros
Audax Eudorus. Phylantias hunc Polymela,
Pulchros docta choros pulchre ductare, creavit,
Miſta deo mulier. magnae, Cyllenius illam,
Solemnem formoſa chorum dum ſorte Dianae
Concelebrat cantu indulgens, conſpexit, & arſit
Conſpectam; celſumque adiens penetrale, puellae
Congreditur furtim: proles hinc obtigit olli
Eudorus, curſu pernix, & viribus audax.
Quem poſtquam lucis vitalem eduxit in auram
Mitis, adeſt duris quae partubus, Ilithyia;
Matrem, dona ferens ingentia, fortis Echecleus
Actorides nuptam ad ſedes abduxit avitas;
Eudorum at ſenior Phylas nutrivit, & omni
Educens fovit ſtudio, carique parentis
Egregie partes implevit ſedulus omnes.
Tertius agmen agit Piſander maximus armis
Maemalides, haſta ante alios praeſtantior omnes
Myrmidonas, ſocio excepto pernicis Achillei.
Agminis at ſenior Phoenix agitator equorum
Ductor erat quarti. quintum dux agmen agebat
Alcimedon, clari Laërceos inclyta proles.
Hos rite ordinibus certis diſcrevit, & omnes
Inſtruxit bello Aeacides, vulguſque duceſque:
Tum gravibus mandata dedit non mollia verbis:
Myrmidones, meminiſſe decet nunc plena minarum
Dicta, diu quae, me irato, jactaſtis ad altas
Dardaniam in gentem puppes; me quiſque morantem
Talibus aſſidue culpantes plurima verbis.
Dure animi Pelida, parens te ſelle, meraque
Bile aluit, ſaevum, immitem, qui multa rogatus

Homer. v. 204.

Nil audis, ſocioſque tenes in puppibus uſque
Invitos. patriae ſaltem, quod reſtat, eamus
Indecores ad tecta domus, demuſque vocatis
Retro vela notis; animo quando incidit iſtaec,
Atque tibi atque tuis male noxia civibus, ira.
Haec ſaepe in coetu jactaſtis. nunc opus ingens
Martis adeſt cupidis. nunc veſtrum promite robur
In Teucros, placitamque alacres invadite pugnam.
  Sic ait; atque virûm ſuccendit corda furore.
Arctius hi denſant, audito rege, catervas.
Ac veluti celſas cum vir ſibi conſtruit aedes,
Aptans ſaxa manu, jungenſque in pariete, flanti
Uſquam per rimas pateat ne ſemita vento:
Sic denſi galeas junxere, atque aerea ſcuta.
Fulcibant clypei clypeos, galeaeque micantes
Confertim haerebant galeis, denſuſque viro vir;
In conis & pulchra comantes mutua ſeſe
Tangebant, moto nutantes vertice, criſtae.
Sic illi denſo ſtabant pone agmine; raptim
Ante viri duo ſe cingebant fortibus armis,
Patrocluſque ac Automedon, ſaevo aere parati
Unanimes prae Myrmidonum pugnare phalange.
Ad ſua feſtino tum ſe tentoria greſſu
Magnanimus tulit Aeacides, arcamque recluſit,
Pulchram, daedaleam, gnato quam ferre carina
In celeri dederat quondam Thetis, ac dea totam
Complerat tunicis, laeniſque arcentibus aurae
Frigora, villoſiſque tapetibus. heic patera olli,
Artis opus mirae, penitus concluſa jacebat;
Nemo virûm admorat cui labrum fervida potans
Vina, deo nulli qua rex libare ſolebat
Lenaeum laticem, dempto Jove. prompſit ab alta

v. 228.

Hanc

Hanc latebra educens, ac primum ſulfure puro,
Poſt liquida purgavit aqua; dehinc abluit ambas
Rite manus, vinumque hauſit, ſeptoque decenter
Conſtitit in medio, tum vina liquentia ſupplex
Fudit ſuſpiciens caelum; ſuperumque parentem
Haud latuit, tales dum promit pectore voces:
  O rex, Dodonee, Pelaſgice, Jupiter, altas
Dodonae procul hinc ſilvas ac frigida ſervans
Duro ſaxa gelu; Selli, gens horrida cultu,
Quem circa vates habitant, pedibuſque feruntur
Illotis, nudaque cubant tellure; precantem
Siquando audiſti me, Jupiter, & mihi laudem
Atque decus, damnum at Grajis clademque tuliſti;
Huic etiam facilis, genitor, nunc annue voto.
Ipſe quidem ad naves maneo, ſed caeca ſodalem
Ecce meum belli mitto in diſcrimina, turmas
Myrmidonum & pariter. decus illi, Jupiter, oro,
Annue victori, altitonans. tu pectore in alto
Corda viro inflamma praeſens, afflaque vigorem
Indomitum; noſcatque Hector pugnare miniſter
An meus & ſolus ſciat audax; an manus olli
Ardeat ad caedes modo tunc furiata, laborem
Ipſe quoque ac duri ſubeo cum praelia Martis.
Verum idem, Argiva cum belli a claſſe tumultum
Depulerit victor, violatus vulnere nullo
Fac redeat, queis nunc fulget, conſpectus in armis,
Belligeram & ſecum pubem haec in caſtra reducat.
  Talibus orantem divûm pater atque hominum rex
Audiit, ac magni partem ſuccedere voti,
Annuit, aſt aliam voti partem abnuit idem.
Ut belli a ſocia prohiberet claſſe tumultum,
Annuit: ad naves ut ſoſpes deinde rediret,

Abnuit, inque auras vocem diſperſit inanes.
Pelides, poſtquam ſuditque liquentia vina,
Oravitque Jovem, ingreſſus tentoria, ſacram
Arca iterum incluſit pateram, progreſſus & extra,
Conſtitit ante fores, cupidus certamine Martis
Implicitos duro Troas Danaoſque tueri.
Interea ſocii cum magnanimo Patroclo
Ibant, ardentes animis invadere pugnam;
Crabronum & ritu ſe protinus effundebant.
Crabronum, inſipiens puerorum turba laceſſit
Quos ſubter tellure, ſoditque cubilia ad ipſam
Caeca viam; multiſque malum commune procaci
Stulta parat ludo: propter nam forte viator
Dum meat, ignarus trepidos commovit, at illi
Erumpunt animis ingentibus, ac lare pugnant
Pro patrio, ſedeſque ſuas, gnatoſque tuentur.
Myrmidones bello inſtructi, non ſegnius, altis
Navibus effuſi, certatim in bella ruebant.
Clamor inexſtinctus ferit aurea ſidera. magna
Voce Menetiades ſocios hortatur, & urget:
Myrmidones, ſocii Pelidae fortis Achillei,
Eſte viri, atque animos validaſque expromite vires.
Nunc decus eximium regi laudemque paremus,
Qui Danaos virtute omnes & viribus anteit,
Atque habet egregios Martem conferre miniſtros.
Ipſe ſuam agnoſcat noxam nunc major Atrides,
Primum Grajugenum quod nullo affecit honore.
Sic ait; ac verbis incendit corda virorum.
Ergo ruunt denſi, in Teucros: circum undique puppes
Horrendum ſonuere: alte ſublatus ad aſtra
It clamor Danaûm, vaſto fremit aura tumultu.
At Troum, poſtquam prolem videre Meneti

v. 278.

Bel-

Belligeram , famulumque una , fulvo aere coruſcos ,
Turbatique animi ſubito , motaeque phalanges .
Quippe iras poſuiſſe truces , & rurſus amico
Seſe animo dium ſociis junxiſſe putabant
Peliden ; trepidoque obiens circum omnia viſu ,
Quiſque fuga optabat ſupremam evadere cladem .
Primus ibi ante omnes haſtam Patroclus ahenam
Torſit in adverſos , ingens ubi turba fremebat
Proteſilaëam circum condenſa carinam .
Certa volat , dextrumque humerum tranſverberat haſta
Pyraechmae , fortes qui Paeonas ex Amydone
Duxerat & pulchris , quos irrigat Axius , arvis .
Concidit , ac terram reſupino corpore preſſit
Ille gemens : ſocii circum fugere ; perempto
Nam duce , praeſtabat cunctos qui Marte feroci
Paeonas , eximius late conterruit omnes
Patroclus , repulitque altis a puppibus ; ignem
Et dirum exſtinxit : navis ſemuſta relicta eſt
Illic : turba Phrygum trepidabat verſa tumultu
Ingenti : Danai inſtabant formidine captis ,
Per curvas vaſto effuſi clamore carinas .
Ac veluti montis cum celſo a vertice , lucem
Ille ciens ſubitam , nubes , nimboſque deûm rex
Dimovit ; ſaltus apparent , ac juga late ,
Diffuſoque aperit caelo ſe fulgidus aether :
Sic , Danai curvis a puppibus igne repulſo ,
Exiguam nacti requiem curae atque laborum ,
Nondum etiam pugna , ſedato Marte , ſoluti .
Troës enim nondum pulſi omnes agmine verſo
Terga fugae dederant , ſed , Grajum urgente caterva ,
Adverſa obſtantes cedebant fronte retrorſum .
Heic , acies ut ſe laxavit fuſa , peremit

v. 306.

Quiſque virum dux excipiens. femur hauſit acuto
Aere Menetiades, haſtamque per oſſa trementem
Egit Areïlyco: moriens petit ille cruentam
Pronus humum. pectus, nudata in parte, Thoanti
Trajicit ad clypeum bello fortis Menelaus.
Concidit, ac membris jacuit tellure ſolutis.
Phylides contra venientem ac dira frementem
Amphiclum obſervans prior occupat, inque ſupremum
Crus, ubi ſura viro tendit ſe craſſior, haſtam
Impulit, ac ferro nervos diſcidit acuto:
Olli nigra oculos tenebris nox preſſit obortis.
Neſtoridum, valida percuſſit Atymnion haſta
Antilochus, telumque per ilia propulit: ille
Concidit ante pedes: immani concitus ira
Tunc Maris Antilochum contra ruit, atque cadaver
Fraternum ſtetit ante minax: dius Thraſimedes
At prior incautum excepit, fatale parantem
Figere in Antilochum telum, fixitque trabalem
Haſtam humero: ſummum cuſpis demerſa lacertum
Diffidit, ac ruptis tepefacta ſub oſſibus haeſit.
Stratus humi inſonuit; nox obruit atra jacentem.
Sic, gemini geminis domiti ſub fratribus, una
Sedem Erebi petiere, ambo Sarpedonis alti
Egregii comites, Amiſodare, natus uterque
Te patre, qui populis monſtro cladique futuram,
Nutriſti indomitam, vetus eſt ut fama, Chimaeram.
Aſt Ajax Cleobulon Oiliades capit, arcta
Implicitum in turba, capto dehinc victor ademit
Dulcem animam, gladium flexa in cervice recondens
Fulgentem penitus capulo tenus: omne cruore
Intepuit calido ferrum; nigra obruit olli
Mors oculos, urgenſque immani pondere fatum.

v. 334.

Pe-

Peneleus rapido atque Lycon ſibi mutua greſſu
Incurrunt . haſtam nam fruſtra miſit uterque
Abludens dextra erranti . mora nulla coruſcum
Ergo enſem ſtrinxere ambo , pugnamque furentes
Cominus invaſere . Lycon prius acer equina
Horrentem criſta conum percuſſit : at enſis
Abſiluit longe , capulum diffractus ad ipſum .
Cervicem aſt ima ferro fulgente ſub aure
Peneleus ferit . intro alte ſubit aereus enſis ,
Atque cute a ſumma pendet caput ; ille , ſolutis
Artubus , ingenti conſternit corpore terram .
Meriones Acamanta cito pede flammeus altos
Scandentem aſſequitur currus , figitque coruſco
Aere humerum juxta : curru cadit ille volutus :
Nigra oculis nubes confeſtim offuſa jacenti eſt .
Idomeneus Erymanta premit , rigidamque per ipſum
Impulit os haſtam ; penitus quae fixa cerebrum
Oſſaque pervaſit crudeli vulnere , dentes
Excuſſi , larguſque oculos complevit , & ora ,
Naribus ac totis prorupit ſanguis hianti .
Sic tum quiſque virum dux Grajus compulit Orco .
Aſt alii ; ceu dira agnoſve haedoſve luporum
Turba rapit grege de medio , quem paſtor in altis
Montibus incautus ſpargi ſinit : ocyus illi
Adſiliunt , raptantque pecus molle ore cruento .
Sic alii Troas Danai ſuper inſiluere ,
Atque premunt pugnae oblitos , verſoſque fragore
In terga horriſono . fulvo Ajax aere coruſcum
Hectora contorto cupiebat figere telo
Uſque ſequens : varii Martis non inſcius Hector
Taurino ingentes humeros clypeo uſque tegebat ,
Poſſet ne laedi jaculis , volucrive ſagitta .

v. 361.

Ille quidem Teucrum verſam rem ſentit, Achivis
Et pugnae ceſſiſſe decus; tamen atque reſiſtit
Interdum, atque ſuis hoſtem imperterritus arcet.
Ac veluti aërii nubes de vertice Olympi
It caelo raptim ventis illata ſereno,
Cum nimbos ciet altitonans atramque procellam
Jupiter; a Grajis Troum ſic turba carinis
Ingenti clamore, metuque repulſa, profundam
Tranſgrediens foſſam haud foeda ſine clade, ruebat.
Hectora Dardanii curſu pernice jugales
Extulerunt magno armorum ſub pondere: pubem
Foſſa ingens aliam tenuit; multique trahebant
Qui celeres currus bijugi, temone, relictos
Fugerunt, fracto, reges. Patroclus at acer
Inſtabat, Danaos hortans, Teucriſque ſupremum
Omnibus exitium meditans. clamore fugaque
Illi, acie late ſeſe ut fudere ſoluta,
Implevere vias paſſim; tum pulveris atra
Sub nubes ibat caeli ad convexa procella:
Cornipedes at equi rapido ſub moenia curſu
Tendebant, Grajûm a ſeptis & claſſe fugati.
Patroclus quo turba virûm ſe plurima campis
Miſcetque impellitque, illuc clamore miniſque
Urget equos; & multa virûm protrita ſub axe
Corpora, & everſi currus volvuntur: at altam
Tranſiliunt recta foſſam de ſemine creti
Aetherio alipedes, in magno munere Peleo
Quos dederant divi validoſque & morte carentes.
Hi rapido tendunt curſu: Patroclus avebat
Hectora nanciſci, ferroque invadere; longe
Praecipitem at rapiens volucrum fuga vexit equorum.
Ut nigra quondam tellus pulſata procella

v. 384.

Obrui-

Obruitur, late autumno cum Jupiter imbrem
Immenſum effudit, magna & pater incitus ira
Intonuit, terretque viros, qui prava frequenti
Dicunt jura foro, vique urbe expellere certant
Juſtitiam, metuunt nec dîs expendere poenas:
Exundant ripis amnes, rapidoque feruntur
Curſu torrentes montano a vertice rivi,
Abrumpuntque cavas rupes, per prona voluti
In mare purpureum: vaſtum gemit unda: boumque
Atque hominum foeda ſternuntur clade labores:
Dardanii rapido ſic nota ad moenia curſu
Cornipedes turba ingenti fugiuntque, gemuntque.
Patroclus primas magno ut terrore phalanges
Attonuit, ſocioque abjunxit ab agmine, rurſus
Inde agit ad naves, tuta nec condere ſeſe
Urbe ſinit pavidos, inter ſed moenia, ripas
Et fluvii, curvaſque rates, caedebat acuto
Aere, inſtans tergo aſſidue; Phrygioque peremptis
Ferro tot Danais cogebat pendere poenas.
Ac primum telo Pronoum ferit ille coruſco,
Pectus ut ad clypeum nudarat: corruit ingens,
In dura & nervis jacuit tellure ſolutis.
Enopis hinc leto dat prolem, Theſtora. curru
In pulchro hic curvus, turbata mente, ſedebat
Attonito ſimilis, trepidiſque undantia lora
Exciderant manibus. quem dextram perculit adſtans
Cominus in malam, telumque exegit acutum
Per dentes, curruque virum detraxit ahena
Fixum haſta. ſcopulo qualis piſcator, in aequor
Saxa ubi procurrunt, reſidens, linoque, recurvoque
Aere trahit ſacrum ſuſpenſo corpore piſcem:
Sic illum curruque acer Patroclus hiantem

Homer. v. 409.

Extraxit, telum & quaſſans intra ora trabale,
Dejecit terrae vitali lumine caſſum.
Hinc ferit ingentem ſaxo ſtridente Eryalum,
Dum ruit adverſus, medium in caput: omne quod intus
Diffiſſum eſt penitus praedura in caſſide; at ille
Planxit pronus humum; mors circumfuſa jacenti
Dulcem animam exſolvit, vacuaſque emiſit in auras.
Dehinc Erymanta, inſtans caedi, Amphoteromque, & Epalten,
Tlepolemumque Damaſtoriden, Echiumque, Pyrenque,
Ipheaque, Evippumque, ac Argeaden Polymelum
Stravit humi, cunctoſque una demiſit ad umbras.
  Sarpedon Lycios Patrocli Marte domari
Ut vidit, pavidos hortatur & increpat audax:
  Proh pudor! o Lycii, fugitis quo denique? nunc nunc
State, alacres pugnate. virum contra obvius ipſe
En feror, ut norim tandem quiſnam iſte ſecundo
Marte ferox, Troas foeda qui ſternere clade
Haud ceſſat, primoſque virûm tot merſit acerbo
Funere. Sic fatus curru ingens deſilit alto.
  Deſiluit pariter curru Patroclus, & infert
Ultro magnanimo ſeſe imperterritus hoſti.
Unguibus ut gemini curvis roſtroque timendi,
Magno alta pugnam clangore in rupe laceſſunt
Vulturii: ſic acti animis audacibus illi
Ad pugnam vaſto adverſi clamore ruebant.
Quos longe ut vidit Saturnius, haud mora, moeſto
Junonem gemitu compellans, talia fatur:
  Heu heu! Patrocli ferro nunc ſaeva domari
Fata jubent dium Sarpedona, quo mihi nemo
Carior eſt uſquam in cunctis mortalibus. ergo
Mens mihi nunc geminas in partes anxia nutat,
Verſanti, an pugna e triſti, medioque tumultu

v. 436.

Nu-

Nube cava ereptum, Lyciae felicibus oris
Reſtituam, anne ſinam Patrocli occumbere dextra.
Magnos pulchra oculos cui Juno talia contra
Dicta refert: Nam quae, Saturnie, verba locutus?
Olim qui fato eſt jam primo addictus in ortu,
Rurſus mortalem ſolvas a morte? voluntas
Quod tua fert, facito; ſedenim tua facta probari
Poſſe aliis ſperas incaſſum talia divis.
Quin aliud dicam, memori quod pectore conde.
Gnatum ſi fato ſubducas ipſe, videto
Prolem etiam ſervare ſuam ne forte quis aeque
Divûm alius velit, ac ſaevis dimittere ab armis.
Multi bellantur gnati Priameia circum
Moenia nanque deûm: quos tu nunc ſcilicet omnes,
Servato, exacues magnam, Sarpedone, ad iram.
Quin agedum, tibi ſi carus, miſerare caducum
Si juvenem, duri medio in certamine belli
Patrocli ſinito dextra teloque domari:
Inde, ubi perdomitum vigor omnis, vitaque linquet,
Tu Letum ac dulcem Somnum illuc mitte, cadaver
Qui gelidum Lyciae portent felicis ad oras.
Heic illi exſequias ſolvent fratreſque, ſodales
Et cari, ac tumulum ſtatuent, tumuloque columnam
Adjicient, vita functos quae dona ſequuntur.
Haec Juno: paret divûm pater atque hominum rex.
Continuo in terram caelo demiſit ab alto
Sanguineos late rores, hoc moeſtus honore
Ille ſuam decorans prolem; cui triſte parabat
Jam letum Troja in pingui Patroclus, ab urbe
Abſenti longe patria, adſpectuque ſuorum.
Ut propius venere, adverſi tela ferentes,
Patroclus comitem ac famulum Sarpedonis, imo

v. 463.

Ferrum adigens ventri, ferit eximium Thraſimelum;
Collapſoſque artus, anima fugiente, reſolvit.
Sarpedon telum fulgens contorſit: at ipſum
Figere Patroclum haud potuit; ſed Pedaſus ictum,
Fortis equus, dextro venientem excepit in armo;
Atque ruens altum ingemuit, ſe pulvere in atro
Et volvens, vacuas vitam diſperſit in auras.
Diſſultant bijugi, ſtridunt juga, lora jacentem
Propter equum confuſa: malo ſed protinus acer
Automedon finem impoſuit, non ſegnis acutum
Nam valida femore a magno dextra eripit enſem,
Exanimumque abſcidit equum curru ilicet: at ſe
Compoſuere alii directas inter habenas.
Tum gemini heroës, voti deceptus uterque,
Invadunt ſaevae rurſus certamina pugnae.
Telum iterum fruſtra Sarpedon miſit inane;
Cuſpis enim, Patrocli humerum ſuper acta ſiniſtrum
Stridens, haud tetigit corpus. Patroclus at aere
Poſterior volucri petit hoſtem: vana per auras
Haſta manu e valida nec fugit, venit at, alto
Ima viri & ſubiens praecordia vulnere fixit.
Concidit: ut quondam procero vertice quercus,
Populus aut ingens, aut pinus concidit alto
In nemore, agreſtum ferro quam turba bipenni
Excidit, validis lignum navale carinis;
Sic heros currum ad fulgentem ſtratus, & ipſos
Propter equos, magno extendit ſe corpore, frendens,
Atque ſolum manibus contingens putre ſolutis.
Ac velut armentum nactus leo ſaepe juvencum
Invadit fulvum praeſtanti corpore, magnis
Acrem animis; moriens altis mugitibus implet
Ille nemus rictu ſubter, maliſque leonis:

v. 490.

Sic

Sic Lycium ductor Sarpedon triſte gemebat
Indignans; fidum & compellans nomine Glaucum;
  Carum, Glauce, caput, bello bone, nunc opus omnem
Vimque animi, & validas alacrem te promere vires;
Nunc pugnae, ſi Marte vales, tibi corda cupido
Incendat. primum Lycios hortare, volucri
Cuncta obiens curſu, ductores: denſa jacentem
Tela ferant circa Sarpedona; dehinc ades ipſe,
Meque ſuper pugna fortis bellator. in omnes
Nam tibi, amice, dies fuero moerorque pudorque,
Exſtinctum ad naves duro in certamine Achaeas
Exuerint ſi me Danai fulgentibus armis.
I, Glauce, atque hortare alios, pugnamque capeſſe.
  Sic fanti nigram diffudit pallida nubem
Mors, oculos nareſque urgens caligine denſa.
Calce Menetiades tum pectus preſſit, & haſtam
Haerentem eduxit: ſimul & praecordia, & ipſam
Secum animam traxit rediens e vulnere cuſpis.
Myrmidones regis bijugos tenuere, frementes,
Atque fugam fracto rapidam temone parantes.
At Glauco, audivit cari cum verba ſodalis,
Ingens corda dolor fodit; cupiduſque juvare,
Haud poterat; vulnuſque manu preſſabat acerbum,
Quo Teucer, murum conanti ſcandere in altum,
Fixit nudatum telo ſtridente lacertum.
Ergo vocans longe mittentem ſpicula Phoebum,
Ingemit, ac lacrimis fatur ſic moeſtus obortis:
  Audi haec, Phoebe pater, Lyciae ſeu pinguis opimam
Nunc ſedem, Trojam ſeu luſtras, undique vota
Nanque audire potes, potes & prodeſſe dolenti;
Ut doleo nunc, rex, vulnus grave paſſus; acuti
Atque manum ſtimuli figunt, nec ſiſtitur ater

v. 518.

San-

Sanguis adhuc ; torpetque humerus ; ſuſtollere telum
Nec valeo , aut hoſtem contra pugnare . peremptus
Interea jacet heu Sarpedon , optimus inter
Ille viros , magni proles Jovis : at pater ullum
Non tulit auxilium , nec fert . ſed tu mihi , Phoebe ,
Tu ſaevum hoc ſana vulnus , tu deme dolores
Indomitos , roburque omnes infunde per artus ,
Ad pugnam ut ſocios horterque , exſangue cadaver
Et cari primus pugnem ſuper ipſe ſodalis .

Talibus orantem dictis audivit Apollo .
Nec mora , ſedatique omnes poſuere dolores ,
Eque alto manans ſtetit ater vulnere ſanguis ,
Atque animo & membris venit vigor aptus . ab alto
Miſſam ſenſit opem Glaucus ; gaudetque precanti
Magnum confeſtim quod numen praebuit aurem .
Ergo duces primum Lycios hortatur , & orat
Arma omnes circa Sarpedona ferre jacentem .
Inde gradu magno Teucros obit , auxilioque
Polydamanta vocat clamans , & Agenora dium
Aeneanque Anchiſiaden , atque Hectora magnum ,
Quem prope ſtans , trepidus celeri ſic ore profatur :

Pro pudor ! oblitus ſocios male negligis , Hector ;
Qui , procul a patria , gnatiſque , & conjuge , nullam
Non pro te ſubeunt aerumnam , animamque volentes
Projiciunt ; quos tu in mediis nunc deſeris armis .
Sarpedon jacet eximius , ſervabat opimam
Qui Lyciam , ante alios omnes & fortis & aequus .
Patrocli domuit miſerum Mars nempe ſub haſta .
Verum agite , o ſocii , juſtus nunc fortia cunctis
Corda dolor ſtimulet , ne jam fulgentibus armis
Nudent , ac ſtratum nigra tellure cadaver
Myrmidones foedent , irati ob funera Grajûm ,

v. 546.

Qui Lycio ad curvas ferro cecidere carinas.
Sic ait: at Teucrûm ſubiit praecordia moeror:
Sarpedon queis egregius, quanquam advena, magnum
Urbis erat columen; multis quod lecta juventus
E populis fuerat venientem ad bella ſecuta,
Ipſe quod & primos inter virtute ferebat
Eximiam pugnans laudem. concordibus ergo
Cuncti animis recta in Danaos, iraque feruntur
Incenſi; praeit indignans & morte ſodalis
Dira furens Hector. venientem ut vidit, Achivos
Patroclus contra prudenſque & fortis in arma
Incitat: ac primum Ajaces, Mavortia corda,
Exacuit, verbiſque celer compellat amicis:
  Ajaces, prohibere hoſtem ſit cura; manete;
Eſte virûm in pugna quales, prius; eſte vel ambo
Nunc magis atque magis fortes. jacet, acer Achivum
Inſiluit princeps murum qui Marte ſuperbus,
Sarpedon. utinam raptum hunc foedare pudendis
Vulneribus liceat, manantiaque arma cruore
Detrahere ex humeris; ferro & mactare, virorum
Quiſquis defendet ſtratum tellure cadaver.
  Sic ait: illi hoſtem congreſſi pellere & ultro
Ardebant, acres animis, pugnaeque parati
Ergo ubi firmarunt denſatas rite phalanges
Hinc Troës Lyciique, hinc Myrmidoneſque & Achaei;
Adverſi exſtincto ſaevam de corpore pugnam
Invadunt altum clamantes. arma virorum
Pulſa tonant, ingens late fragor aethera complet.
Jupiter at nubem denſae caliginis atram
Ipſe manu ſuper extendit, durum ille cadaver
Exſangue ad gnati praebens certamen utriſque.
Principio movere loco vi Troës Achivos.

v. 568.

Ictus

Ictus enim fuerat vir bello haud futilis inter
Myrmidonas, prognatus Agacleo, dius Epigeus.
Budei quondam qui moenia pulchra tenebat
Regnator: profugus forti ſed fratre perempto,
Thetidis & magni ſupplex ad limina Pelei
Se tulit; ac tecto exceptus, dehinc miſſus Achilli eſt
Magnanimo comes Iliacas bellator ad oras.
Huic, dextram ad corpus dum fert exſangue, molari
Hector percuſſit ſaxo caput: omne quod intra
Diffiſſum eſt penitus praedura in caſſide: at ille
Planxit pronus humum. mors circumfuſa jacentem
Obruit, atque animum triſtes detruſit ad umbras.
Indoluit cari Patroclus morte ſodalis,
Perque aciem primam ruit efferus. ille cito par
Accipitri, qui cornices, ſturnoſve frequentes
Involat, ac magno ſequitur clangore per auras.
Haud ſecus acer equis Troas, Patrocle, ruebas
In medios, immane fremens ob funus amici.
Hic ſubito adveniens fatum Ithaemeneo Sthenelaum
Perculit ingenti ſaxo, validamque reſolvit
Cervicem, & geminos diſcidit vulnere nervos.
Turbatis fugere animis & Troës & Hector.
Magna volat valido quam longe miſſa lacerto
Haſta viri, oſtentat ſeu cum ſua robora ludum
Exercens, bello ſeu cum petit eminus hoſtem;
Tam longe Argivos Teucri fugere tumultu
Ingenti: at Glaucus Lyciae dux pubis acuto
Convertit, clamore fugam, fortemque Bathyclea
Chalconis prolem ſtravit, domus Hellade in alta
Cui fuit, atque opibus, cenſu & praedivite felix
Inter Myrmidonas florebat. Glaucus ahena
Cui medium pectus ferit haſta, terga prementem

v. 597.

Ag-

Aggrediens ſubito, converſa fronte: fragorem
Ille dedit terrae afflictus. doluere peremptum
Argivi: Troës laetati, morte jacebat
Quod domitus fortis bellator. nec mora, corpus
Circum Dardanidae ſteterunt denſo agmine: Graji
Sed patriae memores virtutis, tela ferebant
Obvia in adverſos recta. ferit heic bonus haſta
Meriones, tectum galeae ſolido caput aere,
Laogonum, praeſtantem animis quem dius Onetor
Progenuit; Jovis Idaei qui ſacra ſacerdos
Curabat, populo cultus ceu numen ab omni.
Huic aurem ſubter malamque infixit acutum,
Meriones telum; membris effuſa cadenti
Eſt anima, horrendaeque virum texere tenebrae.
Aere gravem Aeneas intorſit protinus haſtam
Merionen contra, ſperans contigere ferro
Poſſe virum, clypeo tectus dum promovet audax
Ulterius greſſum. veniens telum citus ille
Providit, flexitque artus, pectuſque repente
Pronum acclinavit terrae: poſt terga virenti
Haſta ſolo defixa, extrema in parte tremebat,
Vis dum exſtincta omnis penitus. ſpe luſus inani
Aeneas doluit, valido vibrata lacerto
Cuſpis humum fruſtra caſſo quod fixerat ictu;
Atque has irato ſudit de pectore voces:
  Merione, egregius quanquam ſcis flectere membra
Saltator, mea ſi tetigiſſet te modo paullum
Haſta, leves ſaltus flexuſque oblitus, inerti
Corpore ſtratus humi jacuiſſes tempus in omne.
Meriones contra fortis cui talia reddit:
  Aenea, quanquam praeſtanti' es robore, pronum
Haud tamen eſt omnes tibi leto ſternere, contra

Homer. v. 621.

Qui te cunque viri veniunt, nam ſemine cretus
Mortali es certe mortalis. quem mihi ferro
Contigat medium ſi quando figere acuto,
Armipotens, fretuſque tua vi quamlibet, Orco
Immani moriens animam dabis, at mihi laudem.
Haec ſantem increpuit Patroclus: Verba per auras,
Egregius bello, fruſtra quid inania jactas,
Merione? veriti nec enim mala jurgia Troës
Exſtinctum linquent, o dulcis amice, cadaver,
Ante, petat moribundo aliquis quam corpore terram.
Bella manu peragi par eſt, conſultaque verbis,
Nunc pugnare decet, non dictis addere dicta.
Haec fatus, praeit ipſe, ſubit poſt Martius heros.
Ac veluti, denſi agricolae cum dura bipenni
Robora ſuccidunt certatim in valle reducta;
Auditur longe vaſtus fragor: haud ſecus illic
Aeraque, taurorumque obſtantia terga ſonabant
Enſibus, atque haſtis pulſata micantibus. ibat
Uſque fragor ſuperas longe a tellure ſub auras.
Jamque adeo nemo agnoſſet Sarpedona dium
Mente vir obſervans ſolerti: totus ad imos
Nanque pedes heros a ſummo vertice, nigro
Pulvere tectus erat, teliſque, atroque cruore.
Hi ſeſe denſo miſcebant agmine corpus
Ad gelidum. quales verno ſe tempore muſcae
Arguto in caulis denſant miſcentque ſuſurro,
Affuſae ad mulctram, lactis cum plena liquore
Vaſa madent niveo: talis ſe plurima regis
Ad Lycii ſtratum glomerabat turba cadaver.
Jupiter interea duro a certamine nuſquam
Lumina vertebat fulgentia, ſemper & acrem
Contemplans pugnam, volvens & mente ſub alta

v. 646.

Plu-

Plurima Patrocli ſecum de caede, putanſque
Hoc animo: Hectorea num vi domet aequus & ipſum
Protinus heic, dium juxta Sarpedona, & armis
Exuat; incolumen ſervans an longius, atram
Augeat aerumnam multis, durumque laborem.
Haec tandem ſedit menti ſententia, fortis
Pelidae ut famulus rurſum Troaſque fugaret
Hectoraque ad muros, palantiaque agmina caedens
Bellator, multos triſti demitteret Orco.
Ergo Priamidae pectus tremefactaque turbat
Corda, metum inſpirans. currum celer inſilit Hector,
Et fugit, ac ſocios hortatur, tuta capeſſant,
Extremam & vitent cladem. nam ſenſerat alti
Ille Jovis geminas flecti in contraria lances.
Ipſi etiam ceſſere loco, trepidamque repente
Corripuere fugam Lycii, turbataque mens eſt
Omnibus, immani perfoſſum pectora telo
Ut regem attoniti viderunt caede jacentem
In media: dejecta ſuper nam multa virorum
Corpora procubuere horrenda ſtrage, deum rex
Ut ſaevam intendit duro certamine pugnam.
Graji ergo, arrepto Sarpedone, pulchra trahebant
Arma humeris, gravia, aere micantia: quae procul inde
Ferre Menetiades ſocios ad litora juſſit.
Interea his Phoebum compellat Jupiter ultro:
Ocyus i, vacuas delabere, Phoebe, per auras
Iliacum ad litus, mediaque e caede, volantum
Telorum & nimbo carum Sarpedona longe
Tolle celer, nigrum concreti rite cruorem
Vulneris abſtergens; vivoque in flumine corpus
Ablue, & ambroſia perduc; dehinc indue veſte
Auguſta, atque citis portandum trade gemellis

v. 671.

Somnoque & Leto. ſublatum ditibus illi
Deponent Lyciae in populis; ubi funus amici
Eximio ſolvent juveni, carique propinqui,
Ac tumulum ingentem ſtatuent, tumuloque columnam
Imponent, vita caſſos quae dona ſequuntur.
Jupiter haec; patri non ſegnis paret Apollo
Inque gravem Idaeo deſcendit vertice pugnam.
Continuo e mediis tollit Sarpedona telis,
Ablatum & longe puris in flumine lymphis
Abluit, ambroſiae perductum & rore linquentis
Induit auguſtae claro velamine veſtis;
Fratribus hinc geminis Somno Letoque ferendum
Dat patrias longe ad ſedes. hi juſſa capeſſunt,
Et juvenem in Lyciae deponunt pinguibus oris.
Interea Patroclus, equos hortatus, & acrem
Automedonta, gravis Troas Lycioſque premebat
Uſque ſequens; triſtemque ſibi cladem intulit ipſe,
Demens! magnanimi nam ſi praecepta ſodalis
Haud foret oblitus, fatum vitaſſet acerbum:
Sed magni nutus vincit Jovis orſa virorum
Omnia; qui fortemque fugat, palmaque potitis
Laudem adimit, quamvis in praelia civerit ipſe.
Is tum & Patroclo concuſſit fraena furenti,
Atque animi laxas permiſit laevus habenas.
Quem primum, quem tu leto, Patrocle, dediſti
Poſtremum, adverſi cum dî te ad fata vocabant?
Adreſtum primo incurſu, Autonoumque, & Echeclum
Et Perimum Megaden, & Epiſtora cum Menalippo
Dejicit, inde Elaſumque, & Mulion, atque Pylarten.
Hos leto dedit: aſt alii paſſim, agmine verſo,
Diffugere, runtque effuſo ad moenia curſu.
Tunc adeo Trojam cepiſſent dira furentis

v. 699.

Acto-

Actoridae manibus Graji : ſed Phoebus Apollo
Conſtiterat celſa in turri, cladem que parabat
Patroclo, ac Priamum auxilio Troaſque levabat.
Ter muri flexum aſſiluit fortiſſimus heros;
Ter clypeum ipſe manu valida percuſſit Apollo
Retro pulſum abigens. at quarto evadere niſu
Conantem, contraque ruentem, torvus acerba
Increpuit voce arcitenens; ac talibus infit:

Quo, Patrocle, ruis? nec te, nec Achillea qui te
Fortior eſt multo, multo & generoſior, urbem
Troum belligerae fas eſt evertere gentis.

Haec Phoebus: muro abſiluit conterritus ille,
Tela dei metuens longe jaculantis, & iras.
Aſt Hector bijuges Scaeae prope limina portae
Siſtit equos; anceps & ſecum verſat, an hoſtem
Irruat in medium ſeſe audax, tuta ſubire
Anne ſuos jubeat murorum ſepta gregatim.

Haec dubio ſecum volventi pectore, Phoebus
Adſtitit, ille bonum bello, viridemque juventa
Aſion aſſimulans, Hecubae fratrem, atque Dymantis
Prolem, Sangarii ad ripam qui fluminis almos
Incoluit Phrygiae campos & pinguia rura.
Huic ſimilis divum alloquitur ſic Hectora Phoebus:

Nam quid iners ceſſas, Hector? certamina pugnae
Quid refugis? certe non te decet. o utinam te,
Quanto deterior ſum, tanto fortior eſſem!
Non impune foret vitanti praelia & hoſtem.
Verum age, Patroclo adverſos immitte jugales,
Morte virum ſiqua ſternas, laudemque decuſque
Det tibi, Trojugenas praeſens qui ſervat, Apollo.
His poſtquam affatus regem, per tela, laborem
Perque virûm abſceſſit medium deus. Hector at hoſtes

v. 726. Ce-

Cebrionen jubet in medios impellere ſaevo
Admonitos flagro bijugos. iratus Achaeam
Ingreditur Phoebus turbam, Gajiſque tumultum
Ingentem, Teucriſque decus parat ocyus ingens.
Hector praecipiti curru volat arduus; ullum
Nec Danaûm morti dignatur ſternere; ſolum
Axe Menetiaden volucri petit. haud minus ille,
Hunc ubi conſpexit venientem, deſilit alto
In terram e curru; laeva haſtam cuſpide acuta
Geſtat; ſaxum albens, ſolidum, rude, ſuſtulit alte
Dextra heros, toto & connixus corpore, miſit
Hectoreum in corpus; nec longe abluſit; inanes
Horrendum fruſtra nec telum fugit in auras.
Hectoris aurigam vaſto nam perculit ictu
Cebrionen, Priamo regi quem ſerva crearat.
Huic, dum lora manu tractat, defixus in ipſa eſt
Fronte lapis, fregitque irrumpens ſubdita utrique
Oſſa ſupercilio: dejecti pulvere in atro
Ipſos ante pedes oculi jacuere cruenti.
Ille, velut ponti ſubeunt qui caerula, pronus
In caput e curru terram petit: oſſaque & artus
Vita fugit. quem ſic dictis irriſit amaris
Patroclus: Proh quam levis eſt! quam ſe jacit apte
In caput? hic certe piſcoſi per vada ponti
Oſtrea veſtigans multos ſatiare queat vir,
Deſiliens celſa, vel cum furit unda, carina,
In campum qualis nunc deſilit. euge! venuſte
Ipſi etiam ſaliunt inverſo corpore Troës.
Haec ubi ſic fatus, celeri pede turbidus ibat
Cebrionen ſupra. qualis leo cui ſtabula alta
Vaſtanti ferro confixum pectus adacto eſt,
Attulit exitium cui virtus: talis adibas

v. 754.

Ce-

Digitized by Google

Cebrionen, Patrocle, audax: nec ſegnius Hector
Deſiluit curru ſaevis horrendus in armis.
Illi Cebrionae duram de corpore pugnam
Invadunt. gemini quales in monte leones,
Impaſti, dirumque frementes, corpore magno
De cervae horrendum rixantur: triſtia tales
Patroclusque Menetiades, & Martius Hector
Praelia contulerant de corpore Cebrionai;
Alter & alterius vibranti cominus haſta
Bellator medium cupiebat figere pectus.
Exanimum capite arripuit validaque tenebat
Fratrem dextra Hector: contra Patroclus at audax
Arripuitque pedem aſſiliens, ad ſeque trahebat.
Interea circum duro certamine Troum
Ac Danaûm pubes omni pugnabat opum vi.
Quales adverſi certant in ſaltubus olim
Montanis Euruſque Notuſque evertere ſilvam
Ingentem; faguſque, & duro cortice cornus,
Fraxinus & nutans immani turbine, longis
Mutua confligunt ramis, fiſſoque fragorem
Robore dant late horrendum; nemus omne remugit:
Tales hinc Graji, pubes hinc Dardana pugnant
Urgenturque, urgentque: neque his fuga nota, nec illis.
Stabant multa ſolo defixa haſtilia circa
Cebrionen, pulſae nervo & ſtridente ſagittae:
Multa, manu valida contorta, immania ſaxa
Pugnantum clypeos pulſabant. ille jacebat,
Ingens ingenti ſpatio porrectus, in atro
Turbine pulvereae nubis, curruſque volucres
Atque agiles flexus bellantum oblitus equorum.
Ac dum ſol medium ſcandebat celſus Olympum,
Hinc atque hinc denſo volitabant aerea nimbo

v. 778.

Tela : ſed occiduas curſum ut ſol flexit ad undas,
Trojanam Graji tandem ſolvere phalangem;
Cebrionen telis ad ſe traxere cruentum
E mediis, medioque tumultu; & pulchra tulere,
Certatim detracta humeris ingentibus, arma.
Interea ruit in Teucros Patroclus, & inſtat
Horrendum clamans, Marti par. ter citus agmen
Irruit in medium, ter ſtravit morte novenos
Ille viros. quarto at cum te, Patrocle, procellae
Aſſimilem denſos miſiſti fortis in hoſtes,
Tunc miſero niger extremi ſe terminus aevi
Oſtendit. pugna in triſti nam Phoebus Apollo
Occurrit ſubito, numen grave. Martius heros
Pugnantum in cuneis nequaquam agnovit euntem.
Septus enim denſa veniebat nube. propinquus
Hic ſtetit, averſi & dextra dorſumque humeroſque
Perculit ingenti. ſubita vertigine rapti
Circum oculi, ſummoque excuſſa eſt vertice caſſis,
Longa, coruſca, viro, rapidoque ſub ungue frementum
Cornipedum inſonuit; foedataque criſta cruento eſt
Pulvere. foedari fulgentem & denſa comantem
Ante nefas fuerat praeclaram caſſida, ſuetam
Divinumque caput magni, pulchramque tueri
Pelidae frontem: tunc Jupiter aequus eandem
Priamidae geſtare dedit, largitus honorem
Eximium, brevis ad metas quod venerat aevi.
Fracta etiam in manibus Patrocli tota minutim eſt
Haſta gravis, praedura, ingens, praefixa coruſco
Aere; ſolo cecidit clypeus, loroque revinctus
Rite habili, atque viri talos protentus ad imos;
Loricam & ſolvit magno Jove natus Apollo
Ipſe manu: at mentem juveni ſtupor occupat. artus

v. 805.

Con-

Contremuere omnes, reſolutaque membra. dolore
Amens, attonituſque animi ſtetit: ocyus ergo
Cunctantis dorſo infixit vir Dardanus haſtam,
Panthoides Euphorbus; erat qui clarus in omni
Aequaevae pubis numero, tractare vel arma,
Vel currus agitare leves per praelia, curſu
Vel pernice pedum volucres praevertere ventos.
Hic bellum petiit qua primum luce, ſub armis
Diſcere militiam exorſus, biſdena virorum
Corpora bellator curru dejecit ab alto.
Qui telum, Patrocle, tibi tunc primus adegit,
Vulnere nec ſtratum domuit tamen; at celer haſtam
Fraxineam ad ſeſe rapuit, fugitque ſuorum
Territus in turbam, nudum nec cernere contra eſt,
Atque manere auſus ſaevae inter praelia pugnae.

Patroclus, plagaque dei confectus, & alto
Vulnere, cedebat retro, ſociumque ferebat,
Effugeret ſiqua mortem, ſe tardus ad agmen.
Quem ſimul ac vidit languentem, & cuſpide corpus
Perfoſſum, ad caros veſtigia ferre ſodales,
Continuo per denſa virûm volat igneus Hector
Agmina, & aſſiſtens propior, defixit in ile
Cominus aerata praefixum cuſpide robur,
Exegitque premens per dorſum: concidit ingens
Ille ſolo, luctuque omnes turbavit Achivos.

Ut leo cum fulvus praeſtantem viribus olim
Sternit aprum pugna victum, certamina parvo
Magna ineunt ſiquando ambo de fonte, frementes
Dirum animis, cupiduſque ſitim reſtinguere uterque:
Multa Patroclum ſic Troum caede ſuperbum
Priamides, haſta confoſſum cominus, Hector
Fudit humi, vitam eripiens; idemque perempto

Homer. v. 824.

Adſtitit, ac tales effudit pectore voces:
Patrocle, Iliacam ſperaſti evertere fundo
Poſſe urbem, & captas abducere trans vada ponti
Troadas in patriam, demens, quas uſque tuentur
Hectorei, curſu in pugnam pernice ruentes,
Alipedes; haſtaque haud ceſſo inſignis obire
Praelia, ſervitium triſte arcens, Marte feroces
Inter primus ego Teucros. te dira minatum
At fruſtra, heic avidi, nullo prohibente, vorabunt
Vulturii. infelix! cui nil bello acer Achilles
Profuit; ad pugnam tibi qui mandavit eunti
Haec, reor: Ante cavas mihi ne, Patrocle, redito
Ad naves, ferro quam ſcindas victor acuto
Hectoreum thoraca, artuſque cruore madentes.
Talia mandavit, credo, cum praelia inibas,
Atque animum vecors vecordi movit inanem.
Ille refert, alto languens a vulnere, & aegram
Ore trahens animam: Gaude, Hector, parce ſuperbus
Nec facinus jactare tuum. tibi nanque ſupremus
Jupiter, & magnus laudem conceſſit Apollo;
Qui me ambo divi nullo domuere labore
Mortalem. arma graves illi mihi numine laevo
Detraxere humeris. biſdeni adverſa tuliſſent
In me tela viri nam ſi tibi ſcilicet, Hector,
Aſſimiles, cunctos domuiſſet nae mea leto
Haſta ſimul: ſed Parca gravis, Latonia ſed me
Confecit primo proles, tum deinde virorum
E numero Euphorbus; tu nunc me tertius armis,
Confoſſum, ſpolias. aliud tibi nunc ego verax
Dicam: tu memori dictum ſub pectore conde.
Nec tibi vita diu procedet. jam tibi triſte
Impendet capiti letum, & mala Parca, domando
v. 853.

Invictaque manu, fatali & cuſpide Achillei.
Haec ſantem involvens nigra mors obruit umbra,
At volucri lapſu membris digreſſa petivit
Orcum anima, aegra ſuam ſortem flens, atque relictae
Lugens purpureumque decus vireſque juventae.
  Exanimem hunc, tamen affatur ſic inclytus Hector:
Tu mihi triſte canis letum, Patrocle; ſed ante,
Formoſae Thetidis dium genus, altus Achilles
Ipſe mea quid ſi vitam efflet fixus ab haſta?
  Sic ait; extraxitque alto de vulnere telum,
Stratum calce premens corpus; retroque ſupinum
Repulit aerata propulſum a cuſpide. quaſſans
Hinc haſtam, curſu rapido petit Automedonta,
Magnanimum Aeacidae famulum, demittere & ipſum
Leto avidus: nati divino at ſemine, Peleo
Caeleſtes dederant quos magno in munere divi,
Abſtulerunt certa ſervatum a morte jugales.

HOMERI ILIADOS

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

MAgnanimum haud latuit Menelaum ſtratus acerba
Morte Menetiades; claro qui horrendus in aere
Provolat ante aciem primam, gelidumque jacentis
Corpus obit. Qualis partu modo functa recente
Mater obit vitulum, primos tum paſſa labores
Lucinae, duri nixus ante inſcia, proli
Permetuens, querulis implens mugitibus auras;
Talis Patroclum circa bonus it Menelaus.
Proque viro clypeumque ingentem opponit, & haſtam
Quaſſat, morte parans dejectum ſternere, quiſquis
Obvius arma ferat; Panthi ſed filius audax,
Patroclum ut vidit ſtratum celer advolat; ipſum
Et prope ſtans corpus, Menelaum his increpat ultro.
Atride Menelae, genus Jovis, atque virûm rex,
Iſtinc cede procul; gelidum ne attinge cadaver.
Exuvias mihi linque cruentas. me prior inter
Praelia Patroclum nemo nam vulnere laeſit
Vel Tros, vel ſocius. victorem praemia pugnae
Ferre ſine, in Teucris multa & clareſcere laude.
Cede, iterum hinc, moneo, ſtulta ne mente furenti
Eripiam dulcem, transfoſſo pectore, vitam.
Infremuit, gemituque Atrides talia reddit:
Jupiter ut foeda eſt ventoſae gloria linguae!
Non pantera, leo non efferus, aut aper audax
Dira fremens, tantum ſpirant; nec pectore tantos
Verſant forti animos confiſi robore, quanta

v. 23. Bru-

Brutum Panthoidis inflat fiducia pectus.
Sed neque belligerum vires Hyperenora, nec flos
Aetatis, magnique animi juvere, feroci
Marte mihi eſt auſus cum ſe conferre, pudendis
Nec timuit probris venientem inceſſere, inertem
Ille vocans, mollemque animi, Grajiſque fugacem
Prae cunctis. nec enim, rediens pedes in ſua tecta,
Uxorem, & caros juvit, reor, ille parentes.
Te quoque ſors eadem manet, improbe, ſi mihi ſtabis
Adverſus. procul hinc, moneo, ſecede tuorum
In turbam vitaque malum, re doctus ab ipſa
Stultus enim diſcit ſero, cum diſcere fruſtra eſt.
  Talibus Atrides inſtantem ac torva tuentem
Increpuit: nec dicta virum flexere. viciſſim
Magnanimo tales reddit qui pectore voces:
  Poenam ergo, Menelae, meo dabis, inclyte, fratri,
Quem ſtraſti juvenem leto, jactaſque peremptum.
Cui ſponſam in thalamo viduaſti, ſaeve, recenti,
Merſiſti & luctu infando ac moerore parentes,
Queis ego jam miſeris longi ſolatia fletus
Magna feram, abſciſſumque caput, tuaque arma revertens
Si tulero, inque manus Pantoque, & Phrontidi ponam.
Verum age, jam durum ferro tentare laborem
Tempus adeſt, dubiumque alacres invadere Martem.
Haec fatus, clypeum adducta ferit incitus haſta;
Nec tamen aes rupit; cuſpiſque umbone reflexa eſt
In ſolido. Atrides Menelaus, mente precatus
Ille Jovem, ſaevo contra irruit aere ſecundus;
Cedentem & retro collum percuſſit in imum,
Atque manu impellens, transfixo gutture, ferrum
Parte alia exegit molli e cervice cruentum.
Concidit; arma ſuper magno inſonuere fragore.

v. 50.

Cae-

Caeſariem, Charitas quae poſſet pulchra decere,
Purpureus largo perfudit flumine ſanguis,
Cirrorum & plexus argento auroque revinctos.
Agricola ut prolem late frondentis olivae
In ſolo educit ſepto, qua purus aquae fons
Arva rigat, pulchram, fundentem germina; vertex
Cui nutat placidis perflatus leniter auris,
Et multo candent flore omnes undique rami;
At ſubitus veniens immani flamine turbo
Stravit humi ex imis radicibus exturbatam:
Sic haſta inſignem tunc Panthoiden Euphorbum
Atrides Menelaus, acuta cuſpide leto
Dejectum, victor ſpoliabat fortibus armis.
Ac velut in celſis nutritus montibus audax
Cum leo vi fretus paſcentem in valle juvencam,
Armenti decus, arripuit; fregitque tremendo
Dente ferox primum cervicem, hinc viſcera ſaevus
Dilaniat ſuperaccumbens, hauritque cruorem;
Multa canes latrant longe, longeque magiſtri
Clamores tollunt vaſtos; verum obvia ferre
Arma timent; gelidus cepit praecordia terror:
Sic nulli eſt animus, virtuſque in pectore praeſens,
Cominus adverſis Menelaum invadere telis.
Jamque adeo facile exuvias, ſpolia ampla, tuliſſet,
Euphorbi detracta humeris: at magnus Apollo
Eximiam invidit laudem, ſaevoque repente
Mavorti ſimilem contra impulit Hectora, vocem
Ille, ducis Ciconum, ſimulans & corpora Mentae.
Nec mora ſtans propior volucri ſic voce profatur:
Hector tu fruſtra curſus heic curris inanes,
Belligeri & ſectaris equos per plana volucres
Aeacidae, tractare feros & flectere habenis

v. 77.

Quos

Quos homini durum eſt mortali, praeter Achillem
Eximium, Peleo mater quem diva creavit.
Interea Atrides Patrocli ad corpus acuto
Aere tibi ſocium ſtravit Menelaus, ad arma
Trojugenum fuerat nemo quo fortior uno,
Panthoiden Euphorbum. Haec poſtquam eſt fatus Apollo;
Digreditur, mediiſque virûm ſe immiſcuit armis:
Hector at indoluit caſu turbatus acerbo;
Perque acies ac tela acri circum omnia viſu
Obſervans, videt hunc humeris rapere inclyta ovantem
Arma, hunc exanimem nigra in tellure jacere;
Ibat cui roſeus lato de vulnere ſanguis.
Nec mora, procurrit fulgentibus acer in armis,
Horrendum clamans, furiiſque incenſus, & igni
Aetnaeo ſimilis, nudus quem Mulciber uſque
Verſat inexſtinctum. venientem, & voce minantem
Horriſona, ſenſit longe Menelaus, & altum
Ingemuit; dubiuſque animi, trepiduſque pericli,
Talia magnanimo ſecum ſub corde volutat:
  Hei mihi! pulchra hoſti ſi nunc ſpolianda relinquam
Arma & Patroclum, me propter caede cruenta
Qui domitus jacet heic, Danaum pudet, atque fugacem
Eſt metus excipiant ne probris: Hectora ſolus
At ſi conſiſtam contra Teucroſque pudore
Victus, permetuo a multis ne jam opprimar unus.
Troas enim huc ſecum rapit omnes efferus Hector.
Sed quid ego haec autem? laevo qui numine cunque
Congreditur, pugnatque viro, largitur honorem
Cui Deus, huic miſero ſupra caput ocyus ingens
Volvitur exitii moles. reprehenderit ergo
Haud quiſquam Danaûm, qui me ceſſiſſe videbit
Priamidae, quem ſaeva cient in praelia divi.

v. 101.

Aja-

Ajacem quod ſi nanciſci Marte ferocem
Contingat, reduces ambo pugnabimus ipſos
Vel contra divos, gelidum ſi forte cadaver
Extractum e turba dio ſervemus Achilli,
Exiguum ingentis curae luctuſque levamen.
Talia dum ſecum verſat ſub corde, cohortes
Iliacae adventant, praeit Hector: tuta capeſſit
Ille pedem referens, gelidoque a corpore cedit,
Reſpectans. Qualis torvus leo craſſa comanti
Horrens colla juba, longe a praeſepibus altis
Atque viri atque canes quem vaſta voce frequentes,
Ac denſis urgent telis; huic fortia corda
Anguntur, ſtabuliſque excedit moeſtus opimis:
Talis Patroclum flavus liquit Menelaus.
Inde ubi jam ſocium cedens pervenit ad agmen,
Converſus rurſum ſtetit, ac circumtulit acres,
Denſam aciem luſtrans, oculos, cupidoque requirens
Lumine magnanimum Ajacem Telamone creatum.
Nec longum in medio tempus, videt ecce ſiniſtro
Bellantum in cornu firmantem ad fortia turmas,
Hortantemque viros dura in certamina; magnum
Terrorem intulerat cunctis nam Phoebus Apollo.
Ergo illuc celeri curſu impiger advolat, ac ſtans
Ad latus, has trepido ſudit de pectore voces:
Ajax, dulce caput, celera, ſi forte perempti
Ambo Patrocli pariter ſervamus Achilli
Exanimum ſaltem corpus: Mavortius arma
Nanque viro detracta ſibi jam vindicat Hector.
Sic fatus, regi penitus praecordia movit
Magnanimo. per prima Ajax ruit agmina; flavus
It comes, ac durum repetit certamen Atrides.
Hector Patroclum pulchris ſpoliaverat armis,

v. 125. Et

Et nudata manu ſaevus jam membra trahebat,
Aere caput properans humeris abſcindere acuto,
Raptatumque feris canibus donare cadaver:
Ingens cum ſubito ſeſe Ajax obtulit, amplam
Ceu turrim, clypeum praeportans. territus Hector
Continuo retulitque pedem, ſociûmque receſſit
In cuneos trepidus; ſaltu & pernice paratum
Inſilit in currum, fulgentiaque arma, perempti
Exuvias, Teucris dat muros ferre ſub altos,
Victori decus eximium, monumentaque laudis.
Patroclum ingenti ſcuto ingens contegit Ajax,
Statque truci horrendus vultu. ceu cum leo parvam
It circa prolem; ſilvae cui luſtra per altae
Dum teneros ducit catulos manus obvia ſeſe
Venantum oſtendit: viſu trux flammea torquet
Lumina; demittitque ſupercilium, ac tegit atra
Nube oculos, pugnaeque parat ſe turbidus: Ajax
Haud aliter circa Patroclum interritus ibat.
Quem prope magnanimus ſtabat Menelaus, & ora
Suſpirans lacrimis madefacta rigabat obortis.
  Interea Lyciae dux gentis, Martia proles
Hippolochi, Glaucus, torvo dium Hectora vultu
Aſpiciens dedit has irato e pectore voces:
  Hector forma alios praeſtas, non Marte, nec armis;
Atque fugax, fortis falſo audis. nunc age tecum
Verſa, urbem civeſque tuos qua denique ſerves
Solus cum Teucris. Lycia de gente virorum
Nemo ire in Danaos poſthac, veſtraſque tueri
Quippe volet ſedes. nobis nam nulla relata eſt
Gratia, & incaſſum longi periere labores
Pugnantum aſſidue, duro & ſub Marte gementum.
Tune alium eripiaſque hoſti ſerveſque minorem,

Improbe, qui, junctum ſociali foedere, junctum
Dulcis amicitiae vinclo, Sarpedona praedam
Liquiſti Argivis? magnum Sarpedona, qui te
Auxilio toties ipſumque urbemque levavit.
Huic avidos tu arcere canes a corpore ſaltem
Exanimi haud auſus? Lycia de gente jubenti
Nunc igitur mihi ſi quis pareat, ocyus omnes
Ire domum jubeo. veſtram defendite ſoli
Vos urbem, cui fata parant extrema ruinam.
Quod ſi vera animo virtus, ſi pulcher ineſſet
Ille ardor Teucris, mentes qui corripit olim
Impavidas & corda virûm, durum urbe laborem
Pro patria, ſaevaeque ineunt qui praelia pugnae;
Patrocli poſſet, raptum facto agmine, corpus
Iliacam intra urbem condi. pertractus in urbem
Si modo Patroclus fuerit, Sarpedonis arma,
Atque ipſum reddent Graji, praedamque rependent
Confeſtim praeda. nam ſtratus morte miniſter
Illius eſt, Grajos qui pollet fortior unus
Ante omnes, ductatque invictae robora pubis.
At tu magnanimum Ajacem conſiſtere contra,
Aſpicere aut recto venientem lumine non es,
Nec pugnare auſus: multo eſt nam fortior ille.
Haec Glaucus: torvo cui vultu Martius Hector:
Cur talis tu vir tanto iſthaec verba locutus
Faſtu es? Glauce, viris prudenti corde putabam
Te praeſtare equidem longe omnibus, arva feracis
Qui Lyciae foecunda colunt: nunc mentis, amice,
Eſſe inopem duco, ſtulte qui talia jactas;
Meque ais Ajaci vaſta ſe mole ferenti
Haud obſtare auſum. ſed me nec tela virorum
Terrent, nec ſtrepitus pulſa tellure volantum

v. 175.

Cor-

Cornipedum : at magni nutus Jovis omnia vincens .
Ille virum , cum vult , fortem fugat , ac decus aufert
Victori ; atque idem , cum vult , ciet aequus in arma .
Verum age , ſta propior pugnanti , atque adſpice durum
Martis opus . noſces an tota luce futurus
Sim , qualem dicis , timiduſque , fugaxque : ſuperbum
Viribus anne aliquem Danaûm , belloque furentem ,
Patrocli ne jam pugnet pro corpore , ſiſtam .
  Sic ait , atque ſuas magno clamore phalanges
Hortatur , dictiſque omnes inſtigat in hoſtem :
  O Troës , Lyciique , & pubes Dardana , nunc nunc
Eſte viri ; ſubeat nunc pugnae corda cupido ,
O ſocii ; validas cuncti nunc promite vires ,
Pulchra ego Pelidae fortis dum ſcilicet arma
Induar , exuvias , Patrocli a corpore victor
Quas rapui , ſpolians , leto mea quem dedit haſta .
  Haec ubi dicta , gradum celerans Mavortius heros
Digreditur triſti a pugna , curſuque citato
Haud longe aſſequitur ſocios , qui pulchra ferebant
Arma procul fortis Pelidae , ac tuta petebant
Moenia . tum , pugnae longe a certamine , mutat
Arma armis . ſua dat Teucris nam ferre ſub arces
Iliacas , humeris ſibi fortibus induit ipſe
Arma citus magni Aeacidae caeleſtia , Peleo
Quae patri munus quondam tribuere beati
Caelicolae ; gnato ſenior dedit ille ; ſenectae
At finem in patriis gnatus non attigit armis .
  Hunc magnus , caelo nubes qui congregat alto ,
Jupiter ut vidit divinis fulgere in armis
Pelidae , quaſſans caput infit talia ſecum :
  Infelix ! nequaquam animo tibi nigra ſubit mors ,
Illa tuo impendens capiti ; verum induis arma

v. 202.

Dia viri, tremefacto alii quem bella gerentem
Corde horrent. olli victor fortemque bonumque,
Nil tibi tu metuens, ſtraviſti morte ſodalem;
Armaque, dedecorans caeſum, capitique humeriſque
Detraxti. magnum ſedenim tibi largiar ultro
Nunc decus, & fatum penſabo triſte: reverſo
Nec tibi enim Andromache poſt praelia dura paternam
In ſedem, occurret, magnique arma inclyta Achillei
Excipiet gaudens. Haec ſecum Jupiter aequus;
Atque, ſupercilium demittens, dicta potenti
Firmavit nutu. Hectoreis arma omnia membris
Congruerunt, apte corpus complexa; cruentus
Mars animum ſubiit penitus, roburque vigoremque
Artubus infudit mirum. tum ſuſtulit altum
Clamorem exſultans, ſociumque reverſus in agmen,
Pelidae ſimilis, caeleſtibus acer in armis
Horrendum late fulgebat. nec mora, laetus
Cuncta obit; atque viros animis audacibus implet,
Meſthlenque, Glaucumque, Medontaque, Therſilochumque,
Aſteropaeumque, Diſenoraque, Hippothoumque,
Phorcynque, Chromiumque, & ſuetum fata deorum
Ennomon augurio, caſuſque aperire futuros.
Hos ita vociferans in praelia concitat Hector:
 Audite, o ſocii, quos huc, tot milia, gentes
Finitimae auxilio miſerunt; non ego turbam,
Et numerum quaerens veſtris vos urbibus orans
Excivi: at pueros matreſque ut corde volenti
Iliacas Marte a Grajo ſervetis. opimis
Idcirco haud parco donis, epuliſque, meorum
Atque meam abſumens rem largus, veſtraque curans
Commoda, voſque bonis magis & magis omnibus auctans.
Ergo aliquis mihi nunc, converſa fronte, phalanges

v. 227.

Ir-

Irruat in Danaûm, certus vel perdere, dulcem
Vel ſervare animam: nanque haec commercia belli.
Patroclum, ſi quis rapiens at pertrahat agmen
In Troum, magnuſque viro ſi ceſſerit Ajax,
Olli dimidias tribuam, mihi victor habebo
Dimidias ipſe exuvias; aequetur honore
Ut mihi, parque ferat decus, & praeconia laudis.
  Sic ait: hi magna ſe denſi mole ferebant
In Danaos recta, infeſtis manus horrida telis;
Fidenteſque animi ſperabant poſſe cadaver
Ajaci Telamoniadae vi demere, raptum
Ad ſeſe: amentes; multos nanque ille virorum
Morte ſuper ſtravit, confoſſos cuſpide ahenâ.
Qui, ſimul ac magno venientes agmine Teucros
Proſpexit, fortem prior his compellat Atriden:
  Dulce caput Menelae, Jovis genus, inſtat utrique
Grande malum, ac metuo ne pugna evadere ſalvis
Ipſis haud liceat nobis: de corpore nec tam
Patrocli timeo, Troum fortaſſe vorabunt
Cui diſcerpta canes, & ſaevae membra volucres,
Quam capiti ne triſte meo fatum ingruat, angor,
Atque tuo; denſa belli ſic undique nube
Involvit campos Hector, dirumque propinquat
Exitium ambobus. primos citus ergo vocato
Grajugenum auxilio, ſi quis forte audiat uſquam.
  Haec Ajax; dicto paret Menelaus, & alta
Voce vocans Danaos inclamat, prima virorum:
  O ſocii, o quotquot Danaûm regeſque duceſque;
Atridae quicunque Agamemnonis, & Menelai
Solemnes celebrant epulas & vina vocati,
Ac praeſunt populis, ductantque in praelia turmas,
Eximio inſignit quos Jupiter altus honore.

v. 251.

Non

Non ego diſpicere in medio certamine poſſum
Quenque ducum; tantae Mavors incendia pugnae
Suſcitat : aſt aliquis veniat vel ſponte, nec eſſe
Ludibrium canibus Patroclum in litore lentus
Iliaco ſinat. Haec magno clamore profatum
Fortis Oilides bello celer audiit Ajax ,
Primus & ad vocem ſeſe tulit impiger, inter
Denſa virûm currens citus agmina. deinde ſecuti
Una ambo, rex Idomeneus regiſque miniſter
Meriones, torvo Marti par. cetera nam quis
Nomina tot dicat, poſt hos in ſaeva ruentum
Praelia certatim rurſus, Martemque cientum ?
Incurrunt primi Troës, praeit inclytus Hector.
Ut quondam ingentis circum oſtia magna fluenti,
Jupiter effuſo quem concitat horridus imbri,
Unda maris fluvium contra fremit, atque repulſum
Rejicit eructans : ripaeque & litora vaſto
Curva boant ſonitu : ſic Troum clamor ad auras
It late gliſcens. Argivi exſangue cadaver
Circumſtant, ſepti clypeis, atque aere coruſco,
Unanimes. quorum galeis fulgentibus atram
Offudit nubem Saturnius. ille nec ante
Patroclo infenſus, dulcis dum vita manebat,
Aeacidae famulo fuerat; nec membra perempti
Tunc Phrygiis praedam canibus tulit eſſe; ſed acres
Ferre viro auxilium bonus impulit ipſe ſodales.
Incurrunt primi Troës, ſubitoque tumultu
Argivos pepulere loco : ceſſere cadaver
Linquentes trepida capti formidine. quenquam
Nec ſtravere tamen Teucri; clamore trahebant
Tantum ad ſe magno Patroclum. abſterrita pubes
At manſura diu longe haud erat : ocyus omnes

v. 278.

Nanque loco ſtatuit, vertitque acerrimus Ajax,
Corporis & ſpecie, factis & fortibus omnes,
Pelida excepto, qui longe anteibat Achivos.
Turbidus ille aciem primam ſecat, ac ruit hoſti
Obvius. Agreſtis magno ceu robore quondam
Fertur aper; torvuſque canes in montibus altis,
Florentumque agmen juvenum fugat, horridus ut ſe
Convertit per denſa ruens virgulta; cohortes
Sic Telamoniades Ajax, quaecumque corona
Patrocli denſa medium cinxere cadaver
Diſſipat incurſans, Teucros nec laude potiri,
Abreptamque ſinit praedam inde ad moenia ferre.
Hippothous Lethi proles praeclara Pelaſgi,
Lora pedem ad ſummum nectens, exſangue trahebat
Per mediam corpus turbam, magno ille probari
Priamidae cupiens Teucriſque. aſt ingruit ipſi
Triſte malum ſubito, nec mortem arcere cruentam
Optanti quiſquam potuit. Telamonius heros,
Per turbam per tela ruens, nam cominus haſtam
Fulgentis fixit galeae per ahenea ſepta.
Sciſſa viro eſt penitus ferrata cuſpide caſſis,
Et telo ingenti, valido & percuſſa lacerto,
Purpureus lato confeſtim e vulnere ſanguis
Emicuit, miſto diffuſus in arma cerebro;
Collapſique artus, amiſſo robore; peſque
Excidit e manibus; tum ſupra cernuus ipſe
Concidit exanimum corpus, vitamque reliquit
Lariſſa longe a pingui; caroſque parentes
Haud potuit juviſſe, vicem nec reddere, vitam
Lege brevem dura Parcarum nactus, & aevo
Florente Ajacis magni confoſſus ab haſta.
Tum petit Ajacem ſtridenti cuſpide ſaevus

Priamides : vidit veniens telum ille per auras ,
Et flexo paullum declinans corpore ceſſit .
Iphiti prolem Schedium (fortiſſimus inter
Phocaeos fuit hic proceres , claro in Panopeo
Tecta colens dives regalia , multaque fraenans
Imperio invictae bellator milia pubis)
Huic haſtam ad jugulum defixit , ahenea ſummo
Evaſit tergo cuſpis trajecta : fragorem
Ille dedit , ſuper arma virum inſonuere cadentem .
  Phaenopis egregiam prolem Phorcyna , cadaver
Dum tegit Hippothoi , ventrem Telamonius Ajax
Per medium incurrens ingenti perculit hoſta ,
Atque cavum rupit penitus thoraca . ſub altum
Cuſpis abit corpus crudeli vulnere , & haurit
Ilia : tellurem palmis & pectore planxit
Ille cadens . primi Troum , & Mavortius Hector
Intremuere artus , retro & ceſſere : dederunt
Clamorem Argivi horriſonum, Phorcynque peremptum ,
Hippothoumque citi traxere , atque aërea texta
Armorum ſolvere humeris , laetique tulere .
  Jamque adeo Teucri Grajo ſub Marte ſubirent
Iliacos trepidi muros , ac tuta domorum ,
Ignava mentem capti formidine , ferrent
Eximiam & Danai virtute ac robore laudem
Praeter fata Jovis : ſed fortem in praelia Phoebus
Ipſe ciet ſubito Aeneam , faciem Periphanti
Epytidae ſimilis ; praeco illi fidus in aede
Qui patria , prudens rerum doctuſque parente
Cum ſene conſenuit . ſimulans hunc Phoebus Apollo
Adſtitit Aeneae ; dictiſque ita fatur amicis :
  Aenea , nam quî fato altum vel ſine divis
Ilion eriperes tuque & Trojana juventus ?

v. 328.

Quod

Quod facere ipſe alios vidi olim, robore fretos,
Et virtute ſua, & numero, nactoſque timoris
Expertem populum; ſi nunc, victoria nobis
Cum datur, haud aequo Danais Jove, corda pavore
Perculſi fugitis, torpentque ad praelia vires?
Sic ait: ille deum cernens agnovit, & altum,
Ad ſocios, dium & converſus ad Hectora, clamat:
O Hector, primi o Troës ſociique, fugatos
Turpe ſuat, Grajo domitos & Marte ſubire
Moenia, & Iliacas intra nos condere turres.
En mihi delapſus caelo deus adſtat ab alto,
Atque docet, nutu qui temperat omnia, nobis
Auxilio eſſe Jovem. fortes invadite pugnam
Ergo, viri, recta in Danaos & denſa feramus
Arma iterum, ſaltem, vacui cura atque labore,
Patrocli condant raptum ne in caſtra cadaver.
Haec fatus, primam ante aciem prorupit, & acer
Conſtitit. at Troës magno clamore ſecuti
Convertere fugam, Grajiſque infeſta tulere
Arma omnes. longa primus transverberat haſta
Magnanimum Aeneas Leocriton, armipotentis
Germen Ariſbantis, clari ſocium Lycomedis.
Martius hunc miſerans Lycomedes morte peremptum,
Continuo propiuſque virum ſtetit, & jacit haſtam,
Ac ferit Hippaſiden Apiſaona per jecur alto
Vulnere, paſtorem populorum; genuaque ſolvit.
Venerat hic Trojae ſacras bellator ad arces
Paeonia e pingui magni comes Aſteropaei,
Deterior paullo virtute ac fortibus armis.
Exſtinctum hunc miſerans Mavortius Aſteropaeus
Provolat, ipſe etiam cupiens invadere pugnam
Et conferre manum: fruſtra; Graji undique denſis

Homer. v. 354. Ggg Jam

Jam ſepti ſtabant clypeis, praeque aere micantes
Tendebant haſtas Patrocli ad corpus. obibat
Omnes nanque Ajax, inſtans hortatibus, uſquam
Cedere nec retro quenquam, procurrere in hoſtem
Nec quenquam, & ſolum ante alios pugnare ſinebat:
Uno omnes at ſtare loco, mediumque cadaver
Protegere infeſtis orabat cominus haſtis.
Haec praecepta ingens dabat Ajax. terra cruore
Purpureo perfuſa madebat, denſa cadebant
Corpora Trojugenum ſociûmque, & pubis Achaeae.
Haud etenim Argivis ibat ſine ſanguine pugna;
Argivûm at numerus longe minor aere peribat
Vulnifico, memorum ſemper ſibi ferre viciſſim
Auxilium, & pugnae junctis tolerare laborem
Viribus, ac durae caſus avertere mortis.
  Sic, flammae ſimiles ardenti, praelia ſaevae
Miſcebant pugnae. caelo Solemque putares
Auricomum, Lunamque una periiſſe: premebat
Sic pugnam nubes condenſo pulvere, primos
Et Danaûm, circumſtabant quicunque cadaver
Triſte Menetiadae. nulla caligine ſepti
Parte alia Grajorum alii Troumque ſereno
Martem exercebant caelo: fulgebat acutis
Late Sol fuſus radiis, non montibus ulla
Uſquam, non campis nubes. nec pugna vigebat
Uſque, ſed abſtantes longe volitantia tela
Luctificoſque arcus vitabant. gentis Achivae
Flos triſtem in medio aerumnam longumque laborem
Durabant bello, denſa caligine preſſi,
Et circum aeratis pulſati cominus haſtis.
  At duo magnanimi juvenes, clariſſima Grajûm
Lumina, Neſtoridae, Thraſymedes Antilochuſque,

v. 377.

Non-

Nondum etiam audierant Patroclum extrema tuliſſe
Fata, ſed in primo vivum pugnare tumultu,
Trojugenum & caedi victorem inſtare putabant.
Nam, converſa fuga poſtquam videre ſuorum
Agmina, pugnabant ſeorſus: mandarat utrique
Hoc etenim Neſtor, gnatos hortatus amice
Navibus a curvis genitor cum miſit in arma.
Hi procul ergo aberant; aliis certamen at ortum
Grajorum primis fuerat grave, luce dabatur
Nec tota requies feſſis; ſudore madebant
Crura, genuque, pedeſque, manuſque, oculique, cadaver
Confertim ad famuli pugnantum bellipotentis
Aeacidae, Troaſque arcentum atque Hectora dium.
Ac velut, ingenti cum vir derepta juvenco
Terga dedit turbae juvenum, & manantia multo
Pingui certatim manibus diſtendere juſſit;
Illa operi ſeſe accingit; diverſaque in orbem
Vi trahit: extra humor citus effluit, imaque fuſum
Pingue ſubit tractu valido; terga undique ſeſe
Extendere: trahunt gelidum certamine magno
Sic Danai corpus Teucrique, arctata puſillo
Turba ingens ſpatio; ſpeſque his ad moenia raptum
Pertrahere, his curvas ad naves. durus utrinque
Exoritur, fervetque labor ſine fine: cruentus
Nec qui bella ciet Mavors, Tritonia Pallas
Nec vires, magnoſque virûm reprehenderit auſus
Contemplans, ira quamvis commota furenti.
Durum luce illa pugnae ſic ipſe laborem
Jupiter intendit Patrocli ad triſte cadaver.
  Necdum etiam forti Pelidae fama ſodalis
Venerat exſtincti: nam longe a puppibus altos
Trojae pugnabant ad muros. ergo, peremptum

Ignorans, retro ſperabat, limine tacto
Portarum, incolumem venturum in caſtra. ſciebat
Nanque viro non poſſe capi, nec ſe ſine, Trojae
Moenia, nec ſecum; mater quod caerula ſoli
Dixerat, illa Jovis referens arcana ſupremi
Conſilia: aſt miſerum genitrix celaverat alma
Dilecti ante alios omnes de morte ſodalis.

Illi haſtas circa exanimum ſaevo aere micantes
Protendunt, contraque obnixi mutua ſeſe
Hinc atque hinc urgent, nec ceſſant ſternere leto.
Atque aliquis Grajûm furiato haec pectore fatur:

O ſocii, nobis hinc turpe in caſtra reverti;
Nigra ſinu vaſto nobis heic terra dehiſcat
Omnibus. id ſatius multo eſt, quam ferre ſuperbis
Hunc tolli a Teucris ingenti non ſine laude.

Contra aliquis Troum bellator talia clamat:
O ſocii, hunc juxta, vel ſi fatale domari
Omnibus eſt leto, pariter pugnemus, & hoſti
Nemo loco pulſus cedat, Martemve remittat.
Sic aliquis ſocios clamans incendit in arma.
Gliſcit pugna atrox, ferri ſonor aerea pulſat
Caelorum convexa altas ſublatus in auras.

Aeacidae interea diverſa in parte jugales,
Egreſſi turba e media, bellique tumultu,
Flebant, aurigam ut primum ſenſere cruenta
Priamidae foedo proſtratum in pulvere dextra.
Illos Automedon, Dioreos inclyta proles,
Urgebat, celerique attingens terga flagello,
Et blandis hortans verbis, terrenſque minaci
Voce iterum atque iterum increpitos: nec caſtra reverti
In Danaûm, latus qua tenditur Helleſpontus,
Illi, nec triſti ſe bello inferre volebant;

v. 433.

Sed, velut immotae ſtant vaſta mole columnae
Buſta viri ſupra vel ſupra buſta puellae;
Sic ſtabant curru juncti, dejectaque terrae
Admorant capita; ex oculis per moeſta tepentes
Ora ibant grandes lacrimae flentum ſibi rapti
Aurigae deſiderio; juba denſa comanti
Crine jugum propter circlis elapſa fluebat
Horrens, fuſa jacens immundo in pulvere. divûm
Hos coelo rex conſpectos miſeratus ab alto eſt;
Et quaſſans caput, haec tacito ſub pectore ſecum:
Heu miſeri, indignique ambo ferre iſta! ſenectae,
Mortis & expertes cur nam vos numina quondam
Mortali dedimus Peleo? luctuſque laboreſque
Anne hominum ut miſera duros cum gente feratis;
Qua nulla eſt curae ſubjectior, atque dolori
Aerumnaeque, omni e numero, quaecunque liquenti
Veſcunturque aura, terreſtri & corpore ſerpunt.
Attamen haud patiar vobis, pulchroque potitum
Hectora Priamiden curru vectarier. arma
Non ſatis eſt indutus habet quod rapta? ſuperbis
Quod tumet exuviis, fama & ſe jactat inani?
Quin ego nunc vobis, artuſque animoſque vigore
Complebo indomito, raptum ut ſervare volucri
Automedonta fuga liceat, curvaſque referre
Incolumem ad puppes. Teucris decus addere nam ſtat
Majus adhuc, Danaos ut ſternant caede, carinas
Dum tandem veniant ad celſas, Solque reviſat
Oceanum, & ſacra terram nox contegat umbra.
Sic ait; invictumque pater per membra vigorem
Afflat equis: alacres, excuſſo pulvere, denſas
Arrexere jubas, Troumque per agmina, perque
Agmina Grajugenum currum rapuere ſonantem.

v. 458.

His,

His, quamvis cari turbatus morte ſodalis,
Automedon vectus ruit inter praelia; qualis
Anſeribus vultur mixtus; curſuque volucri
Nunc turba e Teucrûm refugit, nunc rurſus eodem
Involat, ac trepidum turbat, verſo agmine, vulgus:
At non caede viros ſternit, dum terga ruentum
Turbidus inſequitur. nec enim ſacro licet uni
In curru vibrare haſtas, & ducere fraena.
  Hunc, luctu attonitus curſu dum fertur inani,
Alcimedon tandem, Laërcei clara propago
Aemonidae, vidit; ſtans & poſt terga, calentem
Et currum, dictis affatur talibus ultro:
  Automedon, iſtud quiſnam tibi futile divûm
Conſilium injecit, mentemque exemit? in hoſtem
Incurſas medium ſolus; cui morte ſodalis
Stratus: at Aeacidae gerit Hector clara ſuperbus
Arma humeris, partoque tumens exſultat honore.
  Magnanimus contra Automedon huic talibus infit:
Alcimedon, quiſnam bellaces inter Achivos
Par tibi noſſe animos & mores morte carentum
Cornipedum, praeter Patroclum, vivus agebat
Qui prius indomitos par divis: nunc mala Parca
Oppreſſit miſerum, viridique exſtinxit in aevo.
Ergo age, lora manu cape tu, longumque flagellum:
Aſt ego deſiliam curru, pugnamque capeſſam.
  Haec ubi dicta, citum Alcimedon celer inſilit axem,
Docta lora manu capiens, longumque flagellum:
Deſilit Automedon. quos longe proſpicit Hector,
Et lateri adſtantem laetus compellat amicis
Extemplo Aenean dictis, ac talia fatur:
  Belligerae Troum gentis bone ductor, & auctor
Conſilii ſapiens, Aenea, fortis Achillei

v. 485.

Con-

Conſpicor en bijugos prodire in praelia, inertes
Et ſimul aurigas: hoc ſpes eſt poſſe potiri,
Si modo vis forti ſocium te adjungere coepto.
Audebunt nec enim contra nos obvia ferre
Arma, loco nec ſtare, acri & contendere Marte.
  Talia Priamides, Anchiſae at Martia proles
Obſequitur dictis. humeros protectus uterque
Taurino graditur tergo ſolidoque, levique,
Multiplici ſuper inducto conſtraverat aere
Quod faber, omnigenos bello munimen ad ictus.
Una ibant Chromiuſque ingens, ſimiliſque deorum
Aretus; certaeque viros demittere morti
Sperabant, bijugoſque alta cervice ſuperbos
Excipere, ac ſecum patrias abducere ad arces.
Dementes! nec enim ſine caede ac ſanguine multo
Ferre gradum retro a magno Automedonte licebit.
Ille Jovem ſupplex non caſſa in vota vocavit,
Complevitque altum vi, firmo & robore pectus;
Tum celer hac fidum compellat voce ſodalem:
  Alcimedon, ne longe abſta, ſed terga propinqui
Fac mihi cornipedes afflent. non ante furoris
Hector nanque modum ſtatuet, pugnaeque, ſuperbus
Aeacidae quam ſcandat equos, me teque perempto,
Argivamque aciem turbet; vel, quod reor, ipſe
Confoſſus primos inter det ſanguine poenas.
  Haec ait, atque ambo Ajaces vocat, ac Menelaum:
Ajaces Danaûm ductores, & Menelae,
Patrocli exanimum corpus ſervare jubete,
Proque viro pugnare, hoſtique obſiſtere Grajos
Praeſtantes virtute alios: vos triſtia vivis
Ocyus at nobis fata o depellite. nanque
Huc rapido adventant curſu per tela viroſque

v. 512. He-

Hector & Aeneas, nemo quos viribus aequat
Aut animis tota Troum de gente. deorum
Sed poſita in genibus ſunt haec. jaculabor & ipſe
Vi tamen interea. curabit cetera magnus
Jupiter, invicto qui temperat omnia nutu.
Sic ait, ac librans longam vi conjicit haſtam,
Et clypeum Areti medium ferit; aereus umbo
Nec tenuit venientem; alte trans aurea balthei
Texta ſubit, penituſque infixa eſt inguine cuſpis.
Ac veluti validam ferro fulgente bipennim
Cum manibus juvenis tollens, certo ferit ictu
Cervicem agreſtis tauri poſt cornua, totum
Et penitus nervum praecidit; corruit ingens
Stratus humi, quaſſatque artus: ſic ille ſupinus
Membra ſolo quaſſans cecidit, vibrataque in imis
Viſceribus cuſpis vitae ſaepta intima ſolvit.
Hector dehinc telo petit Automedonta coruſco.
Ille haſtam adverſus viditque, & corpore flexo
Exiit, acclinis telluri: tranſvolat haſta
Atque viri poſt terga ſolo eſt infixa, caputque
Pars poſtrema ſuper, dum vis conſumpta, tremebat.
Jamque adeo ſtricto congreſſi cominus enſe
Pugnarent; pugnae cupidos at ſolvit uterque
Ajax adveniens audita voce ſodalis.
Hos veriti ceſſere micanti corde retrorſum
Hector & Aeneas, forma & praeſtante deorum
Aſſimilis Chromius, perfoſſumque ilia ferro
Aretum foedo liquere in pulvere. Marti
Tum rapido par Automedon, mora nulla, coruſcis
Exanimem nudatque armis, ac talia fatur:
Aegra Menetiadae ob letum moerore levavi
Corda tamen paullum nunc vel pejore perempto.

v. 539.

Haec

Haec ait ; exuviaſque viri , multo arma cruore
Foeda , cito impoſuit curru ; ſcandebat & ipſe
Sanguine conſperſus ; magni ceu membra juvenci
Depaſtus leo , digrediens rubet ore cruento .
  Rurſus Patroclo ſuper ingens pugna coorta eſt ,
Luctifica , immanis ; caelo quam lapſa ciebat
Bellipotens Pallas praeſenti numine . gnatam
Miſerat hortari Danaos nam Jupiter ipſe ,
Jam melior , Grajûm ſortem & miſeratus acerbam .
Purpuream veluti nigra ſub nube deûm rex
Irin ut extendit , miſeris mortalibus omen
Aut belli , aut hiemis gelidae , quae dira virorum
Omne opus abrumpit late , pecorique moleſta
Lanigero, pavidas angit formidine mentes :
Purpureo ſic illa humeros circumdata nimbo ,
Adveniens Grajûm turbae ſeſe intulit, acri
Corda virûm incendens hortatu ad praelia ; & omnes
Ante alios dictis , propior cui ſtabat , Atriden-
Magnanimum exacuens Menelaum , corpore diva
Longaevo ſimilis Phoenici , & voce ſonora :
  Atride Menelaë , ingens te nempe ſequetur
Dedecus ante omnes , fidum ſi forte ſodalem
Aeacidae magni Trojae ſub moenibus altis
Ore canes avido raptabunt . ſtrenuus ergo
Pugna ipſe , atque alios hortare in praelia Grajos .
  Martius huic retulit Menelaus talia contra :
O Phoenix pater , o longaeva jure verende
Canitie , mihi ſi Pallas Tritonia robur
Praebeat , avertatque procul ſtridentia tela ,
Stare loco haud equidem dubitem , pugnaque tueri
Patroclum ; exſtinctus qui cor mihi fixit acerbo
Luctu imum . at flammae ſimilis furit Hector , & atrox

Homer. v. 565.

Uſque viros caedit; laudem quando annuit olli
Jupiter, & multo victorem inſignit honore.

Haec ille: aſt animo gaviſa eſt caeſia Pallas,
Omnia quod divûm primam inter numina ſeſe
Praeſentem auxilio vellet, ſupplexque vocaret.
Ergo humeris validum robur genibuſque ſecunda
Afflavit, pectuſque animis audacibus altum
Implevit: qualis parvae eſt audacia muſcae,
Acta viri toties quae longe a corpore, mordax
Involat, humanum cupiens haurire cruorem.
Huic ſimilis gelidum Patrocli ad corpus Atrides
Provolat; aeratamque jacit vi turbidus haſtam.
Vir fuit in Teucris, clari genus Eetionis,
Forte Podes, belloque acer, praedives avito
Et cenſu, eximie cunctis in civibus Hector
Quem coluit pugnaque bonum dapibuſque ſodalem.
Hunc, dum terga fugae dabat, ipſam fixit Atrides
Ad zonam, crudumque egit trans ilia ferrum.
Corruit ingenti ſonitu. ſuper advolat heros,
Exanimum & corpus Trojano ex agmine turbam
Grajorum in mediam laetanti corde trahebat.
Hectora tum lateri adſiſtens hortatur Apollo,
Phaenopis Aſiadae ſimilis, qui, cultor Abydi,
Saepe illum hoſpitio venientem excepit amico,
Hoſpitibus carus prae cunctis. oſque habitumque
Huic ſimilis, juvenem ſic ultro affatur Apollo:

Hector, quis poſthac Grajis ex omnibus alter
Te metuat; quem ſic terret Menelaus, inerſque
Bellator, molliſque animi qui dicitur eſſe?
En abit ille trahens Trojano ex agmine victor,
Quem tibi confoſſum crudeli morte peremit,
Clarum Marte Poden, dium genus Eetionis.

v. 590.

Sic

Sic ait : huic ſubita mentem & praecordia texit
Nube dolor : fulvo ante aciem volat aere coruſcus .

Tum pater auratis Saturnius aegida villis
Suſtulit, ac denſis late omnem nubibus Idam
Involvit , ſaevis implens fulgoribus auras ;
Horrendumque dedit tonitru , magnaque tremendum
Geſtamen dextra concuſſit ; vimque ſequendi
Invictam Teucris , trepidamque immiſit Achivis
Ipſe fugam , & gelidum , perculſa mente , pavorem .
Boeotus fugit ante omnes ac tuta capeſſit
Peneleus , dextrum pugnanti ut ſtrinxit acuto
Polydamas humerum telo ; nec vulnus adegit
Altius , ille quidem propior jaculatus . at Hector
Cominus egregium percuſſit Leïton haſta ,
Germen Alectryonis magni , qua jungitur ulnae
Dextra , virum cogens pugna deſiſtere . circum
Lumina qui volvens fugitque exterritus , haſtam
Nec jam poſſe manu tractans confligere Teucris
Sperabat , moerore animum dejectus acerbo .
Hectora , dum ſequitur fugientem Leïton , haſta
Idomeneus medium ferit in thoraca , papillam
Juxta , ſed primo fracta eſt in robore cuſpis
Ima . Phryges , regis perculſi corda periclo ,
Exclamant : ſtantem in curru jaculatus at Hector
Deucaliden , miſſo regem contingere telo
Haud potuit : magno confoſſum at vulnere juxta ,
Merionae fidi aurigam armigerumque , peremit
Caeranon ; alta , virum comitans , qui moenia Lycti
Liquerat . (hac primum a curvis nam luce carinis
Meriones in bella pedes proceſſerat , ingens
Morte ſua Teucris decus ille daturus , euntem
Pone ſequens celeres ni Coeranus ante jugales

Duxiſſet, lucemque olli vitamque tuliſſet,
Ipſe ſed Hectorea ſubiiſſet fata ſub haſta.)
Huic ſubter malamque auremque eſt fixa, revulſos
Expulit & dentes, ac linguam cuſpis ahena
Diſcidit. curru delapſus corpore vaſto
Planxit humum, manibuſque effuſas liquit habenas;
Meriones flexo ad terram quas corpore pronus
Suſtulit; ac regem compellans talia fatur:
  Pelle cavas citus ad naves, nec parce flagello;
Nanque, ut tute vides, Grajüm res verſa, decuſque.
  Sic ait: Idomeneus at flagro pulchra comantes
Admonuit bijugos, moerenti & pectore curvas
Territus ad puppes laxatis fertur habenis.
Nec magnum Ajacem, nec te Menelaë voluntas
Verſa Jovis latuit, cujus victoria nutu
Alternans fugit Danaos, Troaſque reviſit.
Nec mora, ſic fari eſt orſus Telamonius Ajax:
  Proh ſuperi! & ſtultus norit jam, numine verſo,
Trojugenis praebere decus victoribus ipſum
Quippe Jovem: queis nulla uſquam tela irrita, dextra
Miſſa, cadunt noſtro ſine vulnere, quiſquis inerſve
Torſerit, aut fortis. nullum non ipſe per auras
Nanque regit. nobis contra tela omnia fruſtra
Lapſa ſolo, terram conſternunt caſſa ſine ictu.
Ergo age, collatiſque una quaeramus, amici,
Conſiliis, quanam raptumque ex hoſte cadaver
Hinc trahere, & reduces caris afferre queamus
Laetitiam ſociis; moerenti pectore qui nos
Proſpectant pavidi, nec jam cohibere cruenti
Hectoris indomitaſque manus, dirumque furorem
Poſſe putant, medias foedet ne caede carinas.
Atque utinam hinc aliquis celeri pede nuncius iret

v. 640. Peli-

Pelidae ; nec enim quidquam , reor , audiit , abſens
Et neſcit ſaeva raptum ſibi morte ſodalem .
Sed , qualem poſcit res , nullum conſpicor uſquam
In Danais : tenebris late ſic omnia circum
Caligant , nubeſque operit curruſque viroſque .
At tu , ſumme deûm rex Jupiter , hanc precor arce
Foedam Grajugenis noctem , caelumque ſerena
Luce aperi , atque oculis rerum da cernere formas .
Dehinc , tibi ſic placitum quando eſt , vel perde videntes
Luce , pater , nos in clara : Telamonius Ajax
  Has imo fudit ſuſpirans pectore voces .
At flentem caelo miſeratus Jupiter alto eſt ;
Continuo & noctem nigrae caliginis atram
Diſpulit : affulſit Sol pura luce ; patebat
Cuncta oculis acies late manifeſta . propinquum
Ergo his compellat Menelaum vocibus Ajax :
  Adſpice , rex Menelaë , aliqua ſi forte videre
Vivum in parte queas prognatum Neſtore magno
Antilochum ; fortique jube , mora nulla , profectus
Nunciet Aeacidae , fidum , quo carior illi
Nemo erat , exſtinctum crudeli morte ſodalem .
  Haec Ajax : dicto paret Menelaus , & illinc
Digreditur moeſtus . qualis leo plena relinquens
Septa boum ; quem turba canum condenſa virûmque
Impleri cupidum pingui vetat , uſque ſub alta
Nocte vigil : diro praedae ſuccenſus amore
Ille ruit contra , quidquam nec proficit : unde
unde volant validis nam tela intorta lacertis ,
Atque faces denſae terrent , ſiſtuntque ; recedit
Moeſtus mane , gradu & lento ſua luſtra reviſit :
Talis Patroclum Menelaus mente reliquit
Invita lente ingrediens , metuitque cadaver

v. 666.

Ne Danai linquant praedam hoſti, corda pavore
Perculſi; atque ambos Ajaces, Merionenque
Hortatur, firmans dictis, ac talia mandat:

Ajaces Danaûm ductores, Merioneque,
Nunc memor eſto aliquis Patrocli; qualis in omnes,
Quam bonus & comis fuerit, dum vita manebat;
Qua miſerum laevo ſpoliarunt numine Parcae.

Haec fatus, procul inde abiit feſtinus; & omnem
Lumina fert tacitus per turbam, cunctaque viſu
Perluſtrat cupido: qualis, quam cernere acutum
Ante omnes perhibent aquilam, quaecunque volantes
Aerios tranant campos, ſublimis ab alto
Quae leporem caelo exiguum ſub fronde virentis
Dumeti videt inſpiciens, ſubitoque cubanti
Involat, ac pedibus correptum eviſcerat uncis:
Talis tu, Menelaë, tuens huc acer & illuc
Verſabas oculos per turbam, ſicubi vivum
Cernere Neſtoriden denſa inter milia poſſes.
Nec longum in medio tempus, videt ecce ſiniſtra
Antilochum pugnae firmantem in parte ſodales,
Hortatuque ſuas urgentem in praelia turmas.
Hunc adit, ac propior compellans, talia fatur:

Neſtoride, regum germen, citus huc ades; audi
Quae porto infelix tibi nuncius, ira deorum
Quae miſeris utinam nunquam feciſſet Achivis.
Quippe vides, reor, ipſe, labat quo turbine pulſa
Res Danaûm, quaenam clades foeda ingruit; inſtant
Ut Grajis Teucri victores. optimus armis
Stratus morte jacet Patroclus, moeror adempto
Quo gravis orbatos luctuſque invaſit Achivos.
Sed tu, nunc quod opus, puppes non ſegnis ad altas
Curre; doce ignarum Aeaciden quae facta; cadaver

v. 692.

Dic

Dic celeret, ſi forte queat, ſervare ſodalis,
Nudum; nanque armis potitur Mavortius Hector.
  Sic ait. Antilochus perculſo at pectore totus
Horruit: ora diu preſſit dolor altus; oborto
Fletu oculi maduere, imis vox faucibus haeſit.
Nec tamen Atridae neglexit juſſa; capeſſit
Sed curſum; datque arma celer ſervanda ſodali,
Laodoco, bijugos illi qui fidus habenis
Flectebat propior. curſu pedes ipſe volucri
Nuncius ad naves it dio triſtis Achilli.
  Nec tibi tunc, preſſoſque malo, carique dolentes
Digreſſu Antilochi, ſocios, Menelaë, juvare
Mens fuit. Egregium bello fortiſſimus heros
Suſcitat auxilio ſociis Thraſimedea, curſu
Patrocli ad gelidum rapido redit ipſe cadaver:
Adſtitit & geminis Ajacibus, atque ita fatur.
  Illum equidem miſi ad naves, ut nuncius iret
Pelidae magno infelix: quem non tamen eſſe
Venturum reor huc in praelia, ferveat etſi
In caput Hectoreum luctuque incenſus & ira.
Non etenim in Teucros, credo, pugnabit inermis.
Nos igitur moliri aliquid nunc addecet ipſos,
Exanimum ſiqua liceat jam tollere corpus,
E triſti & ſalvis actutum excedere pugna.
  Haec ille: haec retulit contra Telamonius Ajax.
Vera iſtaec dicis, ductor praeclare. cadaver
Ergo ſubite humeris pariter tu, Merioneſque,
Ocyus & medio ſublatum efferte tumultu.
Nos animiſque pares & nomine, terga ferentum
Ne laedi telis poſſint, pugnabimus una
Priamiden contra obnixi, Troumque phalangem.
  Sic ait: illi ambo complexi exſangue cadaver

v. 722.

Su-

Suſtulerunt ulnis alte a tellure. dedere
Clamorem horriſonum Troës, videre cruentum
Ut ferri a Danais corpus; rectaque ruentes
Incurrunt, canibus ſimiles, qui vulnere laeſum
Ore ſuem rabido invadunt, atque ante feruntur
Venantum turbam juvenum, diſcerpere captum
Dente avidi, ac ſaevos foedare in ſanguine rictus:
Ille ſed in mediis, confiſus robore, frontem
Ut primum adverſam convertit, protinus omnes
Abſiſtuntque metu pavidi, celerique capeſſunt
Tuta fuga; trepidus quaſſat praecordia terror:
Agmine ſic denſo Troës, poſt terga ſequentes,
Enſibus, atque haſtis inſtabant caedere acutis:
At, quoties gemini, converſa fronte, ruentem
Contra aciem Ajaces ſteterant; verſoque colore
Pallebant, ſubita trepidi formidine mentem;
Cominus audebat nec ſeſe credere pugnae,
Et rapto certare armis de corpore quiſquam.
  Sic turba e media, mediaque ex caede cadaver
Illi alacri curvas ad naves mente ferebant.
Interea magno gliſcebat pugna fragore
Aſpera. ceu ſubito cum flamma illata frequentem
Igni urbem rapido incendit, combuſtaque paſſim
Tecta ruunt, volvitque furens incendia ventus:
Sic hos pone virûm ſonitus, ſonituſque rotarum
Ingens horribili cedentes uſque tumultu
Inſequitur: pergunt illi. cervice jugales
Ut valida montis raptant per confraga lignum
Vel navale, trabem vel magna mole, labore
Feſſi artus duro, largo & ſudore madentes:
Sic gemini heroës Patrocli exſanguia leto
Membra indefeſſi portant: poſt terga ruentem

v. 746.

Aja-

Ajaces turbam cohibent, ſiſtuntque. ſuperbus
Agger ſilvoſo torrentia flumina dorſo
Ut cohibet, campiſque arcet vim dira frementum
Undarum, cogitque alio deflectere curſum,
Vaſta mole obſtans, vi nec perruptus ab ulla.
Sic ambo Ajaces ſociûm poſt terga, ferentum
Patrocli exanimum corpus, Trojana morantur
Agmina, pellentes retro: magis & magis illi
Uſque inſtant; duo praecipue ſed fulmina belli,
Aeneas Anchiſiades, atque inclytus Hector.
Ac veluti ſturni condenſa nube feruntur,
Graculus aut magno volat agmine plurimus, altum
Et ſtridunt; clades parvarum dira volucrum
Viſus ubi accipiter trepidos conterruit olim:
Sic magno Aenean clamore atque Hectora viſum,
Pugnam oblita phalanx raptim vitabat Achaea,
Tuta petens; foſſamque intra circaque coruſca
Multa virûm paſſim ceciderunt arma; dabatur
Ulla nec aſſidui requies vel parva laboris.

HOMERI ILIADOS

LIBER DECIMUSOCTAVUS.

SIc illi ardentum pugnae certamina ritu
Flammarum exercent : Pelidae nuncius at ſe
Obtulit Antilochus, procurvo in litore, celſas
Ante rates, nactus, turbata mente ſedentem,
Et quod erat ſecum triſti ſub corde putantem.
Quippe gemens tales volvebat pectore curas:
Me miſerum! quianam dant huc ad litora Graji
Curva fugam, totiſque ruunt verſo agmine campis?
Heu metuo adverſi ne laevo numine divi
Re mihi complerint miſero, quos caerula mater
Portendit quondam luctus; dixitque futurum,
Myrmidonum ut primus virtute ac fortibus armis,
Me vivo, ſolis jucundum lumen, & auras
Linqueret, Iliaco proſtratus Marte. Menoetî
Occidit heu proles bello fortiſſima! leto
Patroclus jacet infelix! Aſt, igne repulſo
Hoſtili, ad curvas juſſi remeare carinas,
Priamida nec cum ſaevo decernere pugna.
Ille ſuo tales verſat dum pectore curas,
Neſtoris eximii germen ſeſe obtulit ecce
Antilochus; lacrimas fundens perque ora tepentes,
Atque trahens imo gemitum de corde, profatur:
Hei mihi, Pelide, magnae tibi nuncius adſum
Infelix cladis. quam cur non arcuit aequus
Divûm aliquis? jacet heu Patroclus. pugna cadaver
Fit gravis ad nudum: ferus Hector nanque habet arma.

v. 21.

Sic

Sic ait: huic ſubitus triſti caligine moeror
Nubem animo denſam offudit. putrem rapit amens
Ambabus cinerem palmis, vultuque decoro,
Et capiti ſuperinfundit; fuligine turpi
Spirans nectareum foedata eſt veſtis odorem.
Ipſe, ingens ſpatio ingenti porrectus, in atro
Pulvere procubuit, manibus turpabat & auream
Caeſariem iratis vellens. Tum, quotquot Achilles
Atque Menoetiades bello cepere, dolore
Fixae acri, accurrunt famulae, circumque jacenti
Affuſae, moeſtumque ululant, & pectora plangunt
Ingenti attonitae, labefacto corpore, luctu:
Antilochus parte ex alia turbatus, obortis
Ora udus lacrimis plorat; validiſque retentat
Pelidae uſque manus manibus; ne forte coruſco
Ipſe ſibi jugulum ferro ſecet. alta gemebat
Nanque amens luctu, moeſto circum omnia complens
Clamore, horrendum exululans. Procul audiit imis
In ſpecubus gnati queſtus Nereïa, patris
Intra tecta, Thetis; vocemque agnovit, & almo
Ore graves fudit gemitus, lamentaque, luctu
Indulgens. coetu divam cinxere frequenti,
Caeruleae quaecunque maris Nereïdes imi
Stagna colunt, Glauceque, Thaliaque, Cymodoceque,
Neſaee, Spioque, Thoëque, Halieque decora,
Cymothoë, Actaeeque, & candida Limnoria;
Amphithoë, Meliteque, & Agave pulchra, & Iaera
Dotoque, Protoque, Pheruſaque, Dynameneque,
Dexamene, Amphinomeque, & florens Callianira,
Doriſque & Panope; ante alias Galatea ſorores,
Inclyta, Nemertes, Apſeudes, Callianaſſa,
Et Clymene formoſa, Ianiraque, tuque Ianaſſa,

v. 47.

Et Maera, atque Orithyia, atque comas Amathea
Formoſo cohibens plexu, centumque, ſub alto
Queis domus eſt ponto, Nereïdes. omne frequenti
Hae coetu implerunt vitreum ſpecus, & ſimul omnes
Plangebant niveis moerentia pectora palmis.
Queis Thetis in mediis orſa eſt hos anxia queſtus:
Audite, atque meos cunctae cognoſcite luctus,
Nereïdes, mecum flentes mea damna, ſorores.
Heu miſera! heu partu eximio male functa! vigentem
Artubus atque animo, heroum quo fortior uſquam
Nemo fuit, gnatum peperique aluique. ſub auras
Arbor uti pingui e ſulco ſe attollit, & auctu
Uſque novo ad caelum ſurgit; ſuccreverat ille
Sic, validuſque artus, formaeque inſignis honore.
Hunc ego Trojugenum ſacras ad bella ſub arces
Triſtia miſi olim; tecta in Peleïa mater
Nec reducem excipiam; dulci & dum veſcitur aura,
Atque videt ſolis pulchrum jubar, angitur uſque
Infelix; preſſoque malis nil ferre ſalutis
Adveniens poſſum genitrix: tamen ocyus ibo
Ut carumque caput videam, noſcamque dolorem
Quem doleat tantum, bello ſecretus ab omni.
Haec effata cavum linquit ſpecus. omnis euntem
Nympharum ſequitur juxta chorus, arvaque, largo
Perfuſae fletu, Neptunia pectore findunt.
Inde, ubi jam Trojae pingues ad fertilis oras
Advenere, actam ſcandunt longo ordine, fluctu
Caeruleo egreſſae, celſas qua parte carinas
Myrmidones circa Peliden rite locarant.
Huic, imo gemitus rumpenti e pectore, mater
Adſtitit, ac tollens ploratum, dulce prehendit
Gnati diva caput manibus; dehinc talia fatur:

v. 72.

Quid

Quid fles, nate? angit quis te dolor? en age matri
Dic; ne cela animo quidquam. facta omnia ſummo
Ab Jove ſunt certe, manibus quaecunque ſupinis
Oraſti ſupplex; ad curvas omnis Achivûm
Ut pubes compulſa rates, & preſſa malorum
Mole gravi, anguſtis te nempe in rebus egeret.
Huic, gemitum ducens alto de pectore, contra
Pelides: Mater, mihi Jupiter iſta ſecundus
Annuit, indulgens precibus votoque: ſed, eheu,
Eſſe queat rapto quid nunc mihi dulce ſodali
Patroclo? colui quem ſemper, ſemper amavi
Ut caput ipſe meum, miſero mihi raptus acerbo eſt
Funere. qui vitam eripuit ferus Hector, ademit
Arma idem ſpolians, ingentia, pulchra, tuentum
Mira oculis; dederunt ipſi, dona inclyta, quondam
Quae Peleo divi, qua te, dea, luce cubili
Injecere viri mortalis. degere vitam
Aequoreas inter nymphas te morte carentem
Aequius at fuerat: thalamo ſibi jungere Peleum
Mortali de gente aliquam. non, diva, doleres
Multa gemens nati ob letum, quem bella ſecutum
Triſtia, non reducem excipies in tecta, laremque
Ad patrium. vitaeque piget luciſque, virorum
Eſſe nec in numero patiar me, fata ſub haſta
Primus dura mea ſubeat ni perditus Hector,
Patroclo & meritas fuſo det ſanguine poenas.
Cui mater lacrimis haec rurſus moeſta profuſis:
Ergo, gnate, tibi veniet cita funeris hora;
Mors tibi confeſtim poſt Hectora nanque parata eſt.
Ille refert, graviter ſuſpirans pectore ab alto:
Diſpeream vel nunc, cui fata juvare ſodalem
Egregium miſero ſuprema in morte negarunt.

v. 99. Heu

Heu nimis, heu, longe patria ab tellure domoque
Occidit, ille meum fruſtra, deſertus, amici
Auxilium, infelix, tam duro in tempore poſcens.
Nunc quoniam ad patrios nec me remeare penates
Fata ſinunt; nec opem dilecto ferreus ullam
Patroclo, ſociiſve tuli, quos tot mihi dirus
Hector demiſit leto; verum uſque carinas
Ad curvas ſedeo, telluris inutile pondus,
Talis ego, fortes qualis nemo inter Achivos
Bellator: ſantem in coetu qui vincere poſſint
Eloquio, haud deſunt alii. Proh Jupiter, abſit
Diſcors ira deûmque hominumque a pectore, quamvis
Cordatos ſaevire tamen quae cogit, & atro
Aſſimilis fumo gliſcit praecordia circum,
Perque means animum, ſtillanti dulcior ipſo
Melle, ſinu in medio capit auctus major in horas.
Ceu mihi totum ira pectus complevit Atrides.
Sed quae facta, licet dolor angat, mittere praeſtat;
Ac durae mentem domitos vi ſubdere ſorti.
Nunc abeo, capitis cari ſi caede ſuperbum
Hectora nanciſcar; nigraeque occumbere morti
Haud renuo, volet ille alti cum rector Olympi,
Dîque alii, quorumcunque eſt ſub numine vita
Morſque virûm. mortis poſtremae fata nec ipſa
Invicti fugit vis Herculis, ille Tonanti
Ante alios fuerit quamvis acceptior omnes:
Sed domitus fatoque gravi, Junonis & ira eſt.
Sic & ego, me dura premet ſi Parca, jacebo
Mortuus; at meritae referam nunc praemia laudis;
Troiadumque aliquam, ſinuoſa & veſte nitentum
Dardanidum, ambabus tergentem mollia palmis
Ora, gravi cogam gemitu jactare querelas.

v. 124.

No-

Norint me ceſſaſſe diu certamine belli
A duro. nunc arma, parens, in ſaeva ruentem
Ne retine incaſſum: precibus nec flectere blandis,
Nec verbis poteris mihi mentem vertere amicis.
  Huic Thetis: iſta quidem, quae fatus, vera negare
Haud auſim. feſſis pulchrum eſt avertere praeſens
Exitium ſociis, claramque affundere lucem.
Sed tua Trojugenae potiuntur pulchra coruſco
Aere arma; indutus quae nunc gerit Hector, inani
Laetitia exſultans: longum at laetarier ille,
Ut reor, haud quibit; cui mors jam dura propinquat.
Ergo ne te armis audax immitte prius, quam
Me reducem huc videas. prima cum luce revertar
Nanque ferens, faciet ſolers quae Mulciber, arma.
  Sic ait; atque viam celerat feſtina; ſed ante
Aequoreas abiens ſic eſt affata ſorores:
  Vos nunc ite, maris gremium vos condite in alti,
Caeruleumque ſenem viſurae, aedeſque paternas;
Et, quae facta, patri narrate: micantis Olympi
Ipſa hinc ad ſedes abeo, Vulcania tecta:
Egregius ſi forte faber caeleſtia gnato
Arma meo donare velit, quorum indiget uſu.
  Sic ait: illae undas moeſtae ſubiere. ſupremi
Pulchra Thetis longe ad ſedes tendebat Olympi,
Ferret ut arma parens gnato. dum pergit ad altas
Illa domos divûm; magno clamore cruentum
Priamidem intereà fugiens Argiva juventus
Venerat ad naves, & fluctiſonum Helleſpontum.
Necdum etiam media telorum e nube ſodalem
Aeacidae extulerant Graji. poſt terga ſecuti
Troës enim denſi inſtabant, curruſque virûmque
Turba ingens, igni & ſimilis Priameïus Hector.

v. 154.

Ter

Ter pedibus retro apprendens exſangue cadaver
Priamides traxit, ſocios & voce vocatos
Horriſona increpuit; ter magnis viribus ambo
Ajaces gelido aſpulerunt a corpore; fretus
Ille ſuo contra perſtabat robore; turbam
Acer & in mediam nunc ſe, mediumque tumultum
Injicit; immotus nunc ſtat, magnaque ſuorum
Voce animos firmat, nuſquam decedit & hoſti.
Ac velut impaſtum flammato corde leonem
Paſtorum nequeunt vigiles arcere catervae:
Sic gemini Ajaces, Mavortia corda, furentem
Hectora ab exanimi Patroclo arcere nequibant.
  Jamque adeo abreptum rapuiſſet victor, & ingens
Cepiſſet decus & ſperatae praemia laudis;
Iris ni ſubito veniſſet nuncia ſorti
Pelidae, illa jubens armari ad praelia. caelo
Clam Jove, clamque aliis quam dîs Saturnia miſit.
Haec juveni ſtetit ante oculos, ac talibus infit:
  Surge age, Pelide armipotens, omneſque tremende
Ante viros; fer opem Patroclo. nanque carinas
Stat gravis ad curvas dudum pugna illius ergo,
Seque acies caedunt hinc atque hinc: pugnat Achiva
Exſangui pubes pro corpore; Troia certat
Arreptum Iliacas at pubes tollere ad arces.
Inclytus ante omnes Hector furit; atque potiri
Exſtincto, atque caput molli a cervice reſectum
Figere avet ſummo in vallo. Conſurge, jacere
Deſine; jam ſubeat mentem pudor, optime Achilleu,
Te vivo, Iliacis Patrocli membra relinqui
Ludibrium infelix canibus. tibi turpe ſodalis
Si veniat lacerumve tui foedumve cadaver.
  Sic dea. ſic contra Pelides: Iri ferentem

v. 182.

Iſta

Iſta deûm quis te celſo huc demiſit Olympo?
Illa refert: Magni conjux Jovis, inclyta Juno;
Nec miſſam ſummus ſcit Jupiter ipſe, deorum
Nec quiſquam e numero, caeli qui tecta frequentant.
Tum ſic Aeacides: Nam quî nunc, diva, tumultum
Ire virûm in medium poſſum, cui ſcilicet arma
Hoſtis habet; mater vetuit quem bella ſubire
Et prius, huc rediens quam venerit ipſa? ſpopondit
Vulcani nam facta manu, quibus induar, arma
Laturam caelo. nec fortes inter Achivos,
Quod norim, eſt quiſquam, cujus ſint artubus arma
Apta meis, magnum Ajacis Telamone creati
Si clypeum excipias. ſed & Ajax nunc, reor, inter
Primores pugnat Patroclum propter, & haſta
Ut ſolet, hoſtiles turbat, caeditque phalanges.
Haec ille: haec roſeo contra Thaumantias ore:
Pulchra tibi in mediis nunc hoſtibus arma teneri
Ipſi etiam ſcimus: primam tamen i vel inermis
Ad foſſam; Teucriſque offer, metuende, videndum
Os modo; ſi gelida capti formidine tandem
Abſiſtant pugna; longo ſi feſſa labore
Gens Danaûm paullum reſpiret. ſaepe ſalutem
Parva quies tulit in medio diſcrimine belli.
Haec effata levi niſu dea fugit in auras.
At carus regi ſuperûm conſurgit Achilles;
Cui fortes dedit horrificam Tritonia Pallas
Aegida circum humeros, aurata & nube decorum
Ipſa caput cinxit, ſummoque a vertice late
Fulgentem incendit praeclaro lumine flammam.
Ac velut aërias quondam ſe attollit in auras
Fumus, litoreae ſurgens a moenibus urbis;
Quam, fluctu ſeptam circum pontoque locatam

Homer. v. 208.

In medio, admotis oppugnant molibus hoſtes:
At cives tota quam longa eſt luce cruento
Haud ceſſant trepidi e muris decernere Marte;
Inde ubi ſe occiduas tandem ſol merſit in undas,
Denſae igni flagrantque faces, & fulgor ad altas
It nubes, ſignum ſociis, ſi forte carinis
Advecti auxilio veniant, finemque laborum
Ferre aliquem, ac duram poſſint avertere cladem:
Haud aliter clarum flammae jubar emicat alte
Ad caelum dio e capite, horrendumque refulget.
Ille quidem muro eſt ingenti egreſſus, & altam
Conſtitit ad foſſam, turbae ſed mixtus Achivûm
Haud tamen eſt; carae occurſant nam juſſa parentis.
Illic ſtans, altum clamavit. Pallas at una
Vocem divino claram de pectore miſit
Horrendum exclamans, tremefactaque pectora Troum,
Atque omnes late implevit terrore phalanges.
Ac veluti clarum tuba clangens inſonat, hoſtis
Denſus ubi obſeſſae cladem fert cominus urbi:
Sic magni Aeacidae late vox clara ſonabat.
Turbatae mentes Teucrorum; pulchra comantes
Convertere viam bijugi, ſtragemque futuram
Horreſcunt; pavidi percullſis mentibus haerent
Aurigae, horrenda ſpecie ut videre coruſcam
Pelidae celſo diffundi e vertice flammam,
Quam ſaeva indomito ſuccenderat igne Minerva.
Ter latam ſtans ad foſſam clamavit Achilles:
Ter magno Teucri ac ſocii fugere tumultu.
Tunc adeo bis ſex Troum, Mavortia pubes,
Celſo dejecti curru, jacuere, ſuiſque
Pectora confoſſi, viſu miſerabile, telis:
Hoſtibus at Graji depulſis, corpus ovantes

v. 131.

Pa-

Patrocli e pugna extulerunt, mollique feretro
Impoſuere: udi fletu funduntur amici
Cui circum; ſequitur Pelides, pulchra profuſis
Ora madens lacrimis, poſtquam conſpexit amicum
Porrectumque toro, confoſſumque ilia ferro;
Ad pugnam curru imponens quem miſerat ipſe,
Nec reducem rurſus pugna ex ardente recepit.
  Heic indefeſſum Juno Saturnia Solem
Invitum Oceani ſubter vada caerula miſit:
Ille mari latuit merſus; certamine ab omni
Grajugenae at feſſi nigra ſub nocte quierunt.
  Parte alia, pugna poſtquam exceſſere cruenta,
Abjunctos curru Teucri ſolvere jugales:
Continuo &, nondum potu dapibuſque refecti,
In coetum coëunt. heic recto corpore cuncti
Stabant; nemo auſus conſidere. corda tremebant
Nanque metu, Aeacides ſuerat quod viſus, Atridae
Iratus poſtquam longum ceſſarat ab armis.
Pantoides quibus in mediis ita farier infit
Polydamas, veri prudens, tranſactaque rerum
Qui ſolus norat, rerum & ventura, ſodalis
Hectoris, ac partu vitales fuſus in auras,
Hectora Ciſſeïs Priamo qua nocte creavit.
Sed longe melior lingua hic fuit: Hector at haſta.
Is tunc has prompſit facundo e pectore voces:
  Conſulite, o ſocii, magnaque expendite cura
Quid fieri praeſtet. muros hinc ire ſub urbis
Hortor ego, Aurorae medio nec velle manere
Adventum in campo, non longe a navibus. hoſtis
Si veniat, nimium tuta diſtamus ab urbe.
Ille vir iratus quando ceſſabat Atridae,
Argivus levior Mavors fuit, & mihi Grajas

v. 258. Kkk 2 Dul-

Dulce erat ad puppes longam producere noctem,
Speranti ratibuſque inſigni & laude potiri.
Nunc dium timeo Peliden. nanque, ſuperbis
Ut furit uſque animis, non campis ille manebit
In mediis, vario paſſim contendere Marte
Troës ubi & Graji fuerunt: at moenia bello
Incurſans, rerum trepidos certamine triſti
Deque urbe & de conjugibus decernere coget.
Quare agite, o ſocii, longe hinc cedamus in urbem.
Conſiliis parete meis. nam ſic erit ipſe
Ut dico: Pugna Aeaciden abſterruit alma
Nox veniens: quod ſi nos, huc progreſſus in armis,
Mane novo inveniat, qui ſit noſcemus. in altum
Ilion evadet fugiens hinc nanque libenti
Pars animo: longe pars major ſtrata jacebit,
Vulturibus dulces epulas canibuſque datura
Iliacis. talem, dî, longe avertite cladem.
At, parere mihi ſi vultis vera monenti,
Nocte quidem clauſis, vel moeſto corde, licebit
Conſilio firmare animos, belloque parari;
Atque urbem poterunt turres, portaeque, ſuperbi
Et poſtes, vecteſque arcta compage tueri.
Dehinc, inſtructi armis primo ſurgentis in ortu
Aurorae, denſa turres & celſa corona
Moenia cingemus. labor olli curaque major
Tum fuerit muros circa pugnare; carinas
Et repetet vana ſpe luſus, moenia circum
Poſtquam agitans curſu fruſtra ſatiarit inani
Efferus alipedes alta cervice ſuperbos.
Nanque urbi nec ſeſe immittet quamlibet audax;
Nec vaſtam dabit: ante ſuo nam corpore paſcet
Ipſe canes. Haec Polydamas: quem Martius Hector

v. 284.

Tor-

Torva tuens, dictis contra ſic fatur acerbis:
  Polydama, iſtorum laudo nil prorſus; & odi
Futile conſilium. concludi rurſus in urbe
Meque jubes, Troum & pubem? nondum ſatis intra
Ceſſaſtis turres & propugnacula clauſi?
Nondum animus vobis otî ſatur, atque morarum eſt?
Clara urbem Priami per gentes fama ferebat
Olim auri atque aeris ditem, aggeſtiſque beatam
Divitiis: nunc exhauſtis pretioſa ſupellex
Jam domibus periit. nam venum plurima gaza
Maeonias abiit longe, Phrygiaſque per urbes,
Intumuit magna in Teucros cum Jupiter ira.
Nunc idem quando ad naves mihi ferre ſecundus
Annuit eximiam laudem, Grajûmque phalanges
Admoviſſe mari pulſas, ne talia demens
In populis conſulta effer: queis non erit ullus
Pareat ut Troum; patiar parere nec ipſe.
Nunc age quae dicam concordi mente faceſſat
Quiſque alacer. victu primum revocate labore
Exhauſtas longo vires, per caſtra frequentes
Diviſi in turmas; dehinc ſit cuſtodia cordi,
Nec pigeat ſomni expertem producere noctem.
Quod ſi quem nimius dolor angit, curaque rerum,
Quas habet aggeſtas dives, ſimul omnia caris
Civibus apponat large. nam praeſtat amicos
Hiſce frui, Grajos quam vi pugnaque potiri.
Cras iterum, aurorae prima ſub luce, carinas
Ad Danaum ferro Martem inſtauremus acuto.
Aeacides quod ſi vere ſurrexit in arma,
Ipſe ſibi exitium arceſſet. per bella ruentem
Haud ego nanque virum fugiam, verum obvius ultro
Conſiſtam, ſive ille decus laudemque reportet,

v. 308.

Sive ego. communis Mavors, verſaque ſuperbum
Saepe vice abjecto victorem ſternit ab hoſte.
  Haec ille: acclamant vecordi pectore Troës.
Quippe viris mentem exemit Tritonia Pallas.
Hectora laudarunt ſuadentem prava, monentem
Recta ſed haud quiſquam laudavit Polydamanta.
Tum victu revocant vires, & corpora curant.
  Interea tota Patroclum nocte frequentes
Plorabant Graji, luctum quibus orſus Achilles
Ingentem in mediis, palmas tot caede virorum
Horribiles ſuper imponens frigentia leto
Pectora, dans gemitus crebros, moeſtaque ſodalem
Voce vocans. Qualis fulvus leo, durus ademit
Cui catulos ſilva raptos venator in alta,
Abſenti; rediens luctu furit ille, profundos
Et curſu luſtrat ſaltus, veſtigia cernat
Sicubi preſſa viri; cor triſti exaeſtuat ira:
Talis moeſta alto ſuſpiria pectore ducens
Myrmidonum in medio luctum eſt exorſus Achilles:
  Proh ſuperi! ut vanis ſudi verba irrita ventis,
Qua te luce, Menoeti, animo confidere juſſi.
Quippe tibi patrias promiſi Opoëntis ad oras
Ducturum incolumem gnatum poſt eruta bello
Pergama, victorem praedaque & laude ſuperbum.
Aſt optata viris non perficit omnia ſummus
Jupiter. hoc nobis nam fatum inſtabat, utrumque
Purpureo terram perfundere ſanguine eandem
Litore in Iliaco. nec me Thetis inclyta, Peleus
Nec pater excipiet reducem, ſed nigra tenebit
Exſtinctum heic tellus. at nunc, Patrocle, ſubibo
Poſterior quando terram, non ante ſepulcro
Te condam, arma caputque tua quam caede ſuperbi
v. 335. He-

Hectoris huc tulero, bis ſex & corpora pubis
Iliacae ante pyram, ſecta cervice, coruſco
Mactarim ferro, te ob caeſum percitus ira.
Interea ad naves, caput o mihi dulce, jacebis
Sic ut es: affuſae circum noctesque dieſque
Dardanides cultae ſinuoſa veſte, decorae
Troades & poſitum flebunt, quas cepimus ipſi
Vique haſtaque urbes cum vaſtabamus opimas.
  Haec ait, atque jubet ſocios circumdare flammas
Magno confeſtim tripodi; corpuſque, cruento
Foedatum tabo, tepida perfundere lympha.
Haud mora juſſa viri faciunt, aptumque lavacris
Imponunt igni tripodem, puroſque ſuperne
Infundunt latices, ſubterque arentia flammae
Pabula ſubjiciunt. coſtas ingentis aheni
Ignis obit; liquor interea calet almus aquai.
Fumidus at reſono cum ferbuit humor in aere,
Frigentes lavere undis, oleoque liquenti
Perduxere artus, unguento & lata novenni
Vulnera complerunt. dehinc lecto molle cadaver
Impoſitum, lino tenui texere ſupremo
A capite ad talos, quam longe tenditur, imos;
Et veſtem ſtravere ſuper candore nivali.
Poſt haec Myrmidones, cum magnanimo Pelida
Moerentes, noctem luctu, quam longa, trahebant.
  Junonem interea conjux fraterque, ſedentem
Ad latus, aetherei compellat rector Olympi:
  O Juno veneranda, animi laetare; peractum eſt
Jam tibi opus. fremit arma citus, pugnaeque parat ſe
Aeacides; Danaos ut jam te ſuſpicer eſſe
Progenitos; tantam impendis queis ſedula curam.
  Illa ſub haec: Quid ais, Saturnie? quod tibi verbum

v. 360. Exci-

Excidit ore? viro quod vir mortalis, inopſque
Mentis, totque aſtu moliri neſcius orſa,
Fecerit; hoc nequeam, quae glorior eſſe deorum
Prima, genus vel quod majus mihi, vel tibi jungor
Quod thalamo, in ſuperos regnum cui contigit omnes?
Talem me iraſci fruſtra, nullaſque decebat
Iliacae clades moliri ac funera genti?
  Haec inter ſeſe divûm rex, magnaque Juno.
Vulcani Thetis interea pervenit in aedes
Aſtriferas, late fulgentes aere coruſco,
Eximias inter divûm tecta omnia, claudus
Ignipotens olim ſibi quas conſtruxerat ipſe.
Hunc operi intentum, largo & ſudore madentem,
Invenit circa ſolles. nam tempore ſolers
Biſdenos uno tripodas properabat, in aede
Regali ut ſtarent pariter, pulchris decus ingens
Parietibus; ſundoque auratos cuique rotarum
Subdiderat lapſus, in coetum ut ſponte deorum
Irent ipſa ſua, rurſuſque in tecta redirent
Nulla ducta manu, viſu mirabile monſtrum.
Jamque opus ingenti cura perſecerat ingens.
Reſtabant pulchrae, quas nondum aptaverat, aures:
Rite ſed aptandis clavos cudebat ahenos.
Haec dum ſolerti feſtinat Mulciber arte,
Ecce fores intra veniens ſeſe intulit altas
Pulchra Thetis, niveis fulgens quam candida vittis
Excepit Charis occurrens, Vulcania conjux;
Et dextram dextrae jungit, dehinc talia fatur:
  O Theti pulchra, pedem nam cur ad noſtra tuliſti
Limina; diva, ſoles raro quae viſere, quamvis
Cara mihi ante alias, venerandaque? verum age mecum
Huc ades, hoſpitibus quae par, ut fercula ponam.

v. 387.

Haec

Haec effata, ultro media in penetralia ducit
Diva deam, pulchraque libens in ſede locavit,
Argenti clara bullis, varioque decenter
Picta opere, extremae ſuberat cui rite ſcabellum.
Poſt haec, voce vocans Vulcanum, talia fatur:
Huc ades, o Vulcane; Thetis nam caerula te vult.
Huc modo quae noſtras, vetus hoſpita, venit in aedes.
Sic Charis: at contra Vulcanus: Magna, colenda
Et merito mihi diva domi eſt. quae multa dolentem
Servavit quondam, caelo prolapſus ab alto
Cum cecidi ſaevae propter crudele parentis
Conſilium, quae me claudum occultare volebat.
Tunc miſer ingentes luctus, cladem que ſubiſſem,
Excepſent gremio ni me Thetis inclyta, & alma
Eurynome, Oceani proles immane fluentis.
Harum ego & in ſpecubus tum feci multa labore
Daedaleo, amne novem ſub ponti conditus annos,
Armillas, calyceſque, & pulchra monilia collo,
Omnigenas & acus veſti retinacula. magni
Me circum Oceani ſpumans immenſa fluebat
Unda, ruens vaſto cum murmure: quaque laterem
Parte deûm nemo norat, nemoque virorum,
Ni, quae ſervarant lapſum, Thetis, Eurynomeque.
Nunc igitur, noſtras quoniam dea venit in aedes,
Me Thetidi pretium acceptae perſolvere vitae
Addecet. ergo dapes tu rite apponere opimas
Feſtina interea, dum folles armaque pono.
Sic fatus, durae incudis conſurgit ab atro
Stipite, mole ingens vaſta deus, oraque flamma
Torridus aſſidua, claudus pede, tenuia magno
Crura trahens niſu; folleſque amovit ab igne
Seponens; dehinc arma locat fabrilia puro

Homer. v. 412.

Ful-

Fulgentem argento, fuerat queis uſus, in arcam.
Poſt haec oſque deo, atque manus, hirſutaque terſit
Pectora, cervicem & validam purae indita lymphae
Spongia. dehinc tunicam induitur, dextraque capeſſit
Sceptrum ingens; proditque foras greſſu male claudus
Alterno. hinc atque hinc regem comitantur euntem,
Suſtentantque manu famulae, quas fecerat auro,
Vivis perſimiles florenti aetate puellis;
Queis & mens inerat formoſo in corpore, voxque
Et vigor, atque artes variae, quas ſcilicet ipſi
Caelicolae docuere. hae regi utrinque meabant
Ad latus: ille autem, figens veſtigia greſſu
Incerto, ſedi ſe admovit, pulchra ſedebat
Qua Thetis, ac dextrae dextram conjunxit: amico
Dehinc laetus tales prompſit de pectore voces:
  O formoſa Theti, o merito mihi cultaque ſemper
Caraque, cur noſtras veniſti haud ſueta ſub aedes?
Quid tibi opus? quodcunque optas effare, jubebis
Quidquid enim, actutum faciam, dea; ſit modo, poſſim
Quod facere, atque mea praeſtari quod queat arte.
  Haec ille: haec lacrimis contra dea fatur obortis:
Vulcane, an, caelum colimus quaecunque, dearum
Totque ac tam duros perpeſſa eſt ulla dolores,
Quot gravis attribuit miſerae mihi Jupiter uni?
Solam Nereïdum mortali nanque jugavit
Ille viro, Aeacidae Peleo; ſubiique cubile
Diva hominis moerens invita mente; ſenecta
Qui triſti jacet exhauſtis nunc viribus intra
Tecta miſer. luctus alios mihi Jupiter idem
Aggerat. eduxi nam poſtquam ſedula gnatum,
Eximium heroum; poſtquam ſuccreverat, ingens
Arbos foecundo veluti ſuccreſcit in arvo,

v. 437.

Na-

Navibus in curvis Trojae ſub moenia miſi,
Vaſtaret bello ut Teucros: at rurſus eundem
Haud reducem excipiam tecta in Peleïa mater.
Quin etiam mihi dum vivitque ac lumina ſolis
Cernit adhuc, dolet uſque animo; nec ferre levamen
Poſſum aliquod flenti, curiſque ingentibus aegro.
Nanque, illi eximium dederant quam munus Achivi,
Formoſam ante alias florenti aetate puellam,
Hanc rurſum eripuit vi abducens major Atrides.
Ille autem, ſaevo tabeſcens ima dolore
Pectora, fervebatque ira, & ceſſabat ab armis.
Interea Grajos procurvo in litore Teucri
Concluſere cavas ad puppes, arma ſinebant
Nec proferre uſquam, ſeptiſque erumpere ab arctis.
Tum primi Argivûm proceres venere, meumque
Suppliciter gnatum orabant, ingentia dona
Polliciti: cladem Grajis arcere ſed ipſe
Abnuit. inde ſuis carum Patroclon at armis
Induit, ac ſaevae juſſit ſe immittere pugnae,
Myrmidonumque una denſas inducere turmas.
Hi tota, quam longa, die prope limina Scaeae
Pugnarunt portae, cepiſſentque Ilion altam,
Ipſe Menoetiaden veniens ni Phoebus Apollo,
Pugnantem primos inter, multaque ſuperbum
Caede virûm, ſubita ſtraviſſet morte, decuſque
Priamidae ſaevo eximium laudemque dediſſet.
Haec propter ſupplex, genibuſque affuſa tuis, te
Obteſtor genitrix pro gnato; quem premet eheu
Parca gravis miſerum primaevo in flore juventae,
Pulchra viro ſi forte velis largirier arma,
Scutumque, galeamque, & crurum tegmina nexu
Multiplici, & thoraca. habuit nam quae prius, arma

Perdidit, a Teucris extincto rapta, ſodalis.
Ille ſolo jacet abjectus nunc corpore inermi.
Sic Thetis; at contra Vulcanus: Fide, nec iſta
Angat cura tibi mentem, dea. ſic ego nigrae
Illum utinam celans poſſem ſubducere morti,
Cum miſero adveniet fatum grave, quae petis, arma
Ut mox cuncta aderunt olli, pulchraque tuentum
Percellent ſpecie, fulgenti & lumine viſus.
Haec fatus, divam linquit: redit ipſe relictos
Ad folles. quos ut ſopitum vertit ad ignem,
Juſſit quenque deus fungi ſua munia rite.
Spirabant folles una in fornacibus altis
Biſdeni, omnigenas ultro non ſegniter auras
Fundentes; nunc, feſtino quae proforet, auram
Nunc aliam, quamcunque faber ſibi poſceret, & quae
cunque foret magis apta operi. mora nulla coruſco
Inde igni large impoſuit genus omne metalla,
Aurumque, argentumque, & ſtanni pondera, & aeris
Indomiti; magnamque locans in robore duro
Incudem ut ſtatuit, forceps laevam, gravis aere
Malleus implevit dextram; nec multa moratus
Daedaleum informat clypei quincuplicis orbem
Ingentem, ſolidum, candentique ambiit ora
Fulgentem verſu triplici, mollique revinxit
Argento, in lori faciem quod flexile duxit.
Tum variis totum formis caelavit, & omnem
Inſculpens rerum ſpeciem mira indidit arte.
Illic telluremque almam, caelumque, liquentes
Oceani & campos fecit, Solemque labore
Perpetuo haud unquam feſſum, plenamque coactis
Cornibus, & puro candentem lumine Lunam;
Et caelum quaecunque ornant labentia circum

v. 485.

Si-

Sidera, Pleïadaſque, Hyadaſque, & Oriona magnum,
Immanemque urſam (plauſtrum cognomine dicunt)
Vertentem ſeſe contraque Oriona tuentem,
Oceani quae ſola unquam non tingitur amni.
Tum geminas pulchris praecinctas moenibus urbes
Fecit. in hac poſitaeque dapes, & laeta parantur
Connubia. ante faces lucent longo ordine, ſponſae
Poſt, matrum e thalamis egreſſae, rite per urbem
Ducuntur; laeto circum ſonat aura Hymenaeo;
Exſultanſque chorus juvenum ſe verſat in orbem,
Ac terram plaudit pedibus; quos inter & acris
Tibia multifori buxo, jucunda ſonantes
Et citharae. matres ſua quaeque ad limina primas
Ante fores tacitae ſimiles mirantibus adſtant.
At procul hinc coetu complerat magna frequenti
Turba forum, ancipiti confeſtim lite coorta.
Quippe viri duo certabant alterna viciſſim
Jurgia miſcentes noxa ſuper, ante patratam
Ob caedem. cives compellans, omnia ſeſe
Jam ſolviſſe alter clamabat: ſe nihil unquam
Accepiſſe alter jurabat. ponere finem
Ergo ambo optabant docto ſub judice liti.
Huic pars acclamat vulgi: pars altera at illi
Aequa favet; ſtudiis gliſcunt certamina. turbae
Sedabant fremitum praecones. ſedibus & jam
Marmoreis ſacro in circo conſueta locarant
Membra ſenes: juxta clamoſi ſceptra tenebant
Praecones; accepta ſenes quae rite gerentes,
Poſt alios alii ſurgebant, & ſua quiſque
Pandebat quae certa foret ſententia. fulvi
In mediis auri duo magna talenta jacebant,
Danda olli, viſus veri conſultior omnes

v. 508.

Qui

Qui ſoret ante alios, & qui ſervantior aequi.
Urbem aliam hinc atque hinc, cinctae fulgentibus armis,
Circumſtant acies geminae. queis certa voluntas
Vel dejecta ſolo dare moenia celſa, vel omnem
Urbis partiri gazam cum civibus: illi
Nondum animo fracti parebant; furtaque belli,
Clam pubem armantes, ſecreta in parte parabant.
Tunc varia murum ſtantes cinxere corona
Matres, atque nurus, puerique, ac debilis aevo
Turba ſenum: juvenes abeunt; quos torvus euntes
Praegreditur Mavors ſimul & Tritonia Pallas,
Ambo auro excuſi, auratis in veſtibus ambo,
Ingentes, pulchrique, armiſque inſignibus ambo
Conſpicui, ceu ſancta deûm par numina: ſubſtat
Mole minor pubes mortali ſanguine creta.
Hi, ſedem inſidiis nacti aptam, fluminis alveum,
Quo ſaturum pecus omne ibat de more liquentis
Ad potum lymphae, tecti fulgentibus armis
Inſedere locum: in ſpeculis procul inde ſedebant
Queis duo delecti juvenes, oviumve boumve
Flexipedum adventum ſervantes. nec mora longa
In medio. pecus en prodit; duo pone ſequuntur
Paſtores, inflantque leves alterna cicutas,
Laeti animi, fraudum ſecuri. protinus illi
Ignaris denſi incurrunt, armentaque ſternunt
Pulchra, & oves rapiunt niveas, caeduntque magiſtros.
Aſt alii longe belli de rebus habebant
Conſilium. hi ſubitum poſtquam audivere tumultum,
Praedantum & voces, & rapta armenta, relictis
Sedibus una omnes conſurgunt, atque frementes
Subjiciunt in equos pernici corpora ſaltu,
Corripiuntque viam; jamque adſunt agmine magno,

ŷ. 532.

Con-

Conſiſtuntque: altas gliſcit pugna aſpera utrinque
Fluminis ad ripas. caedunt ſe mutua longis
Hinc atque hinc haſtis aerata cuſpide; turbam
Per mediam graditur Diſcordia ſaeva, Tumultus
Et demens; dirumque fremens male noxia Parca
Hunc tenet integrum, transfixum hunc membra recenti
Vulnere, duro alium leto furibunda jacentem
Per mediam pedibus turbam trahit, illa cruore
Sparſa manus, pallaque humeros induta cruenta.
Spirantes pugnam credas miſcere coruſco
Aere viros: caeduntque, ruuntque, & corpora vita
Caſſa trahunt, magno inſtantes certamine utrinque.
  Nec non cernere erat molli tellure novale
Amplum, ter ducto proſciſſum vomere, tauros
Multus ubi ſtimulo increpitans verſabat arator.
Hos arvi reduces poſtremo in limite baccho
Vir dulci excipiens omnes ex ordine obibat,
Cuique manu praebens cyathum de more: refecti
Viribus ad ſulcos vertebant quiſque ſuos ſe,
Extremum optantes camporum attingere finem.
Arva ſecant illi, tellus poſt terga relicta,
Aurea ſit quamvis, curvo ceu vomere verſa,
Nigreſcit verae ſimilis, mirabile viſu.
  Septa etiam agrorum denſis horrentia ſpicis
Addidit, intentoſque operi, falcemque tenentes
Meſſores. jam fervet opus; flavique manipli,
Pars ſulco in verſum procumbunt: pone ſecuti
Tres, qui operas urgent, partem vinxere; reſecta
Queis pueri frumenta legunt, praebentque, ferentes
Aſſidue ſublata ulnis Cerealia dona.
Hos inter dominus ſtat geſtans ſceptra, tuetur
Et tacitus; complent laetum cui gaudia pectus.

v. 557.

Praecones patula ſubter convivia quercu
Sacra parant, caeſoque epulas ſtruxere juvenco.
Nec minus & longo feſſis meſſoribus aeſtu
Miſcebant tritae Cereris dona alba puellae.
  Vinea non longe ſurgit, multa gravis uva,
Aurea, pulchra, nigris paſſim variata racemis.
Suſtentat vites vallorum argenteus ordo:
Circum foſſa nigrans cyano, ſeptumque nitenti
Candens e ſtanno; quo tantum ſemita ducit
Una, meant ultro per quam citroque ferentes
Pondera, dum plenis ſpumat vindemia labris.
At laeti juvenes, aevo & florente puellae
Uvam in textilibus dulcem geſtant calathiſcis.
In mediis citharam pulſat puer, atque decorum
Voce Linum molli ſimul accinit. hunc chorus omnis
Cantuque & plauſu ſequitur fremituque canentem.
  Haud procul hinc armenta boum capita alta ferentum
Fecerat, excudens auro ſtannoque. juvencae
Linquebant ſtabulum ſordens, & nota petebant
Paſcua, non longe ripis arguta ſonantis,
A fluvii, & curſu rapido per prona ruentis,
Plurima cui virides ripas praetexit arundo.
Una ibant auro clari fulgente magiſtri
Quatuor, atque novem celeri pede, fida magiſtris
Turba, canes albis horrentes corpora villis.
At duo prima inter metuendi armenta leones
Unguibus ingentem taurum rictuque tenebant,
Mugitus edentem altos, fruſtraque gementem
Raptabant. trepidi juvenes & fida canum vis
Accurrere: illi, jam tauri tergore ſciſſo,
Viſcera purpureumque hauribant ore cruorem.
Nequidquam clamore inſtant; & voce moloſſos

v. 584.

In-

Inſtigant crebra paſtores; morſibus illi
Appetere haud audent averſi, horrendaque vitant
Ora; modo allatrant magis & magis uſque propinqui.
Paſcua praeterea multa faber inclytus arte
Ampla ovium fecit pulchra in convalle, nitentum
Eximio candore, & ſepta agreſtia, & aptas
Paſtori ſedes, tentoria, tectaque denſo
Duram hyemem contra pluviaſque mapalia culmo.
Inde chorum varians apte diſtinxerat, illi
Aſſimilem, Cnoſſo in lata quem Daedalus olim
Inventum inſtruxit flavae, ut perhibent, Ariadnae.
Heic laeti juvenes, forma & praeſtante puellae
Plaudebant choreas, manibus per mutua junctis.
His tenui lino veſtes: at membra nitentes
Velabant illis tunicae, ſubtemine denſo.
Hae nivea pulchras geſtabant fronte corollas:
Illis ex humero pendebat fulgidus auro,
Argento amplectens nectit quem balteus, enſis.
Haec pedibus magnum doctis nunc turba per orbem
Seſe agili ſaltu verſabat: fictor ut olim
Ille rotam manibus tractans convertit, utrinque
Experiens docili quam ſe ferat incita curſu;
Nunc celeres variis miſcebat mutua greſſus
Ordinibus. ſtabat ſpectantum laeta corona
Pulchras denſa tuens choreas; geminique rotabant
In mediis ſeſe juvenes, cantumque praeibant.
Extremo clypei radiantis in orbe locavit
Oceani vaſtis undantem fluctibus amnem.
Fecit ubi ingentis clypei mirabile textum;
Addidit & thoraca, ipſo magis igne coruſcum,
Temporibuſque habilem galeam, ſolido aere nitentem,
Pulchram, daedaleam; cui ſummo in vertice criſta

Aurea nutabat, tum lento denique ſtanno
Candentes ocreas, fulgentia tegmina crurum.
 Quae bonus ut mira perfecit Mulciber arte,
Laetus Achillea coram locat omnia matre.
Accipitri at rapido ſimilis dea lapſa per auras,
Fugit ſiderea de ſede nivalis Olympi,
Arma, dei munus, portans radiantia nato.

HOMERI ILIADOS

LIBER DECIMUSNONUS.

OCeanum crocea linquens in veſte, ferebat
Aurora & divis lucem & mortalibus almam.
Cum Thetis ad naves venit, Vulcania ſecum
Dona ferens. gnatum heic Patrocli exſangue cadaver
Complexum invenit, flentemque, & pectore ab imo
Altos rumpentem gemitus; circumque frequenti
Plorantes coetu ſocios. cui diva repente
Adſtitit, ac dextra dextram complexa, profatur:
  Iſtum vel moeſti patiamur, nate, jacere,
Cum ſemel eſt dulci ſpoliatus luce, deorum
Numine. tu, mittit quae Mulciber, arma capeſſe
Pulchra, oculis miranda; humeris non induit unquam
Qualia vir quiſquam mortali ſemine cretus.
  Haec effata, cito coram deponit Achille
Arma ſolo, mirae artis opus, quae pulſa dedere
Horrendum flictu ſonitum. conterrita pubes
Myrmidonum intremuit; nec lumina tollere contra
Quiſquam auſus: cuncti retro fugere. tuenti
Pectus at Aeacidae ſaevas magis arſit in iras,
Atque oculi flammae in morem micuere coruſci;
Gaudebatque, interque manus caeleſtia dona
Verſabat, mirans artem formaſque, laborem
Et varium: volvitque oculos per ſingula; matrem
Continuo & caram compellans, talibus infit:
  O mater, deus arma dedit ſe digna; deorum
Qualia par manibus quae fiunt, arte virorum

Ulla nec fieri poſſunt ulloque labore,
Eſſe opera. ergo citus bello armor: ſed mihi cura
Solicitat mentem, interea ne vulnera turpes
Patrocli muſcae ſubeant, vitaque carentes
Dedecorent, foedentque ſatis ne vermibus artus.
Cui Thetis: Iſta tibi mentem ne cura fatiget,
Nate. ego nam foedas, examina dira, volantes,
Membra virûm ſuerunt quae bello exſtincta vorare,
Ipſa abigam; ac, totum vel ſi porrectus in annum
Heic jaceat; qualis nunc eſt, tibi labe ſine ulla
Integer, aut etiam formoſior uſque, manebit.
Verum age &, in coetum Grajis jam rite vocatis,
Da veniam Atridae, atque irarum deſine; bello
Dehinc armare, tuaſque exprome in praelia vires.
Sic ait, àtque animis gnatum dea fortibus implet;
Patroclo at dulcem ambroſiam, purique liquentes
Nectaris infudit ſuccos, putreſcere poſſet
Ne corpus, nares inſtillans rite per ambas.
Continuo, curvum gradiens per litus, Achilles
Heroas Danaûm primores, lumina gentis,
Belligeram & pubem feſtinus voce vocabat
Horrenda. ipſi etiam nautae, clavumque regentes,
Quique penum curant, certatim puppibus altis
Effundunt ſeſe, conſpecto rurſus Achille,
Poſtquam depoſitis longum ceſſaverat armis.
Tum claudi greſſu lento venere miniſtri
Mavortis gemini, Tydides inclytus armis,
Et ſapiens Laërtiades, veſtigia longis
Firmantes haſtis, a vulnere tardus uterque;
Et coetu in magno primi ſedere virorum.
Poſtremus venit Grajorum ductor Atrides
Saucius, in triſti pugna quem fixit acuto

v. 52. Aere

Aere Coon Antenorides. tum denique, ut omnes
Convenere, celer ſurgens haec fatur Achilles:
Quid mihi, quidve tibi, Atride, fuit utile triſtes
Exercere iras, ſuper & certare puella?
Quam cur non illa confodit luce Diana,
Ipſa ſuo ſternens jaculo, qua victor opimam
Lyrneſſum cepi, muriſque opibuſque potitus?
Non tot ſtrata ſolo jacuiſſent milia Grajûm,
Hoſtili confoſſa manu, dum turgidus ira
Deſideo; Troum res unde eſt aucta, decuſque
Hectoreum, at contra memori de pectore Grajis
Nulla unquam noſtram tollent oblivia rixam.
Verum haec, facta ſemel quae ſunt, nunc mittere praeſtat,
Perdomitam & durae mentem ſubmittere ſorti.
Quod ſupereſt, iras en pono: non decet uſque
Iraſci, ſaeva nec flecti mente. ſed hortans
Nunc age Grajugenas impelle ad praelia, Teucros
Rurſus ut experiar pugna; noſcamque, carinas
Poſthacne audebunt prope celſas ducere noctem.
Quorum aliquis, longo curſu defeſſa, libenter
Genua, reor, flectet, veſanae incendia pugnae
Effugiet ſi forte mea tremefactus ab haſta.
Sic ait: at Graji laetas ad ſidera voces
Extulerunt, regi Argivo placatus Achilles
Quod poſuit triſtes, bello jam redditus, iras.
Hos inter ſceptro inſignis, ſedem ille, tenebat
Quam prius, haud linquens, ſic fari eſt orſus Atrides:
O ſocii Heroës Danai, Mavortia pubes,
Stantem audire decet; non inter verba loquenti
Obſtrepere. id ſanti durum nimis, ore diſerto
Sit licet. in turba nam quis, multoque tumultu
Audiat, aut dicat? quae vox evincere vulgi

v. 82.

Tanta queat fremitum? mentes advertite; & uni
Quae ſabor nunc Pelidae, cognoſcite cuncti.
  Saepe in me Danai jactarunt probra, malumque
Objecere mihi facinus: ſed non ego cauſſa
Ipſe fui: altitonans at Jupiter, & mala Parca,
Triſtis &, obſcura quae nocte vagatur, Erinnys.
Haec etenim Grajûm in coetu mihi numina Noxam
Injecere malam, dementi percitus ira
Eripui qua luce tuum tibi munus, Achille.
Quid facerem? quae vult deus omnia perficit. ipſo eſt
Ab Jove nata nocens Noxa omnibus. haec pede molli
Ingreditur; nec preſſa ſolo veſtigia ponit,
Sed volucri fertur lapſu, graditurque virorum
Per capita, uſque nocens miſeris mortalibus; ambos
Atque malo ingenti, rixantum aut implicat unum.
Ipſi Noxa Jovi fertur nocuiſſe, deorum
Maximus, atque hominum qui dicitur: hunc tamen olim
Juno, deûm regem, decepit foemina, Thebis
Alcmena Herculeos partus qua luce trahebat.
Nam pater in divûm jactarat talia coetu:
  Dîque, deaeque omnes, veſtras advertite mentes,
Atque audite, lubet quae nunc expromere dicta.
Hac, partu praeſens quae praeſidet, Ilithyia
Luce virum educet dias in luminis oras,
Finitimos regat imperio qui maximus omnes,
Illa hominum de gente, meo qui ſanguine creti.
  Tum ſic Juno, ſtruens fallaci pectore fraudem:
Narras falſa; iſtud nec re complebis inane
Pollicitum: vel tu jura mihi, Olympie, cunctis
Hunc fore finitimis regem, qui luce parentis
Ex utero hac dulces vitae prodibit in auras,
Ille tuo cretus de ſanguine. Talia Juno.

v. 111.

Ju-

Jupiter at fraudem non ſenſit. nec mora, damnum
Juratus ſubiit vafrae aſtu conjugis ingens.
Juno etenim celeri lapſu de vertice Olympi
Confeſtim Argivam ſeſe demiſit in urbem,
Norat ubi Stheneli Perſeo ſanguine creti
Egregiam uxorem, menſis cui ſeptimus ibat
Foetum ventre marem geſtanti; lucis in almae
Quem ſubito eduxit, nondum actis menſibus, oras:
Alcmenae at partus maturos diva repreſſit,
Continuitque, adſunt quae partubus, Ilithyias.
Ipſa deûm poſt haec ſtellatas venit in aedes
Nuncia fallacis facti, magnumque ſuperba
Audax voce Jovem compellans, talibus infit:
  Magne deûm pater altitonans, tibi nuncia veni
Hoc dictura; memor conde hoc ſub pectore dictum.
Editus eſt partu jam vir qui temperet Argos
Imperio, Stheneli Perſidae filius, ex te
Cui genus eſt, dignus certe qui ſceptra capeſſat.
  Sic ait illa: Jovi laeſo praecordia fodit
Ima dolor; Noxamque, ſuum genus, ipſe nitenti
Arripuitque coma iratus, celſiſque deorum
Aedibus ejecit; dîs & juravit, Olympi
Ad ſedes, caelumque aſtris fulgentibus aptum
Immanem nullo redituram tempore Noxam,
Atque deûm atque hominum generi quae ſueta nocere eſt.
Haec ubi juravit, natam dejecit ab alto
Axe rotans dextra ingenti: delapſa per auras
Peſtis in humanos pervenit noxia coetus.
Hanc propter divûm rex & pater uſque gemebat,
Rege ſub Euriſteo foede ſervire videret
Cum gnatum, ac duros nunquam non ferre labores.
  Sic & ego Argivos cum perderet efferus Hector

v. 134.

Ipſas

Ipſas compulſos ad naves, triſte, crearat
Quod mihi Noxa, malum ſenſi, gemuique labore
Implicitus duro fallacis numine divae.
Nunc, quoniam cepi damnum, laevus mihi ſanam
Jupiter & mentem exemit, ſtat, maxime Achilleu,
Te quavis placare, ullis nec parcere donis.
At tu ſurge iterum, belloque armare, tuoque
Hortatu fortes incende ad praelia turmas.
Dona dabo, quaecunque adiens tua ſepta daturum
Me Laërtiades heſterna luce ſpopondit.
Quin age, conſiſte heic paullum, feſtinus inire
Quanquam aveas Martis certamina, dona miniſtros
Huc tibi cuncta mea prolata e puppe jubebo
Ferre, quibus poſſis, credo, miteſcere viſis.
Haec ille. haec contra Aeacides: Atrida virorum
Regnator ductorque, iſthaec ſeu munera ut aequum
Solvere, ſeu tibi tu malis retinere, licebit
Utrumvis. ſaevo nunc omnem impendere curam
Marti opus: haud fruſtra dictis contexere dicta,
Et longas traxiſſe moras, dum grandia pendent
Orſa; aliquis Grajûm cernens ut rurſus Achillem
Gaudeat Iliacas ferro vaſtare phalanges,
Voſque idem, exemplo incenſos, agat ardor in hoſtem.
Sic ait: at ſapiens contra ſic fatur Ulyſſes:
Ne mihi, ne, quamvis fortis ſimiliſque deorum,
Pelide, Grajos durae in diſcrimina pugnae
Jejunos impelle urbis ſub moenia. longum
Inſtat enim pubi certamen, cum ſemel ambae
Concurrent acies, & cum bellator utriſque
Afflarit praeſens animum deus. ergo jubeto
Ire ſuam quenque ad puppem, potuque, paratis
Et dapibus veſci; vis unde ac robora conſtant

v. 161.

Fir-

Firma viris. jejunus enim quis ſolis ab ortu
Solis ad occaſum poſſit producere pugnam?
Ille licet praeſtetque animis, & Martis amore
Flagret inexpleto, pugnanti feſſa graveſcunt
Membra tamen; ſubit atque ſitis veſana, fameſque;
Genua labant, ſubter ſtabilis nec greſſus eunti eſt.
At contra dapibus qui vir ſatur atque Lyaeo,
Congreditur, longaeque invadit praelia pugnae,
Huic animuſque audax viget uſque in pectore, membra
Nec languent defeſſa unquam, verſo agmine donec
Diffugiant dilapſi omnes, quibus inſtitit, hoſtes.
Quare age, dimiſſo nunc coetu, corpora curet
Quiſque jube. Grajûm interea regnator Atrides
Dona heic in medio ſtatuat promiſſa, frequentes
Ut videant oculis Danai; tuque auctus honore
Eximio, laetere animi, vultumque ſerenes.
Praeterea ſtans in mediis hoc juret Achivis:
Intactamque, omniſque expertem reddere probri
Se tibi ſervatam caſte ſancteque puellam.
Sic animo hanc propter ſi quid curae inſidet, omne
Deponas prorſum, pacata mente, licebit.
Poſt haec lauta tibi convivia ponat amicis
Accipiens epulis intra tentoria; quidquam
Ne deſit juris non omni ex parte ſolutum.
Tu quoque ſic fies poſthac ſervantior aequi,
Atride. regi donis nec turpe minorem eſt
Rite virum placare, prior quem laeſerit ipſe.
  Tum ſic Atrides: quae fatus, cuncta probavi,
O Laërtiade, laetorque audiſſe: relictum
Nec tibi enim fanti quidquam eſt quod poſceret uſus.
Iſta libens equidem jurabo; falſa nec audax
Dicam, teſte deo. ſed, quamvis praelia inire

Fortis avet, maneat paullum tamen effice Achilles.
Voſque manete itidem cuncti; dum juſſa feruntur
Dona, ſacro & laeti ſancimus foedera ritu.
Hoc tibi ego mando nunc munus: delige primos
Omnibus e Danais juvenes, qui ditia portent
Dona mea e puppi, dudum promiſſa, puellas
Et ducant. celer interea paret ocyus aprum
Talthybius Soli mactandum rite Jovique.
  Tum ſic Pelides: alias curabitis iſta,
Cum vacuum a pugna tempus continget, in arma
Nec tantus rapiet, quantus me nunc rapit, ardor.
Quippe jacet campis pubes confoſſa virorum,
Saevus quam, dextro fretus Jove, perdidit Hector.
Vos curare dapes Danaos & vina jubetis:
Aſt ego jejunos horter, potuſque dapumque
Immemores bellare; dehinc poſt, ſole cadente,
Ultos pulchre hoſtem, probrum ultos gentis Achaeae,
Omnigenis expleri epulis, dulcique Lyaeo.
Certe ego nec quidquam veſcar, per guttura potus
Nec mihi ſicca ullus deſcenderit ante, ſodalem
Quam carum ulciſcar. qui nunc mihi, caeſus acuto
Aere, jacens intra tentoria, verſus ad altas
Ora fores fletur, ſociûm cingente corona.
Hunc propter non laeta mihi convivia cordi,
Sed caedes, fuſuſque cruor, gemituſque virorum.
  Huic prudens rerum contra ſic fatur Ulyſſes:
O Pelei proles, Danaûm fortiſſime Achilleu,
Tu me haſta es melior multo, & praeſtantior: uſu
Rerum ego ſed multum, prudenti & pectore vinco.
Nanque prior natus te ſum, rex, pluraque novi.
Ergo meis pigeat ne te ſubmittere dictis.
Marte viri pugnaque cito ſatiantur, acutum

v. 221.

Aes ubi , ceu ſtipulam , bellantum corpora fudit
Strata ſolo numero ingenti : vix pauca ſuperſunt
Fato erepta , velut quae fertur in horrea meſſis ;
Depreſſam inclinat lancem cum Jupiter altus ,
Bella ſuo genitor qui triſtia numine torquet .
Exſtinctos nec ventre licet lugere : per omnes
Turba cadit nam multa dies : (quaenam ergo futura
Sit cuiquam requies unquam curae atque doloris?)
Verum opus eſt vita functos condique ſepulcro
Forti animo , inque diem fleri : tum deinde , ſuperſunt
Incolumes durae qui poſt certamina pugnae ,
Eſuſque , ac laeti potus meminiſſe ; refectis
Viribus , o ſocii , rurſum ut pugnemus in hoſtem
Acrius , indomito ſepti aere . Hoc omnibus eſto
Hortamen pugnae ; ne quis poſt prandia lentus
Deſideat , maneatque hortantem in bella ; malo ne
Pulſus eat , deſes fuerit quicunque relictus
Ad naves . cuncti potius denſo agmine caſtris
Effuſi in Teucros concordi mente feramur .
  Haec ubi ſic fatus , gnatos ſibi Neſtoris ambos ,
Phylidenque Megeta , Thoantaque , Merionenque ,
Et Creontiaden Lycomedea cum Menalippo
Delegit comites . ſimul hi tentoria Atridae
Celſa petunt , dicto & citius praecepta faceſſunt .
Septenos portant tripodas , fulvo aere lebetas
Biſdenos , bis ſex pernici corpore ducunt
Cornipedes , ſeptem forma praeſtante puellas ,
Et doctas operum : poſt has Briſeïda pulchram .
Magna auri Laërtiades appenſa talenta
Ipſa decem geſtans , prae cunctis ibat : euntem
Pone alii juvenes portantes dona ſequuntur .
Hi coetu in medio ſtatuere ex ordine cuncta .

v. 249.

Tum ſtetit exſurgens Agamemnon ; Talthybiuſque
Voce deo ſimilis regem prope conſtitit, aprum
Ille gerens manibus. cultrum dein ſtrinxit Atrides,
Magni ad vaginam gladii quem ſemper habebat
Suſpenſum ; atque apri ſetas, libamina prima,
Praecidit. tum deinde Jovi cum voce ſupinas
Rite manus tendens ſic fatur: ſede ſedebant
Quiſque ſua interea Danai, tacitique loquentem,
Ut par, audibant regem. qui lumina caelo
Attollens dedit has alto de pectore voces:
  Optimus haec ſummuſque deûm, precor, audiat ipſe
Jupiter, & Tellus, & Sol, & Erinnyes, alta
Sub terra quae vafra hominum perjuria plectunt.
Omnis ego expertem reddo Briſeïda probri,
Intactam, ſanctèque habitam caſteque puellam.
Si fallo, ſi quid perjurus mentior, omnes
Iratos habeam divos, atque omnia pendam,
Perjuros quae damna homines, cladeſque ſequuntur.
  Sic ait ; atque apri jugulum ſecat aere coruſco ;
Quem cani maris immenſum projecit in aequor
Talthybius, magna vi torquens, piſcibus eſcam.
  Tum Grajos inter ſurgens, haec fatur Achilles:
Jupiter, ut noxas miſeris mortalibus inſers
Ingentes! nec enim, ſocii, mihi pectus Atrides
Commoſſetque ira perturbans, vique puellam
Abduxet praeceps confuſa mente, deûm rex
Ni dare multa neci voluiſſet milia Grajûm.
Nunc ite, ac victu vires revocate ; refectis
Artubus ut mecum pariter tendatis in hoſtem.
  Sic fatus coetum ſolvit feſtinus. Achivi
Quiſque ſuas ibant ad naves. tradita dona
Myrmidones laeti curabant ; atque carinam

v. 279. Ae-

Aeacidae ad magni gradientes cuncta ferebant.
Ponunt gazam intra tentoria, ſedibus îdem
Captivas juſſere ſuis conſidere; equoſque
Paſtum armenta inter celeres egere miniſtri.
  Briſeïs forma tibi par, Venus aurea, poſtquam
Patroclum ferro confoſſum vidit acuto,
Circumfuſa viro cum luctifico ululatu,
Cervicemque, ſinumque, ora & formoſa ſecabat
Unguibus; ac tales fundebat pectore queſtus:
  Patrocle, o dulci vita mihi dulcior, heic te,
Heic ego te infelix nuper digreſſa reliqui
Incolumem: rediens eadem nunc, optime ductor,
Exſtinctum invenio. rerum ut me triſtia ſemper
Ex aliis alia excipiunt! cui tradidit olim
Me pater ac genitrix, vidi pro moenibus urbis
Ipſa virûm aerata confoſſum cuſpide: vidi
Tres miſerae fratres mater quos una crearat
Germanos, triſti cunctos procumbere leto.
Tu me flere tamen, dulcis Patrocle, vetabas,
Quod mihi morte virum mactarat victor Achilles,
Moenia quod clari vaſtaverat alta Mynetis.
Nam me dicebas taeda ſociare jugali
Velle tuo Aeacidae, celſaeque ad moenia Phthiae
Puppibus in curvis vectae celebrare frequenti
Myrmidonum in coetu, ſacris de more litatis,
Solemneſque epulas, & laetificos Hymenaeos.
Jure igitur talem, tam miti pectore, ploro
Nunc ego inexpletum lacrimans, doleoque peremptum.
  Tales illa pio queſtus dabat ore: puellae
Plorabant aliae ſimul aegro pectore, flentes
Furtim quaeque ſuos alieno in funere caſus.
  Peliden magnum at circumſtans multa rogabat

v. 303.

Tur-

Turba ſenum, duro prandens ut membra labori
Firmaret. gemit ille; preces & reſpuit omnes:
Ne vero, ne me, obteſtor, compellite, dulces,
(Si mihi nunc quiſquam potis eſt parere) ſodales,
Ante dape aut potu refici; cui pectora triſtis
Moeror habet. ſolem juvat exſpectare cadentem;
Longa juvat luctu in miſero jejunia ferre.
Haec fatus, reges alios dimiſit: Atridae
At gemini manſere illic, & dius Ulyſſes,
Neſtorque, Idomeneuſque, incano & vertice Phoenix,
Quiſque gravem curam conantes demere: blandis
Ille nihil verbis, vario & ſermone movetur
Ante, ineat belli quam praelia ſaeva cruenti;
Et ſocii memor uſque gemitque, ac talia fatur:
Infelix, mihi ſupra omnes dilecte ſodales,
Prandia tu multo fueras mihi lauta paratu
Ponere feſtinuſque & ſedulus, arma ferebant
Belligeros quoties in Troas Martia Graji.
Nunc tu, care, jaces ferro confoſſus; at ipſe,
Triſte tui deſiderio cor fixus, abunde
Quae mihi ſunt intus, dapibus nec veſcor, & omni
Abſtineo potu. nec enim contingere quidquam
Triſtius hoc poſſit miſero graviuſque; nec ipſum
Audirem ſubita exſtinctum ſi morte parentem.
Cui patria nunc in Phthia fortaſſe tepentes
Ore fluunt lacrimae, quod longo a tempore degit
Avulſus tali gnato; quem praelia dura
Invîſae propter ſcelus exitiale Lacaenae
Ignoto exercent peregrinae in litore gentis;
Nec leto raptum ſi quis jam nunciet eſſe,
Qui mihi, ſpero equidem, Scyro nutritur in alta
Vivus adhuc, roſeoque deos pulcherrimus aequat

v. 327.

Ore Neoptolemus. ſoli mihi triſte parari
Sperabam letum, patria procul urbe domoque
Iliacis ſtrato ſub muris; teque futurum
Incolumem, Phthiam poſſes qui claſſe reverti,
Atque mihi puerum Scyro deducere, & olli
Remque meam monſtrare, & ſervos, celſaque tecta.
Nanque reor Peleum vitali aut lumine caſſum,
Aut vitae jam poſſe ullo vix munere fungi,
Defeſſumque gravi ſenio, preſſumque dolore
Aſſiduo, triſtem infelix dum proſpicit horam,
Me leto exſtinctum in Phrygiis quae nunciet oris.
Haec memorans flebat Pelides; flebat & una
Primorum coetus procerum, quos quiſque reliquit
Aedibus in patriis, memori dum mente revolvunt.
Hunc caelo miſerans fletum Saturnius alto
Ut vidit, tali compellat voce Minervam:
Fortem, nata, virum ſic ergo deſeris? acer
Nec tibi jam cordi eſt Pelides, ante carinas
Qui ſedet, ac moerens turbata mente ſodalem
Flet raptum? curant alii ſua prandia: at ille
Siccuſque impaſtuſque dolet. delabere caelo,
Atque ferens nectarque almum, dulceſque liquentis
Ambroſiae ſuccos, inſtilla in pectora, bello
Ut vigeat, nec membra fames illapſa fatiget.
Haec ait, & cupidam pater acuit. ilicet harpen
Aſſimulans latamque alas, & voce ſonantem
Arguta, caelo emicuit, vacuamque per auram
Labitur. Argivi jam ſe fulgentibus armis
Cingebant per caſtra alacres: dea nectar Achilli,
Ambroſiam & dulcem ſtillavit pectus in altum,
Genua fames regi ne triſtis feſſa ſubiret:
Ipſa redux niſu celeri petit alta parentis

v. 355.

Te-

Tecta, deûm ſedes. Graji ſe litore toto
E curvis alacri fundebant mente carinis.
Crebra nivis denſae volitant ceu vellera ſummo
Ab Jove, propellunt Boreae quam flabra ſereni:
Sic denſae celſis galeae fulvo aere micantes
Navibus exibant, clypeique umbone coruſco,
Fraxineaeque haſtae, thoracum & ferrea ſepta.
Ad caelum fulgor late ibat, totaque circum
Aere renidebat tellus, denſiſque virorum
Sub pedibus ſola pulſa gemebant. dius Achilles
In medio armabat ſeſe; cui ſaeva paranti
Praelia frendebant dentes, flammaeque coruſci
In ſpeciem ardebant oculi; tum corde ſub imo
Gliſcebat dolor indomitus. ſic turbidus ira
In Teucros divina, dedit quae Mulciber, arma
Induitur. ſuras ocreis ingentibus ambit,
Multa nitens claro argento quas fibula nectit:
Dehinc aptat thoraca ingentem pectora circum;
Et multo inſignem argento ſuſpendit ab altis
Enſem humeris, ſaevo aere gravem: tum ſuſtulit heros
Scutum ingens denſo textu impenetrabile, lucem
Sanguineam jactans, ceu cum rubet aurea Phoebe.
Ac velut accenſo clara igni flamma refulget
E medio nautis fluctu, circumflua ponto
Inſula ubi attollit ſeſe: (procul ardet in altis
Montibus illa ovium ad caulas: hos per mare, coetu
Carorum avulſos, vexantque feruntque procellae)
Sic magni e clypeo Pelidae clarus in auras
Fundebat ſeſe fulgor. tum deinde comantem
Attollit galeam, capitique imponit; equinis
Horrentem ſetis galeam, flammaſque vomentem
Sideris in morem. juba circum denſa tremebat

v. 383. Au-

Aurea, Vulcanus mira quam fuderat arte.
Tum ſeſe pulchris dius tentavit in armis
Aeacides: anne apta forent ſatis omnia; & artus
Incluſi poſſent partem ſe vertere in omnem.
Viſa vice alarum fungi ſunt arma, ſoloque
Sponte ſua regem vacuas attollere in auras.
Inde gravem, ingentem, praeduram fervidus haſtam
Depromit, patrium geſtamen. quibat Achivûm
Hanc nemo vibrare: unus vibrabat Achilles,
Longum fraxineae robur trabis, ex Pelio alto
Quam Chiron caeſam Peleo dedit, eſſet ut olim
Heroum, Martis dura inter praelia, clades.
Interea curru Automedon atque Alcimus alto
Alipedes jungunt rapidos, & pectora circum
Dant phaleras, fraenoſque ori maliſque ſonantes
Injiciunt; ac lora manu retracta ſuperbae
Aptarunt ſellae. ſcuticam dehinc pulchra micantem
Corripuit dextraeque habilem, curruque locavit
Se bonus Automedon: retro conſcendit Achilles,
Sol veluti, radians late fulgentibus armis.
Tum patrios ſic torvus equos hortarier infit:
O Xanthe, o Balie, ſtirps diae clara Podarges,
Cura ſit aurigam melius ſervare; cruentae
Et ſatur ut fuero vobiſcum caedis, amicas
In Danaûm turmas & caſtra Argiva referre
Incolumem: non, ut Patroclum, linquere foede
Hoſtibus in mediis vitali lumine caſſum.
Haec ait ille: celer pedibus tum Xanthus honeſtum
Demiſitque caput moeſtus, pulchramque reflexit
Cervicem: cui circlo omnis juba fuſa repente
Excidit ad terram propter juga: nec mora, magnae
Junonis nutu vocalis, talia fatur:

Homer. v. 407.

Et nunc te fidi ſervabimus, acer Achille:
Sed miſero lux dira propinquat. nec tibi luctus
Nos cauſſa: at magnuſque deus, legeſque ſeverae
Parcarum. nec enim, nobis ceſſantibus, arma
Detraxere humeris Patroclo fortia Troës:
Sed, nemo divûm quo fortior, inclyta proles
Latonae, ſtravitque virum, largitus & ingens
Priamidae ſaevo decus eſt. nos quippe vel ipſo
Cum Zephyro, ventos longe qui dicitur omnes
Ante alios levior, curſu certemus: at illi
Fatum erat (eſtque etiam tibi, rex) hominiſque, deique
Sub manibus domitum crudeli occumbere leto.
Haec fato Furiae vocem preſſere. dolore
Arſit, & his tacitum dictis invaſit Achilles:
Quid mihi, Xanthe, canis fatum? non te decet, iſta
Non opus eſt fari. novi mihi triſte paratum
Heic letum longe a patria amplexuque parentum.
Nec tamen abſiſtam pugna, prius, effera Troum
Quam pubes cedat bello ſatiata cruento.
Sic ait; invectuſque alto clamore phalanges
Per medias curru primum proceſſit in agmen.

HOMERI ILIADOS

LIBER VICESIMUS.

SIc laeti armabant ſe curvo in litore Graji
Te circa, Pelida, inſano Marte frementem.
Nec minus & Troës, campi qua plana tumeſcunt
In collem, trepidi turmas in bella ciebant.
Jupiter interea Themin omnes juſſerat almam
In coetum divos ſinuoſi a vertice Olympi
Cogere. continuo partes dea fertur in omnes
Hac illac curſans, cunctoſque ad limina juſſit
Ire Jovis. dicto parent magnique, minores
Et divi numero ingenti: nec flumina, praeter
Oceanum, nymphae nec deſunt, quae nemora alta,
Quae fontes fluviorum habitant, quaeque herbida prata.
Illi aedem in magni poſtquam venere Tonantis
Sedibus in rutilis, patri quas Mulciber olim
Fecerat ipſe manu ſolerti, ex ordine cuncti
Conſedere. Themin fratris nec juſſa ferentem
Sprevit fluctipotens Neptunus: venit ab alto
At pelago, & ſedit medius fulgente deorum
In coetu; atque Jovem ſcitari talibus inſit:
Nam cur nos, rapidi jaculator fulminis, urgent
Huc tua juſſa iterum? Grajûm an de gente Phrygumque
Mente aliquid verſas? quos inter dira frementes
Ocyus ardeſcent veſanae incendia pugnae:
Haec ille: haec contra caelo qui nubila cogit
Jupiter: O terram quaſſans Neptune, ſub alto
Pectore quid verſem noſti, cunctoſque vocarim

Cur ſubito in coetum divos . mihi cura virorum eſt
Triſtia fata licet miſeris , cladeſque parentur .
Attamen aërii ſupremo in vertice Olympi
Ipſe procul rerum contemplans cuncta manebo ;
Atque animum paſcam ſpectaclo heic ſolus . abite
Vos Danaos Troaſque inter , veſtroque levate
Quos lubet auxilio . ſolus nam pugnet Achilles
Si Troas contra ſolos , nuſquam , agmine verſo ,
Stare loco poſſint , certaeque obſiſtere cladi .
Quippe viri adſpectum dira formidine capti
Ante etiam horrebant : nunc , rapto ſaevus amico ,
Dum furit , ipſa urbis metuo ne moenia ſternat
Verſa ſolo , fati nec poſſit lege teneri .
Jupiter haec fatus , veſano corda tumultu
Miſcuit , atque animos belli ſuccendit amore .
Ergo odiis in ſaeva abeunt diſcordibus arma .
Ad naves tendunt Juno & Tritonia Pallas ,
Complectenſque ſolum Neptunus , largus & auctor
Lucri Mercurius , ſolerti pectore praeſtans .
Mulciber una ibat , torvuſque ac robore fretus
Immani , claudo nutans veſtigia greſſu .
At contra Mars bellipotens , intonſus & una
Phoebus , & horriſonis gaudens Dictynna ſagittis ,
Xanthuſque , & riſu gaudens Venus , atque ſupremo
Cara Jovi Latona , Phrygum petiere catervas .
Ac , dum longe aberant divi a mortalibus , acres
Elatique animo Graji ſuperante vigebant ,
Quod celer , exortus poſt otia longa , ruebat
In bellum , Phrygiae clades ac terror , Achilles :
Trojugenae at gelido perculſi corda pavore
Horrebant , dium ſaevis quod fulgere in armis
Peliden Marti ſimilem videre cruento .

v. 46. Ve-

Verum ubi dî turmas inter venere virorum ,
Exarſere animis irae , calefactaque late
Corda virûm , hinc atque hinc in caedem , ac tela ruentum .
Stans etenim nunc pro muro Tritonis ad altam
Clamabat foſſam , vaſta nunc voce ſonabat ,
Caerulei frangunt qua ſeſe ad litora fluctus .
Parte alia torvus Mavors , nigrae ille procellae
Aſſimilis , ſumma Teucris hortator ab arce
Clamorem dabat inſanum ; Simoëntave propter
Curſans pulchra ſacrae per culmina Callicolones .
  Sic geminas egere acies in ſaeva beati
Praelia caelicolae ; pugnam &, ceu turbine rupto ,
Excivere gravem . divûmque hominumque ſuperne
Horrendum intonuit genitor : ſubter ſola terrae
Ingentis , monteſque altos , & celſa tridenti
Concuſſit juga Neptunus . tum roſcida rivis
Ida , imae valles , ſupremaque culmina , late
Contremuere , Phrygumque aedes , Argivaque caſtra :
Umbrarumque infra regnator pallidus alto
Exſiluit ſolio clamans exterritus , olli
Deſuper immani terram Neptunus hiatu
Ne findens penitus diſrumperet , ima paterent
Et dîs atque viris penetralia , nigra , tenebris
Triſtia , ſenta ſitu , viſu deformia , & ipſis
Caelicolis horrenda : ruentum in bella deorum
Tantus erat ſupra ſumma in tellure tumultus .
Nam regem contra Neptunum ſtabat Apollo
Fulgentemque arcum geſtans volucreſque ſagittas :
Sanguineum at contra Mavortem caeſia Pallas :
Junoni oppoſuit ſeſe Dyctinna , ſagittis
Auratoque arcu gaudens , nemorumque fragore ,
Venatrix , ſoror arcitenens tua Phoebe . domorum

v. 71.

Ser-

Servator lucrique dator. Cyllenius arma
Latonam contra quaſſabat. conſtitit acrem
Vulcanum contra ferus alto gurgite, Xantum
Nomine quem divi perhibent, homineſque Scamandum.
Sic infeſta deos contra dî tela ferebant.
Pelides Troum ardebat ſe immittere turbae
Hectora Priamiden contra, bellique potentem
Illius ante omnes Martem ſatiare cruore.
Adverſum huic, populos qui concitat, acer Apollo
Dardanium ciet Aeneam, per membra vigorem
Ipſe viro adſpirans: Priamoque Lycaona cretum
Voce deus referens, verbis haec fatur amicis:
Magnanime Aenea, quonam promiſſa, minaeque
Nunc abiere tibi! Troum quae regibus olim es
Pollicitus, dum laeta agitas convivia: Achillem
Excipere ac pugnam collata invadere dextra.
Haec ille: Aeneas contra cui talia reddit:
Priamide, nam cur me invitum in praelia trudis,
Pelidenque jubes contra pugnare ſuperbum?
Non ego nunc primum tulero forti obvius arma
Aeacidae: congreſſum alias me terruit haſta,
Ex alta fugientem Ida; quo tempore noſtris
Ingruit armentis, bello vaſtavit & altam
Lyrneſſum veniens, & Pedaſon: at mihi triſtes
Jupiter avertit Parcas, membriſque vigorem,
Vimque dedit celerem genibus, ne fata ſubirem
Pelidae manibus domitus, manibuſque Minervae.
Quippe virum dea magna tuenſque, acuenſque praeibat,
Et Lelegas Troaſque jubebat ſternere ferro.
Ergo virûm nemo pugnae in certamine Achillem
Stare queat contra; divûm cui bella gerenti
Semper adeſt aliquis, fatumque avertit; acutum

v. 98.

Cui

Cui volat e manibus telum, rectaque per auras,
Sponte ſua veluti, fertur, nec deſinit ire
Ante, viri ſubiens quam figat cuſpide corpus.
Quod trahat aequato ſi nunc examine lances
Jupiter, haud facile me vicerit ille, rigenti
Non ſi conflatum ferro ſe jactitet eſſe.
Haec ille: haec contra, proles Jovis, altus Apollo.
Heros magne, deos quin tu quoque morte carentes
Poſcis opem? ſummi germen Jovis alma creavit
Quem Venus, ut perhibent; diva editus ille minori eſt:
Altera nata Jovis, longaevi eſt altera Nerei.
Ergo age & infeſta procurre interritus haſta;
Nec metue immaneſque minas, & dicta ſuperba.
Haec ait, atque habilem fudit per membra vigorem
Inſpirans. ruit ille virûm per denſa coruſco
Aere nitens, magnoque infert ſe infeſtus Achilli.
Quem procul ut vidit gradientem regia Juno
Turbam prima deûm ſociam vocat, atque ita fatur:
Neptune ac Pallas, corde haec verſate ſub alto
Quo caſura modo ſit res. fert obvius arma
Aeneas contra Peliden; auctor Apollo
Cui mentem pugnae veſano incendit amore.
Quare agite, aut pulſum longe hunc vertamus, Achillem
Aut aliquis noſtrûm praeſens juvet ocyus, & vi
Compleat, atque animis pugnantem audacibus auctet,
Sentiat ut carum ſe primis eſſe deorum
(Nam pretio digni nullo, qui Troica divi
Arma juvant), noſque huc ſummo de vertice Olympi
Deſcendiſſe omnes, armiſque occurrere, nequid
Ipſe grave a Teucris hodie ferat. hac ubi victor
Functus erit pugna, ſubeat licet, aſpera quidquid
Parca illi nevit, matris cum fuſus ab alvo eſt.

v. 128.

Haec

Haec opus eſt illum noſtra nunc voce moneri ,
Ne metuat , ſiquis divûm forte obvius inter
Arma dabit ſeſe . mortali objecta deorum
Nam facies horrore animum percellere ſuevit .
Sic dea : ſic contra Neptunus : parce furori
Indomito , Juno , nec tantos pectore motus
Concipe . non etenim te ſic decet , o Dea , fruſtra
Iraſci ; triſtique deos committere pugna
Turpe fuat nobis majoribus . hinc ſuper altam
Digreſſos potius ſpeculam conſidere praeſtat .
Bella viri interea curabunt . praelia quod ſi
Forte ineat ſaevus Mavors, aut Phoebus Apollo ,
Pugnantem aut ſiſtant Peliden ; arma feremus
Adverſi ; durum gliſcet certamen , & ambo ,
Credo equidem, bello ſemoti rurſus Olympi
Celſa petent coetumque deûm , vi fractus uterque ,
Et noſtris domitus manibus . dehinc talia fatus
Magni caeruleus rector maris , Herculis altum
Praegrediens divos murum petit , aggere ſtructum
Ingenti , Troës quondam ac Tritonia Pallas
Quem fecere Jovis nato , vitare ſequentem
Quiret ut in campos procurvo ab litore cetum .
Illic Neptunuſque pater , divûmque caterva
Conſedit , nubem induti , quae denſa nequiret
Vi diſſolvi ulla , clarumque admittere ſolem .
Dî procul inde alii pulchrae juga Callicolones ,
Te circa Phoebe arcitenens , Martemque cruentum ,
Inſedere , altas bello qui proruit urbes .
Hinc atque hinc illi diverſa in parte ſedebant
Multa inter ſeſe vario ſermone ferentes
Conſilia : infeſtis ordiri at praelia telis
Cunctantes . in ſaeva pater quos arma ciebat

v. 55. De-

Deſuper, aërio reſidens in vertice Olympi.
Interea denſo complerant agmine campum
Aere viri claro fulgentes, aere coruſci
Et claro currus. tum pulſu terra tremebat
Quaſſa pedum turbae confertim in bella ruentis.
In medium ardentes animis pugnaeque parati
Prodibant gemini heroës, duo fulmina belli,
Aeneas Anchiſiades, & dius Achilles.
Fert prior Aeneas magna ſe mole; tuenſque
Torva, gravi & nutans galea procedit, aheni
Praetendens laeva clypei verſatile pondus,
Ac dextra quatiens aeratam turbidus haſtam.
Pelides alia contra de parte ruebat.
Immanis veluti leo, quem demittere morti
Ardent collecti agricolae, turbaque frequente
Longe inſtant, ſpernens clamorem telaque greſſu
It lento: juvenum ſed ferro ſiquis adacto
Laeſerit, ille acer ſeſe convolvit, & ora
Pandit hians, (dentes circum ſpuma effluit albos)
Horrendoſque ciet gemitus, & verbere caudae,
Hinc atque hinc geminum caedens femur & latera alta,
Excitat ad pugnam ſeſe atque inſtigat in hoſtem;
Jamque adeo torvus, recta ruit, aut dare certus
Morti aliquem, primos aut inter ſternier ipſe:
Haud aliter contra Aenean vis effera mentis
Invictum & robur dium ſtimulabat Achillem.
Hi poſtquam propius venerunt, talibus audax
Aeneam Aeacides compellat: Denſa virorum
Agmina tot curnam curſu permenſus, in armis
Stas, Anchiſiade? mecum an committere pugnam
Eſt animus, ſperas, me victo, regna potiri
Quod Troum aequalis Priamo? ſed lumine vitae

Homer. v. 180.

Si me forte orbes, non te tamen ille ſupremum
Evehet ad rerum culmen, gnatiſque relinquet
Poſthabitis demens alieno regia ſceptra.
Anne tibi pretium Troës dixere feracis
Partem agri, arbuſto felicem & vitibus almis,
Quam teneas victor, me caeſo? quod tibi factu
Haud facile eſſe reor, mea quem conterruit haſta
Pulſum alias. jamne oblitus qua luce fugavi
Solum, armento actum longe, curſuque ſequebar
Idaeis volucri de montibus? ante volabas
Tu celer haud unquam reſpectans. inde ſubiſti
Moenia profugiens Lyrneſſi: protinus ipſe
Quam Jove cum magno cepi magnaque Minerva;
Victor & abduxi vaſtata ex urbe puellas,
Servitio addicens. aequus te Jupiter & dî
Tunc alii ereptum ſervarunt: nec tamen îdem
Nunc etiam, credo, ſervabunt, captus inani
Ut ſpe rere animo. quare cede ocyus ultro,
Atque pedem refer hinc in turbam, nec mihi demens
Adverſus conſiſte, malum ſed proſpice, & ante
Vita. rem ſtultus, cum facta eſt denique, ſentit.
  Haec ait: Aeneas contra cui talia reddit:
Pelide, verbis terreri poſſe, puellum
Ceu mollem, ne me nunc ſpera. opprobria novi
Ipſe etiam, atque jocos mordax jactare procaces.
Alter enim alterius ſcimus genus atque parentes,
Auditos tantum fando; nam cernere neutri
Contigit. eſſe ortum fortis de ſanguine Pelei
Te perhibent Thetide e pulchra, Nereïde nympha:
At me magnanimo Anchiſae peperit Venus alma.
Horum hodie alterutri gnatum ſibi morte peremptum
Plorabunt. nec enim verbis puerilibus inter

v. 211.

Nos

Nos dirimi hanc credo ſic pugnam poſſe. doceri
Ulterius quod ſi vis haec, & diſcere noſtrum
Rite genus, multis notum mortalibus; audi.
Dardanus eſt auctor generis, Jove natus ab alto.
Dardaniam hic princeps fundavit: condita nondum
Sacra erat in campo nanque Ilios: ima colebant
Sed loca ſilvoſae riguis in ſaltubus Idae.
Dardano Erichthonius dehinc rex eſt editus, omnes
Ille viros inter longe ditiſſimus, uni
Cui tria per campos paſcebant milia equarum,
Pullis gaudentum teneris; per prata vagantes
Florea quas formam Boreas miratus amavit.
Nec mora, equo ſimilis nigra cervice comanti,
Armentum ingreſſus, biſſenas corpore pulchro
Progenuit generoſus equas. hae, cum ſola terrae
Se per culta leves curſu pernice ferebant,
Triticeam haud celeri frangebant ſub pede meſſem;
Et, cum terga ſuper ludebant caerula ponti,
Spumigero haud ſubter fluctu cedente, volabant.
Cretus Erichthonio Tros eſt, Trojanaque geſſit
Regna. triplex Troi praeclara eſt edita proles,
Iluſque, Aſſaracuſque, & dîs forma Ganymedes
Haud impar, hominum quo non formoſior alter
Editus eſt unquam vitales lucis in auras.
Hunc divi rapuere, Jovi formoſus ut almum
Miſceret nectar, cumque immortalibus aevum
Dîs ageret longum, ſummi novus incola caeli.
Ilus at eximium genuit dehinc Laomedonta;
Tithonum dehinc Laomedon, Priamumque creavit,
Lampumque, Clytiumque, & clarum Hicetaona bello.
Ortus at Aſſaraco Capys eſt; cui filius inde
Obtigit Anchiſes. Anchiſa glorior eſſe

Natus ego : Priamo eſt natus patre nobilis Hector.
Haec mihi gens, horum dico me ſanguine cretum.
Virtutem at minuit, cum vult, mortalibus aegris,
Aut auget, rerum late cui ſumma poteſtas,
Jupiter. incaſſum ſtantes parcamus inani
Eloquio at, veluti pueri, garrire virorum
Bellantum ante oculos, medio in certamine belli.
Quamvis multa licet nam fari opprobria, quorum
Pondus nec centum remis impulſa carina
Ferre queat. lapſu celeri nam lingua virorum
Volvitur, omnigeniſque ſcatet ſermonibus: ampla eſt
Verborum ſeges, hinc atque hinc quam carpere poſſis.
Quale etenim dices, tale auditurus & ipſe es.
Sed quid opus verbis rixari vana loquentes?
Irrita ceu geminae jactant convicia moechae
Saepe viam egreſſae in mediam, incenſaeque dolore
Vera ſibi objectant, & falſa, ut juſſerit ira.
Non tu me caſſis ardentem avertere dictis
Hinc poteris, contra ni pugnes. ergo age & alter
Aerata alterius guſtemus cuſpide corpus.

Sic ait; & clypeum rigida ferit eminus haſta
Immanem, horrendum; ſaeva umbo cuſpide ſubter
Ingemuit; laeva quem longe a corpore Achilles
Territus amovit. telum nam credidit ingens
Magnanimi Aeneae penitus pervadere ſcuti
Poſſe moras; demens, oblitus dona deorum
Inclyta nequaquam vinci mortalibus armis.
Nec tum, praevalido ſtridens contorta lacerto
Aeneae, fregit Vulcania munera cuſpis.
Haeſit enim detenta auro, poſtquam duo ſepta
Ruperat, haud ultra ſed vim perferre, nec, infra
Quae tria reſtabant, potuit tranſmittere terga.

v. 269.

Quip-

Quippe etenim vario Vulcanus quina metallo
Duxit terga, duo ſolido aere, duoque nitente
Stanno, auro medium ſulgente. hoc denique nacta,
Aerea nequaquam proceſſit longius haſta.
  Poſterior dehinc Pelides telum jacit ingens
Arduus; & clypeum ferit amplum, tenue ubi limbum
Aes erat ad ſummum, taurique arentia terga
Craſſa minus; ſubiit penitus qua fraxinus ictu
Pelias horrendo. ſonuerunt aerea ſubter
Texta. timens flexitque artus, ſcutumque removit
Ab ſeſe Aeneas: at ſtridens turbine magno
Haſta, viri poſt terga, ſolo eſt defixa, tremenſque
Stabat ibi, poſtquam geminum diſruperat orbem
Ingentis clypei. viſu conterritus heros
Reſtitit; attonito ſimilis, turbataque verſo
Ora haeſit vultu pallens, quod tam prope vidit
Fatiferam nutare haſtam. tunc ſaevus acutum
Vaginaque enſem eripuit, torvumque repente
Clamans in trepidum Pelides irruit hoſtem
Concitus. Aeneas ſaxum tellure molare
Suſtulit arreptum vaſto ingens pondere, junctis
Viribus haud quirent duo quod ſuſtollere, quos nunc
Terra viros gignit: ſolus, nulloque labore,
Ipſe manu verſans valida torquebat in hoſtem.
Jamque adeo contra venienti, ac dira frementi
Aeneas clypeum Aeacidae, galeamve, coruſcum
Tutamen capitis, ſaxo percelleret; enſe
Cominus & vita Aenean orbaret Achilles;
At vaſti ſenſit maris arbiter, atque deorum
In medio, tales fudit de pectore voces:
  Pro ſuperi! Aeneae miſeret me fortis, Achilli
Qui domitus jam jam nigrum deſcendet ad Orcum.

v. 294.   De-

Demens, quod Phoebo ſuadenti paruit; olli
Qui tamen extremam haud poterit depellere cladem.
Cur inſons alios propter dolet, ampla benigna
Uſque manu praebet cunctis qui munera divis?
Quin agite, atque virum ſervemus limine in ipſo
Verſantem leti, ne fors & Jupiter irae
Haud parcat, morte Aeneam ſi mactet Achilles.
Quippe viro belli ſatum eſt evadere caſus,
Ne genus exſtinctum pereat, cui Dardanus auctor,
Ille Jovi ante omnes carus, quos tempore in omni
Ex ſeſe heroas mortali & matre creavit.
Nam regale genus Priami Saturnius odit:
Rex erit Aeneas Teucris, dehinc ordine longo
Et nati, & natos proles quae tarda ſequetur.
Talia Neptunus: cui Juno talia reddit:
Tu, Neptune, tuo verſa iſtud pectore, cladi
Aeneam eripias, leto an patiare domari
Aeacidae manibus quamvis fortemque piumque.
Nanque ego, mecum una & Pallas Tritonia multis
Caelicolum in coetu verbis juravimus ambo:
Haud unquam cladem Teucris arcere, nec omnis
Ilios extremo ſi corruat igne, cremetque
Captam urbem nulli parcens Argiva juventus.
Haec ubi caerulei rector maris audiit, inter
Tela ruens turbamque virûm, ſe protinus illuc
Intulit, Aeneas ubi Tros & dius Achilles
Contulerant pugnam; nubem & caligine denſa
Pelidae ante oculos ſudit. tum vi deus haſtam
E clypeo Aeneae raptamque extraxit, & ipſos
Aeacidae ante pedes poſuit. dehinc impulit alte
Sublatum a terra Aenean: quo concitus heros
Impulſu, longe medios curruſque viroſque

v. 326.

Tranſiliens, aciem confeſtim praepete lapſu
Venit ad extremam, qua ſeſe in praelia parte
Armabant ſemoti omni Caucones ab hoſte.
Heic deus Aeneae propior ſtetit, atque ita fatur:
  Nam quis te divûm Pelidae juſſit Achilli
Certare incautum, Aenea? te fortior ille eſt,
Carior & ſuperis. cui tu decede, nec arma
Obvia fer, quoties occurret; morte peremptus
Nigrum abeas Parca ne fruſtra obſtante ſub Orcum.
Verum ubi jam letum & ſua fata ſubibit Achilles,
Fide animo, & primus denſas invade phalanges:
Morti alius nam te nemo demittet Achivûm.
  Sic monitum liquit media inter verba, repente
Ex oculis denſam & nubem diſcuſſit Achilli
Adveniens. lucem ille hauſit, manifeſtaque cernens
Omnia ſe circum, ingemuit; dehinc talia, viſu
Attonitus, tacito ſecum ſub pectore fatur:
  Pro ſuperi! nam quae video miranda retectis
Monſtra oculis? en haſta ſolo jacet; ille nec uſquam
Apparet, cupiens triſtes quem mittere ad umbras
Appetii. Aeneas etiam caeleſtibus ergo
Carus erat divis, ego quem jactare putabam
Falſa levem. valeat: me certe in praelia poſthac
Haud unquam poſcet, qui nunc inſtantia fugit
Fata libens. age jam Danaos hortabor, & ultro
Experiar Teucrorum alios congreſſus in armis.
  Sic ait, inque aciem rediit, ſocioſque citato
Hac illac volitans greſſu exhortatur in hoſtem:
  Ne longe a Teucris fortes abſiſtite Achivi.
Cominus ite virum contra vir; quiſque capeſſat
Pugnam alacer. durum eſt, quantovis robore praeſtem,
Tot ſectari hoſtes uni, & decernere ferro

v. 357. Con-

Contra omnes, non ipſe queat Mars, ipſave Pallas
Armipotens aciem contra ſe immittere tantam,
Veſanumque operis tanti durare laborem.
Quidquid ego at manibus pedibuſque ac robore poſſum,
Totum equidem expromam nil parcens. impiger hoſtes
En feror in medios: Troum nec laetus abibit
Ille, reor, quicumque meam prope venerit haſtam.
  Talibus hortatur Danaos. contra inclytus Hector
Trojugenas acuit dictis; atque obvius ire
Velle ait Aeacidae: Troës, ne dira minantem,
Ne quis Peliden timeat. contendere verbis
Dîs ego non ipſis metuam: pugnare ſed haſta
Durum opus eſt; longe nobis nam robore praeſtant.
Omnia non effecta dabit, quae jactat, Achilles.
Efficiet partem, pars irrita cedet in auras.
Ipſe viro adverſis occurram interritus armis,
Sit manibus licet ille ipſo non ſegnior igni;
Segnior haud igni manibus: vi durior aere.
  Sic ait ille urgens. Teucros: denſo agmine longas
Protendere haſtas. vaſto hi clamore ruebant:
Hectora ſed Phoebus propter ſtetit; atque ita fatur.
  Hector, magnanimo ante aciem ne ſolus Achilli
Congredere: at turbae immixtus bellique tumultu
Excipe; ne te haſta feriat, vel cominus enſe.
  Haec Phoebus: Troum ſe turbae immiſcuit Hector,
Ille dei attonitus monituque & voce loquentis.
  At Teucros ruit in medios vi fretus Achilles,
Horrendum clamans; & cominus Iphitiona
Sternit Otryntiden, denſas in bella catervas
Ducentem; forti quem nympha creavit Otrynteo
Nais, Hydae genitum populo in praedivite, celſi
Aëriis Tmoli ſub rupibus. arma ferenti

v. 385.

Huic

Huic haſtam caput in medium defixit Achilles,
Inque duas totum crudeli vulnere partes
Diffidit. ille ingens ingenti pondere nigram
Planxit humum. ſuper haec. Pelides verba profatur.
Otryntida, jaces; dudum qui magnus Achivis
Terror eras. heic mors miſero tibi contigit, orto
Gygaei prope ſtagna lacus, ubi pinguia dives
Rura tibi genitor piſcoſum liquit ad Hyllum,
Hermum & vorticibus rapidis per culta fluentem.
Talia Pelides: olli nox lumina texit,
Atque acie in prima frigentia membra jacentis
Protrivere rotae Danaûm. Peleïus heros
Pugnacem ante alios Trojano Antenore cretum
Demoleonta gravi percûſſit cuſpide ad ipſum
Tempus per galeam; nec ferrum caſſis ahena
Mergi avidum tenuit: fractum os, vaſtoque cerebrum eſt
Vulnere foedatum penitus. Quem dius Achilles
Ardentem ut domuit leto; Hippodamanta, relictis
Dum bijugis fugit ante, haſta perfodit adacta
In tergum: ille animam exhalans immugiit, altum
Taurus ut immugit, quem regi Helicona tuenti
Flava manus juvenum vi tractum ſiſtit ad aram;
Gaudet fluctipotens Neptunus. poſt, ubi liquit
Huic animus nervos atque oſſa immane gementi,
Priamiden ſaeva Polydorum turbidus haſta
Inſequitur, ſimilem dîs pulchro corpore. Grajis
Haud pater hunc muros extra pugnare ſinebat;
Quippe erat & minimus natorum, & carior olli
Ante omnes curſu & nullum non vincere ſuerat.
Tunc etiam ille, pedes veſana mente volucres
Oſtentans, primos ſtudio curſabat inani
Per Troum cuneos, dulcem dum perdidit amens

Homer. v. 412.

Tandem animam. propter fugienti dius Achilles
Nam telum dorſo in medio defixit acutum,
Apta ubi fulgentem nectebat fibula balteum
Aurea, & obſtabat duplex ad vulnera thorax.
Haſta gravis ventrem trajecta cuſpide ad imum
Exiit: altum ululans duplicato poplite pronus
Ille cadit; tenebris nigreſcunt omnia, flexo
Corpore, lapſa manu retinenti viſcera utraque.
Hector ubi fratrem crudeli vulnere vidit
Confoſſum, terrae acclinem, ſua viſcera habentem
In manibus; luctuque animum confuſus, & ipſos
Moeſta nube oculos caligans, non tulit ultra
Circumagi, ſaevumque hoſtem vitare, ſed igni
Aſſimilis magnum contra volat acer Achillem,
Dextra fulgentem quatiens interritus haſtam.
Quem ſimul ac vidit venientem & dira frementem,
Exſilit Aeacides, ac laetus talia fatur:
En prope adeſt, animum qui vir ſaevo mihi luctu
Fodit; & eximium ſtravit mihi morte ſodalem.
Cominus en conferre manum licet; agmina fruſtra
Nec curſare inter, vitareque mutua pugnam.
Sic ait; ac torvus compellat voce ſuperba
Priamiden: Ades huc, propiuſque accede ſupremi
Ocyus exitii ad metas. Haud territus Hector
Retulit huic contra: Ne me, Pelida, minaci
Poſſe puta, ut puerum, terreri voce. peritus
Aeque ego probroſis cuivis contendere dictis.
Robore (novi equidem) tu praeſtas; viribus impar
Sum tibi ego: divûm ſed res haec ſcilicet omnis
In manibus; ſpolier, ſpoliem te an lumine vitae
Quamvis deterior percuſſum cuſpide, acutum
Et mihi nam ferrum ſumma eſt, ni fallor, in haſta.

v. 437.

Sic

Sic ait; atque haſtam vibrans intorſit: at illam
Ipſa levi afflatu Pelidae a corpore Pallas
Repulit. acta procul ſecat auras, & redit, ipſos
Hectoris ante pedes & concidit. acer Achilles
Advolat horrendum clamans, trepidumque coruſco
Sternere avet telo: deprenſum at Phoebus Apollo
Eripuitque manu facili deus, ambiit atra
Et nube. inſiluit contra ter dius Achilles,
Ter denſam pepulit nebulam. verum, irritus ut ſe
Immiſit quarto furiata mente deo par;
Increpuitque virum, rupitque has pectore voces:

Et nunc fugiſti mortem, canis improbe. venit
Te prope nanque malum: ſedenim ſervavit Apollo
Raptum iterum; cui vota, reor, facis ante, ſonantum
Quam ſubeas ſtrepitum telorum, atque horrida Martis
Praelia. verum alias pugna congreſſus ad Orcum
Mittam ego te; adjutor ſi quis deus & mihi pugnas
Inter adeſt. alios nunc Teucros, obvius ut ſe
Quiſque dabit, ſaevae pergam demittere morti.

Haec ubi ſic fatus, Dryopem rigida ferit haſta
Cervicem in mediam: collapſus decidit olli
Ante pedes. atro ſinit hunc in pulvere volvi:
Ipſe Philetoriden Demuchum, corpore magnum,
Acrem animis, haſta, ſucciſo poplite, primum
Detinuit, ſtricto invadens dehinc protinus enſe
Dulcem animam exemit. duo tum praeclara Biantis
Germina dejecit curru, te Dardane, & una
Tecum Laogonum fratrem; telo eminus illum
Tranſadigens, gladio te cominus. ocyus inde
Saevus Alaſtoriden leto dat Troa. furenti
Obvius hic venit, genibus ſi forte prehenſis
Parceret oranti, vivum & dimitteret, aevi

Et miſerans florem, haud leto mactaret acerbo.
Demens! nec norat non poſſe inflectier ulla
Arte virum, ingenio haud mitem placidumque, ſed acri
Corde trucem ante omnes. dextra hic jam genua tenebat
Suppliciter, precibus cupiens mollire ſurentem.
Ad jecur ille adigens gladium demerſit acutum;
Quod miſero ejectum cecidit, nigroque cruoris
Amne ſinum implevit: denſae involvere tenebrae
Exanimum. rigida aggreditur dehinc Mulion haſta:
Aerea cui geminas cuſpis trajecta per aures
Ivit. Agenoridae gladio dehinc torvus Echecli
Ingenti medium ſecuit caput: omne cruore
Purpureo ferrum intepuit; mors ingruit olli
Nigra oculis, duroque immanis numine Parca.
Inde, ubi ſe cubiti nervi junxere, coruſca
Deucaliona ferit per dextram cuſpide; manſit
Saucius ille hoſtem, capitique inſtantia ſata
Praevidit. ſtricto cervicem perculit enſe
Pelides, pulchraque caput cum caſſide terrae
Dejecit: mediis magna vi excuſſa medulla
Oſſibus exſiluit; jacuit porrectus at ille
Membra ſolo collapſa. furens, hoc deinde relicto,
Eximium, Pirei claro de ſanguine cretum,
Rhigmum adit, e Thracum nuper qui pinguibus oris
Venerat. hunc jaculo medium percuſſit: in imum
Ventrem abiit penitus mucro: curru excidit ille.
At famulo Aeacides vibrantis cuſpide teli
Fixit Areïthoo dorſum, dum territus acres
Retro vertit equos. moribundo hic corpore nigram
Planxit humum: bijuges turbati, effuſaque lora.
Ignis ut arentem per ſaltum in valle reducta
Cum furit, ac validi miſcent incendia venti;

v. 491. Flam-

Flamma nemus late ſeſe diffundit in omne:
Sic campum ſuperis par vi ruit ille per omnem
Triſte manu telum quatiens, turbataque ſternit
Agmina: terra madet largo perfuſa cruore.
Ac veluti validos cum lata fronte juvencos
Vir junxit, denſis qua ſternitur aequa maniplis
Area, trituros alba hordea; preſſa teruntur
Illa boum pedibus facile: ſic fortis Achillei
Alipedum ſubter pedibus calcantur equorum
Ingentes paſſim clypeique, & frigida leto
Corpora, ferratique axes, orbeſque rotarum
Sanguine foedantur: canthi, & rapida ungula rores
Sanguineos ſpargunt commixto pulvere. ſaevus
Laudis inexpleto Pelides ardet amore,
Ille madens ſudore manus & caede tremendas.

HOMERI ILIADOS

LIBER VICESIMUSPRIMUS.

VErum ubi perventum, rapidus qua flumine pulchro
Volvit aquas Xanthus, magni de ſemine cretus
Ille Jovis; Teucros aciem diſſolvit Achilles
In geminam. partem ſub muros victor agebat,
Heſterno fugere die qua dira furentem
Hectora Grajugenae palantes: (verſa ruebat
Hac fugiens Phrygiae pars pubis: terga prementem
Sed tenuit Juno denſae caligine nubis
Peliden) curſu praeceps pars altera ſeſe
In fluvium tulit, ingenti prolapſa ruina,
Vorticibus rapidis puras argenteus undas
Volvit ubi. horrendum ſubter ſonuere fluenta,
Et virides circum ripae gemuere: natabant
Huc atque huc alto contorti gurgite: clamor
Caelo ibat varia plorantum voce virorum.
Ignis ut infeſto volucres ardore locuſtae
In vada profugiunt fluviorum: gliſcit, & auram
Per vacuam fundit ſubito ſe flamma; paventes
Hae raptim ſeſe condunt frigentibus undis:
Aeacidae magni ſic viſu exterrita Xanthum
Turba virûm praeceps & turba implebat equorum.
Pelides haſtam ripa in viridante myricis
Acclinem liquit; Marti par ipſe cruento,
Enſe manum ſolo praefulgens, fluminis alveum
Inſilit in medium; ſaevaeque cupidine caedis
Ardet inexpleta. ferrum rotat acer in orbem,

v. 20.

Et metit hac illac, quae ſors dedit obvia cunque
Corpora. tum moeſtae voces gemituſque coorti
Indecores: late fuſo rubet unda cruore.
Delphinum veluti fugitant per caerula piſces
Ingentem, ac trepida capti formidine portus
Litorei ſubeunt latebras, atque intima complent;
Ille avido ferus ore vorat, quos ceperit, omnes.
Sic Troës, pavido tremefacti corde, fluenti
Per rapidos turbant flexus, abruptaque ſubter
Riparum denſi fugiunt. tum denique longa
Heros caede manum feſſus, biſſena fluentes
Inter aquas juvenum delegit corpora, fuſo
Patrocli ad buſtum ſolvant qui ſanguine poenas.
Hos prae ſe pecudum ritu, formidine dira
Attonitos mentem, exegit; loriſque revinxit
Implicitos poſt terga manus, quae ſcilicet ipſi
Tortilibus circum tunicis innexa gerebant.
Tum ſociis dedit ad curvas deducere puppes:
Ipſe furens rurſus pavidum ſe immittit in hoſtem.
  Heic illi occurrit fugiens ex amne Lycaon,
Dardanidae proles Priami; quem duxerat olim
Vi captum patrio, veniens nocturnus, ab agro:
Hic ferro juvenis caprificum caedere acuto
Inſtabat, ramoſque ſolo dejecerat, orbem
Ille parans curru; ſubito cum dius Achilles,
Triſte malum miſero, advenit, curviſque carinis
Vendidit avectum longinquae ad litora Lemni.
Gnatus ibi pretium perſolvit Iaſonis: hoſpes
Imbrius Eetion multa mercede redemit,
In claram, Priamo ſervans, & miſit Ariſbam;
Ad patrios fugiens clam ſe tulit unde penates.
Luces ille domo undenas, uſuque ſuorum

v. 45.

Laetatus dulci eſt: biſſena luce cruentis
Injecit manibus reducem deus ipſe tremendi
Aeacidae; juvenem triſtes, qui acturus ad umbras
Orci erat, ire licet, vitaque excedere nollet.
Hunc ubi conſpexit faciemque agnovit Achilles,
Nudatumque armis vidit, galeaque carentem,
Et clypeo, atque haſta, (quae jam projecerat amens
Cuncta ſolo: largus fugienti e flumine vires
Sudor enim fractas laſſarat, feſſa domabat
Genua labor) ſecum haec animo indignante volutat:
Pro ſuperi! quod monſtrum oculis hoc conſpicor ingens?
Ipſis jam Teucri e tenebris altaque reſurgent
Nocte Orci, ſtravit mea quos jam dextera leto:
Qualis & hic venit ſoſpes, quem ſcilicet ipſe
Nuper ego ſacram in Lemnum avexique, reliqui
Et pretio addictum. non illum ſpumea cani
Unda maris tenuit, multos quae objecta coërcet.
Nunc age & ille meae vim libet, acumen & haſtae,
Ut norim doceárque an ſit rediturus & illinc,
An ſemel exceptum gremio terra alma tenebit,
Quae fortes etiam retinet. Verſabat Achilles
Haec ſecum: ille animi attonitus prope venit utraque
Genua manu cupiens amplecti. qualibet atram
Nam fugere optabat mortem & crudelia fata.
Dextra Pelides aeratam ſuſtulit haſtam;
Ille aſſurgenti ſubiit plagamque ferenti,
Et genua apprendit pronus: praelonga ſuperne
Haſta ſolo defixa ingens poſt terga tremebat,
Caede viri expleri cupiens. exterritus, amens,
Ille manum hanc genibus ſupplex admovit, acutum
Hac telum arripuit retinens; dehinc talia fatur:
Ecce tuis genibus ſupplex advolvor, Achille.

v. 47.

Par-

Parce meam veritus fortunam, duraque tangat
Sors animum. bello captus tibi, te penes, o rex,
Aſſedi menſae primum Cerealia guſtans
Dona, die, quo me patrio nocturnus in agro
Cepiſti, ac ſacrae duxiſti ad litora Lemni.
Venditus inde boves illic merui tibi centum.
Ter totidem bobus redimar nunc. plurima paſſus
Huc redii. duodena dies haec ducitur, ex quo
Ilion adveni; miſerum quem fata ſecundo
In manibus poſuere tuis. me Jupiter odit,
Credo equidem, rurſus tibi me qui tradidit; aevo
Atque brevi natum vitales fudit in auras
Laothoë genitrix, Altae ſenis inclyta proles,
Altae qui Lelegas magna ditione gubernat,
Pedaſon altam habitans gelidum prope Satnioënta.
Hanc etenim Priamus thalami ſibi foedere junxit.
Inde ſumus patri geniti duo; quos tua jam jam
Ambos dextra neci dederit, rex. caelitibus dîs
Nam ſpecie haud impar Polydorus concidit haſta,
Magne, tua peditum in primis: ego triſte parari
Heic mihi nunc video fatum; nec numine laevo
Actum huc poſſe manus ſpes eſt evadere veſtras:
Hoc etiam, extremum quod dicam, nunc animo hauri:
Non idem geſſit me venter & Hectora, ſaevus
Qui ſocium mitemque tibi fortemque peremit.
  Talibus orabat verbis, fletuſque ciebat
Priamides; cui vox immitis venit ad aures:
  Demens, quod pretium narras? quae lucra redempto
Pro capite? ante meus fatum quam triſte ſubiret
Patroclus, Teucris interdum parcere paullum
Haud renui, & multos cepi, pretioque redemptos
Dimiſi: at poſthac mortem vitare cruentam

Homer. v. 103.

Non erit ut poſſit quiſquam, mala numina ducent
In noſtras quemcunque manus ſub moenibus urbis
Iliacae; Troum quiſquis fuat obvius omni
E numero, nedum Priami de ſanguine cretus.
Tu quoque nunc adeo morere ocyus, o bone. fruſtra
Quid ploras? etiam Patroclus, qui tibi longe
Praeſtabat, domitus leto jacet. en ego qualis
Sim quantuſque vides, formaque & mole, parente
Eximio atque dea prognatus matre: ſupremum
Attamen adveniet mihi fatum & Parca ſevera,
Mane, die aut medio, vel ſero veſpere, Troum
Eripiet mihi nempe aliquis cum lumina vitae,
Aeratave haſta figens volucrive ſagitta.
Sic ait: ille autem, genibuſque & corde ſoluto,
Amiſitque haſtam torpens formidine, paſſis
Et manibus ſedit collapſus: cui ferit enſe
Pelides humerum ſtricto cervice ſub ipſa.
Ferrum intro ſubiit capulo tenus: ille virenti
Pronus humo jacuit porrecto corpore; largus
Purpureo terram perfudit flumine ſanguis.
Tum pede correptum medias projecit in undas,
Gurgitibus volvi rapidis; ac talia fatur
Vociferans: Iſtic impaſtis praeda jaceto
Piſcibus, affuſi lambent qui vulnera. mater
Non tua te lecto impoſitum plorabit, at altum
In mare propellet fluctu volvente Scamander;
Atque aliquis ponto ſaliens ſummas petet undas
Cetus, ut immani voret ore Lycaona pinguem.
Peſſum ite, Iliaca donec potiamur Achivi
Urbe, fugae dantes turpi vos terga, fugaces
Pone ego at uſque ſequens & caedens Marte ſecundo.
Nil vos pulchra fluens, argento, & purior amnis

v. 130.

Juverit, heu miſeri; caeſis placare juvencis
Quem ſoliti, vivos rapidas cui mittere in undas
Cornipedes. illo nequidquam obſtante cadetis
Dira morte omnes; caedem ſolvetis & omnes
Patrocli, ac Danaûm clades, qui, me gravis ira
Dum tenet, ad curvas denſi cecidere carinas.
  Sic ait: at fluvius majores arſit in iras;
Verſabatque animo, dium qua ſiſtere Achillem
Poſſet, & extremam Teucris avertere cladem.
  Interea quatiens haſtam Peleïus heros
Ingentem, caediſque avidus, petit Aſteropaeum,
Pelegonis clarum germen, pater Axius amne
Pulchra fluens lato quem ſcilicet, ac Periboea,
Regis Aceſſameni gnatarum maxima natu,
Edidit. hunc, telum quaſſans immane, petebat
Pelides: contra e fluvio ſed fervidus heros
Conſtitit, ille gerens duo longo haſtilia ferro.
Acribus huic animis mentem & praecordia Xanthus
Implerat, furiis incenſus morte peremptos
Tot propter juvenes, medio quos victor in amne
Pelides ferro trepidos mactarat acuto.
  Hi poſtquam propius venere adverſa ferentes
Arma, prior mirans haec dius fatur Achilles:
  Tu quis es? unde domo? qui me procedere contra
Haud veritus. gnati miſerorum, qui mihi cunque
Occurrunt, Marte indomito per bella ruenti.
  Inclyta Pelegonis proles cui talia reddit:
Nam cur, magne, meos ortus ſcitaris, Achille?
Paeoniae pinguis longe hinc ego natus in oris,
Belligeros duco praelongis Paeonas haſtis
Horrentes. undena dies haec luxit Olympo,
Iliacas ex quo veni bellator ad arces.

v. 156.

Ampla fluens generis mihi princeps Axius amnis,
Axius, illimem nullus quo pulchrior undam
Volvit agens fluvius, quam late maxima tendit
Se tellus. clarum is nam Pelegona edidit: hoc ſum
Natus ego, ut perhibent. ſed jam tentare laborem
Martis, & infeſtis tempus concurrere telis.
Haec ait ore minax tumido: dextra extulit haſtam
Librans Aeacides, deciſam ex Pelio alto,
Fraxineam, ingentem: telum at contorſit, utraque
Ille manu dexter, geminum heros Aſteropaeus.
Hoc clypei umbonem percuſſit: (nec tamen orbem
Pervaſit ſolidum penitus. nanque obſtitit aurum,
Dona dei) hoc dextrae cubitum perſtrinxit, in auras
Unde levi niger emicuit de vulnere ſanguis:
Haſta virum at ſupra labens tremebunda propinquae
Haeſit humo, cupiens libato in corpore mergi.
Haſtam poſterior, recto volitare per auras
Aſſuetam lapſu, Pelides Aſteropaeum
Miſit in adverſum furiata mente: ſed ipſo
Erravit paullum ſtridens a corpore, & altam
Percuſſit ripam, penituſque infixa virenti eſt
Aggere dimidiam ad partem. tunc impiger enſem
Eripit a femore, ac trepido celer ingruit hoſti
Pelides. haſtam Pelidae evellere longam
Ille manu valida ripa e viridante nequibat.
Ter, trahere arreptam cupiens, concuſſit; omiſit
Haerentem penitus ter ſpe fruſtratus inani.
Tum quarto aggreſſus curvatam frangere niſu eſt.
Ante ſed ingenti dejecit cominus enſe
Conantem Aeacides. immani vulnere ventrem,
Nanque viro medium diſcidit; viſcera hiatu
E magno fluxere ſolo delapſa: tenebris

v. 181.

Ex-

Exſpiranti oculos urget nox. acer Achilles
Inſiluit ſupra pectus; fulgentiaque arma
Detrahit; hinc tales effundit pectore voces:
Sic jace, ut es meritus: durum tibi, flumine quamvis
Prognato, pugnare Jovis cum prole ſupremi.
Flumine dicebas nam te ortum ſcilicet: ipſo
Ab Jove at ortus ego. genuit me, qui regit acres
Myrmidonum late populos, bello inclytus ille
Peleus; huic genitor fuit Aeacus ab Jove natus.
Fluminibus praeſtat ceu Jupiter, ab Jove cretos
Flumineo eſt itidem generi praeſtare neceſſe.
En tibi adeſt ingens fluvius: ferat ille jacenti
Auxilium, ſi quod potis eſt. pugnare ſed iſti
Cum Jove non licet altiſono, cui rex Achelous
Ipſe parem haud audet ſe dicere, nec pater ingens
Oceanus, vaſtos immani gurgite fluctus
Tot volvens; unde & fluvii, & maria alta, per omnes
Et late fuſi terras fonteſque lacuſque.
Is quoque tela Jovis magni timet, atque fragorem
Horriſonum, caelo intonuit cum ſaevus ab alto.
Sic ait; & ripae infixam trahit impiger haſtam,
Atque virum fulva porrectum linquit arena,
Caerulea verſandum unda, denſiſque vorandum
Exanimem anguillis & piſcibus, ocyus album
Qui morſu coepere adipem tondere procaci.
Paeonas hinc ruit in medios bellator, equeſtri
Adſuetam bello pubem: quae verſa tumultu
Hac illac trepido fugiebat fluminis alti
Ad ripam, cunctis qui fortior, Aſteropaeum
Ut videre manu Pelidae atque enſe furentis
Fulmineo domitum. leto heic dat prima virorum
Lumina, Therſilochumque, Mydonaque, Aſtypylumque,
Mne-

v. 209.

Mneſumque, Thraſiumque, atque Aenion, atque Opheleſten.
Hos dedit, hinc alios leto daret acer Achilles
Paeonas: inſtantem caedi ſed gurgite ab alto
Increpuit Xanthus. mortali pectus & ora
Ille viro ſimilis, confeſtim farier infit:
  Fortior ante omnes, Pelida, immanior idem
Ante omnes, tot dira patrans horrendaque divûm
Praeſidio fretus. Troas tibi Jupiter omnes
Mactandos ferro ſi jam dedit, hinc procul actos
Camporum per plana neci demittere perge.
Plena mihi exſtinctis nam ſunt jam pulchra fluenta
Corporibus, lymphas nec vaſtum evolvere in aequor
Poſſum uſquam. arctor enim congeſta caede: cruentus
Tu tamen uſque inſtas omnes & ſternere ad unum
Morte paras. parce o jam tandem ac deſine. mentem
Attonito invaſit mihi nam ſtupor, inclyte Achilleu.
  Haec Xanthus: retulit contra cui dius Achilles:
Iſta quidem fient quae vis, divine Scamander,
Non tamen abſiſtam Troas mactare ſuperbos
Ante, metu includam pavidos quam moenibus, ipſum
Hectora & experiar, ſeu me leto dabit ille,
Illum ego ſeu potius victor ſub tartara mittam.
  Sic ait, ac Teucris rurſum ſe turbidus infert.
His Phoebum interea compellat vocibus amnis.
  Heu heu, Arcitenens Jove nate, ut juſſa parentis
Oblitus neglecta tui es! te juſſit adeſſe
Qui Teucris, clademque viris avertere, donec
Sol pontum ſubeat fugiens, umbrentur & arva.
  Talia dum memorat, ripa ſe immiſit ab alta
Praeceps in medium Pelides. ille, tumenti
Dira fremens fluctu, contra irruit, altus & omnes
Egit aquas raptim, commoto gurgite, denſos

v. 234.

Im-

Impulit & Troas, leto quos dius Achilles
Strarat acervatim. ripam hos ejecit in altam,
Mugitum dans horrendum, ceu taurus: at udo
Occuluitque ſinu vivos, ſervavit & imis
Vorticibus pulchri concluſos rite fluenti.
Peliden gravis at circumſtetit unda, virumque
Urgebat clypeo incumbens vi concita; ſtare
Nec pedibus quibat figens veſtigia rectis.
Ergo amplam ramis diffuſam ingentibus ulmum
Arripuit manibus: radicitus externata
Illa cadit, lapſu ripam diſſolvit & omnem,
Objectu & denſo ramorum rauca fluenta
Continuit, pontemque jacens tranſverſa per amnem
Praebuit. aſt heros medio de gurgite ſeſe
Proripuit; celeri & curſu per plana volabat
Camporum trepidus. nec terga urgere volantis
Ingens interea ceſſat deus; & ferus atro
Gurgite ſe attollit ſupra ruiturus, Achillem
Siſtat ut a pugna, Teucriſque avertat amicus
Exitium. longe abſiluit Peleïus heros,
Quam longe volat haſta manu contorta. liquentes
Ut rapido quondam ſe lapſu nigra per auras
Fert aquila ex alto venatrix, nulla volantum
Quam celeri aut curſu, validis aut viribus aequat;
Sic fert ſe campo Aeacides. dirum arma ſonabant
Quaſſa humeros circa & pectus: fugit incitus ille,
Obliquatque vias: pone affluit amnis, & alto
Rauca ſonans urget fugientis terga tumultu.
Caeruleo veluti ſi quando e fonte colonus
Inſtat aquam virides rivo ductare per hortos,
Ille unco removens obſtantia terga ligone;
Profluit unda levis, ſubterque illata lapillos

v. 261.

Dimovet ; hinc celeri lapſu per prona locorum
Murmurat, ante ipſum ductorem & concita fertur:
Sic magni curſu rapido tumida unda fluenti
Peliden quamvis celerem premit uſque, liquenti
Et pede conſequitur : nec mirum, numina quando
Sancta deûm praeſtant mortali ſanguine cretos.
Converſa quoties voluit conſiſtere. Achilles
Fronte audax, & noſſe deis anne omnibus aeque
Infenſis pulſus fugiat ; Jove natus ab alto ;
Prolutum toties fluctu labente ſuperne
Urgebat fluvius. moerenti corde repulſa
Ille artus tellure leves tollebat ad auram
Subſiliens : ſubter magna vi at feſſa domabat
Genua fluens curſu obliquo citus amnis ; & imis
Subducens pedibus mollem ſolvebat arenam.
Ergo altum ingemuit, caeloque ardentia tollens
Lumina, ſic moeſto Pelides corde profatur :
  Jupiter, ut nullus me divûm ſuſtinet alto
Eripere a fluvio, miſeroque avertere peſtem
Nunc ! alias ultro patiar nam quidlibet. his me
Non alius divûm quiſquam, ſed caerula mater
Ipſa malis onerat : quae me lactavit inani
Oraclo mendax deceptum. nanque ſub urbe
Iliaca ajebat periturum, Phoebe, ſagittis
Eſſe tuis. utinam Troum fortiſſimus Hector
Hanc animam Stygias victor miſiſſet ad umbras.
Fortis ego pulchra jacuiſſem morte ; perempti
Exuvias fortis raperet : nunc Parca perire
Indecori leto deprenſum in flumine cogit :
Qualem praecelſo decurrens monte ſubulci
Hibernus puerum rapit alto gurgite torrens.
  Talia jactanti Neptunus, magnaque Pallas

v. 274.

Ad-

Adſtiterunt; ſimileſque viris mortalibus ambo
Ora habitumque, manuque manum tenuere labantis
Aeacidae, ac blandis firmarunt pectora dictis.
Primus ibi haec fari coepit maris arbiter alti.
  Parce metu, Pelida, animo timor omnis abeſto:
Tales auxilio tibi nunc dî venimus aequo
Huc Jove, Neptunus, mecum & Tritonia Pallas.
Quippe tibi a fluvio non eſt fatale domari.
Deſinet hic (noſces jam tute), iraſque remittet,
Vimque ferox omnem. noſtris tu corde volenti
Conſiliis pare. pugna ne abſiſte cruenta
Ante, omnem pellas quam pubem in moenia victor
Iliacam; quicunque inſtantem ac terga prementem
Fugerit. occiſum poſt Hectora laetus ad altas
Fac redeas puppes. nunc ſaevo haud parce furori.
Certa tibi noſtro datur en victoria nutu.
  Haec fati, ad coetum celeres rediere deorum,
Unde huc digreſſi. campo at Peleïus heros
(Magna deûm praecepta urgent) ſe protinus infert:
Campo, quem late ripis effuſa replebat
Unda fluens; pubis duro ſub Marte peremptae
Multa ubi mixta ſimul fluitabant armaque paſſim,
Corporaque. adverſus fluvio ruit ille: repulſa
Et pedibus terra ſubſultat; mole tenetur
Nec celer undarum oppoſita. vim Pallas in altum
Pectus enim, atque habilem infudit per membra vigorem.
Non tamen edomito veſanos corde furores
Depoſuit Xanthus. magis & magis uſque fluebat
Pelidae ſeſe affundens: totumque ſuperbus
Amnem attollebat contra; fratremque vocabat
Clamans auxilio Simoënta: Huc ocyus, huc, o
Frater, ades mecum; robur ſiſtamus ut ambo,

Homer. v. 309. Sſſ Vim-

Vimque viri indomitam : mox nam Priameïa fundo
Moenia verſa dabit ; Troum nec turba furentem
Siſtet pulſa loco . ſed tu, bone, quod potes, affer
Auxilium, celer heus ex alto magna fluenta
Fonte imple, ac rivos una omnes volve ; ſuperbos
Tolle audax fluctus, truncoſque & rapta fragore
Saxa cie ingenti : juncto ſiſtamus uterque
Amne virum immanem, dîs qui ſeſe improbus ipſis
Ferre parem haud dubitat . cui jam nec profore vires,
Nec decus eximium formae, nec quae induit arma
Pulchra humeris, ajo ; quae mox demerſa jacebunt
Alto cuncta lacu, limo ſuper obruta . multa
Ipſum quin etiam certum eſt involvere arena,
Et ſabuli immenſis offuſi claudere circum
Aggeribus, non ipſa queant Danai oſſa jacentis
Ut legere . injiciam tantam ſuper undique corpus
Colluviem . ille viro tumulus fuat altus : humari
Nec ſit opus, ducent rapto cum funus Achivi.

Sic ait, inque ruit Peliden turbidus alto
Cum gemitu ; fluctuſque una, ſpumaſque, virorum
Confuſam & caedem miſcetque ac tollit in auras
Arduus : Iliaco dirum rubet alta cruore
Unda viro ſuperincumbens . Tum regia Juno
Exclamat, metuens Pelidae, gurgite vaſto
Oppreſſum abriperet ſubito ne turgidus amnis ;
Vulcanum & genitrix compellans talia fatur.

Surge age, nate, ingens te coram nanque Scamander
Dira furit, dignus te, ut remur ſcilicet, hoſtis.
Ergo ferum cohibe ; multamque exprome furentis
Vim flammae. ipſa Noti celeris, Zephyrique procellam
Immanem, pontum in medium digreſſa, ciebo ;
Turbine quae triſtes rapido ferat incita flammas,

v. 335.

Et

Et capita involvens Teucrorum, incenſaque late
Arma urat. claro tu ripas igne per omnes
Graſſare, arboribus denſis nec parce, Scamandrum
Quantus & eſt, involve igni; nec dira furenti
Vel blandis flectat verbis, vel terreat ullis
Corda minis; nec vimque tuam furiaſque remitte
Ante ego quam jubeam monitum clamore, coërce
Tum demum indomitae parcens incendia flammae.
Sic ait: immenſum jaculari at Mulciber ignem
Continuo coepit, campum qui protinus omnem
Corripuit; paſſimque ſolo proſtrata virorum
Corpora, quos leto fortis demiſit Achilles,
Urebat late gliſcens. exaruit omnis
Subter humus: ripis exundans conſtitit humor.
Autumno veluti Boreas undantia lymphis
Arva ſuperfuſis arenti flamine ſiccat
Confeſtim adveniens; ſpectat gaudetque colonus:
Sic late campus ſiccatis aruit undis
Omnis, & exanimem turbam celer abſtulit ignis.
Vulcanus claro fulgentem lumine flammam
Protinus in fluvium vertit. furit incitus ignis;
Urunturque ulmi, ſaliceſque humileſque myricae,
Lotoſque, humenteſque ulvae, molliſque cyperus,
Quae virides paſſim veſtibant plurima ripas.
Quin &, vorticibus mediis quicunque natabant
Hac illac varii pulchro ſub flumine piſces,
Torrentur, ſolers quem ſpirat Mulciber, igni.
Uritur ipſe alto latitans jam Xanthus in alveo:
Compellatque dolens Vulcanum, ac talia fatur.
Vulcane, haud quiſquam tibi divûm par fuat: auſim
Nec tibi ego pugnare, uris qui tam gravis hoſtem
Igne tuo. irarum precor o jam deſine: Troas

At vel confeſtim Pelides exigat urbe.
Quid mihi opus certare? urbi quid ferre caducae
Auxilium? Haec ardens medio jactabat ab alveo.
Interea multo fervebant igne fluenta:
Igne lebes multo ceu cum ferveſcit opimum
Pingue liquefaciens magni ſuis, undique lentum.
Aeſtu adipem aſſiduo ſubjectans. arida ſubtus
Ligna jacent, gliſcitque ingenti flamma ſonore:
Sic tum pulchra aeſtu miſcebat flammeus ardor
Flumina, nec ſolito ſe curſu evolvere lymphae
Audebant; inhibet ſaevus vapor; ac domat igni
Mulciber. Inclamans Junonem denique Xanthus
Suppliciter tales effudit pectore voces:
Juno, tuus curnam mea gnatus flumina torret
Praecipue, ac diro ſaevus furit igne? quid unus
Commerui? non ipſe obſto tibi, diva, deorum
Quantum alii, quotquot ſoliti ſuccurere Teucris.
Nunc, tibi ſi placitum, deſiſtam: deſinat, una
Ille tamen. verax juro inſuper, o dea, nunquam
Venturum auxilio Teucris, nec tempore cladem
Averſurum ullo: non, igni tota ſupremo
Troja ubi flagrabit, laetique incendia Graji
Miſcebunt. Xanthum fari cum talia Juno
Audiit, his, gnatum compellans, vocibus infit:
Deſine jam, Vulcane, meum genus, inclyte: divum
Mortales propter non fas torquerier iſto
Nanque modo. Haec paucis Juno. dicto ocyus ille
Exſtinxit flammam gliſcentem ac dira furentem:
Unda redux pronum ſeſe dejecit in alveum.
Xanthus ut eſt domitus Vulcano, pugna quievit
Amborum: Juno, quamvis irata, diremit.
Aſt aliis animo divis furor incidit ingens,

v. 385.

Hor-

Horrendus ; menteſque odiis diſcordibus actae
Exarſere : ruunt veſano in bella tumultu .
Ampla pedum pulſu tellus immugiit , aether
Inſonuit circum vaſto clangore . deorum
Audiit in ſummo reſidens quem rector Olympo ;
Atque animi laetus riſit , ſimul atque ruentes
Saeva deos animo diſcordi in praelia vidit .

Jamque adeo haud longe diſtant . Mars , ſcuta virorum
Frangere cui ludus , pugnam orſus , cuſpide ahena
Praefixum robur dextra quatit , atque Minervam
Aggreditur princeps , dictiſque inceſſit acerbis :

Improba , cur acuis dira in certamina divos ,
Confidens , audax , animis elata ſuperbis .
Anne oblita malum es facinus , cum ſcilicet , hortans
Tydiden haſta ut peteret me ſaevus , adactum
Ipſa manu telum urſiſti , mihi corpus acuto
Dilacerans ferro ? poenas , ut digna , viciſſim
Nunc dabis , atque lues tandem commiſſa . profatus
Haec ubi ſic ; villis horrentem perculit haſta
Aegida ; quae frangi nec magni fulmine quiret
Icta Jovis . divam telo ſic ille trabali
Appetiit fruſtra . cedens Tritonia paullum
At retro , ſaxum , campo quod forte jacebat ,
Suſtulit arreptum dextra , ingens mole , nigrumque ,
Et facie ſcabrum informi , quod , limes ut eſſet
Certus agri , poſitum priſci ſtatuere coloni .
Hoc Marti validam cervicem diva cruento
Percuſſit , ſolvitque artus : per jugera ſeptem
Ille cadens jacuit porrecto corpore , & atro
Pulvere foedavit crines : circum arma dedere
Ingentem flictu ſonitum . dea riſit , & altum
Exclamans , fudit laetanti has pectore voces :

v. 409.

Quan-

Demens, nondum etiam ſenſiſti, robore & armis
Quanto ego ſim melior, quam tu, mecum, improbe, qui te
Haud metuis conferre tamen? ſic ſtrate, dolenſque,
Maternas luito Diras; quae irata merentem
Devovet, Argivûm pravus quod gente relicta
Foedifragam haud dubitas Troum defendere gentem.

Haec ait, atque oculos avertit diva nitentes.
Aſt illum Jove nata Venus dextraque prehenſum
Erexit, duxitque manu, vix mente recepta,
Immanes gemitus rumpentem pectore ab imo.
Quam ſimulac vidit Juno, dea candida, tali,
Haud mora, compellans affatur voce Minervam.

O Jovis aegiſoni proles Tritonia, rurſus
Effrons illa (vides?) Martem per tela cruentum
Ex acie ducit; celeri ſuper ingrue curſu.

Sic hortata deam Juno eſt: ruit illa volucri
Laeta pede; ac Venerem aſſequitur. pectuſque ſub ipſum
Perculit ingenti dextra. collapſa ſolutis
Concidit haec genibus, languens, animiſque. Virenti
Ambos vidit ubi pariter tellure jacentes,
Effudit gaudens virgo has Tritonia voces:

Tales o utinam ſint omnes, quotquot Achivam
Rem contra pugnant, Priamo Phrygibuſque ferentes
Auxilium; fortes aeque, validique; jacenti
Venit ut adjutrix Marti Venus, & mihi ſeſe
Contulit adverſis invicto pectore telis.
Nae, longo functis bello Phrygiaque potitis
Urbe, frui placida jamdudum pace liceret.

Talia jactabat: riſit Saturnia Juno.
Sic Phoebum interea Neptunus voce laceſſit:

Phoebe, quid abſtamus? tempus concurrere, pugnam
Sunt alii quando exorſi. nam turpe reverti eſt

v. 437.

Im-

Immunes belli Jovis ad caeleſtia tecta,
Aerataſque domos. agedum, prior incipe, natu
Qui minor es: nec enim mihi pulchrum invadere pugnam,
Aevo qui longe tibi praeſto, pluraque novi.
Stulte, ut corde cares! memori nec mente recurſant,
Quae divûm ſoli tulimus mala plurima quondam
Litore in Iliaco; celſa Jovis aede profectos
Conduxit pacta cum nos mercede ſuperbus
Laomedon anni ad ſpatium, addictoſque premebat
Imperitans, juſſiſque deos haud mollibus urgens.
Tunc ego Trojugenis urbemque & moenia ſtruxi
Lata, oculis miranda, virûm quae frangere nulla
Vis queat, herbiferis nemoroſae in vallibus Idae.
Ducebas camuros tu, Phoebe, ad paſcua tauros.
Verum ubi mercedis dulces optantibus horae
Attulerunt finem; pretio fraudavit utrunque
Laomedon, terrenſque minis dimiſit inani
Spe luſos. memini ſaevum tibi nanque minari:
Atque pedes vinctum atque manus ſerviliter ambas,
Puppe cava impoſitum trans vaſti caerula ponti
Miſſurum hinc venum longinquae ad litora gentis.
Quin etiam ambobus ferro dicebat acuto
Abſciſſurum aures. irato corde reverſi
Nos divûm ſumus ad ſedes, fallacia queſti
Pollicita, & caſſos, nulla mercede, labores.
Gratus an haec propter tu facta juvaſque foveſque
Trojugenas? non tu nobiſcum incumbis, ut omnes
Laomedontiadae pereant male funditus, ipſis
Cum gnatis, & conjugibus, patriaque, domoque.
Haec rector maris: Arcitenens cui talia reddit:
Vecordem, Neptune, reor, ſenſuque carentem
Jure putes, miſera tecum pro gente virorum

Si pugnem ; ſimiles foliis qui nempe vigeſcunt
Interdum , atque alacres veſcuntur munera terrae ,
Inde brevi enerves languent pereuntque . cruentae
Nos igitur pugnae parcamus : mutua caedant
Illi ſe telis , ac pergant cernere ferro .
Sic ſatus , retro greſſum tulit , ille parentis
Nam fratrem eſt veritus collata invadere dextra .
Quem ſimul ac vidit , regno memoranda ferarum ,
Silvipotens Dictinna , ſoror convicia fratri
Fecit , & irato dedit has de pectore voces :
Phoebe fugis ? laudem Neptuno linquis & omnem ,
Atque decus multo quaeſitum , ignave , labore ?
Cur , demens , arcumque & inania ſpicula geſtas ?
Non magnis poſthac verbis te patris in aede
Jactantem audiero , jactabas qualia nuper
Inter caelicolas : telis arcuque paratum
Letifero contra Neptunum invadere pugnam .
Sic ait : increpitus nihil at reſpondit Apollo .
Magna ſed immanes conjux Jovis arſit in iras ;
Atque, deam probris onerans, haec ore profatur :
Quî nam, effrons, auſa es tu me conſiſtere contra ?
Durum opus eſt mecum pugna contendere , quamvis
Auratoſque arcus geſtanti, & lucida ferro
Spicula . foemineo generi te nempe leaenam
Jupiter attribuit , quam velles & dare leto
Annuit ; infeſtiſque Orco demittere telis
In domibus ſtratas necopina morte puellas .
Nae tibi , diva ,feras agitare in montibus altis
Eſt ſatius , ſilviſque vagantes figere cervas ,
Quam conferre manum ſtulte melioribus . at , ſi
Bella tamen tentare placet , pugna ocyus, ut jam
Noris , ego quanto ſim fortior , improba ; quae me

v. 488.

Par

Par veluti virtute, audes conſiſtere contra.
  Sic effata, manum laeva comprendit utramque:
At dextra pharetram ex humeris detraxit, & ambas
Circum aures multo pulſabat non ſine riſu
Huc illuc ſeſe verſantem: effuſa cadebant
Tela ſolo; volucres terram ſtravere ſagittae.
Tum lacrimis perfuſa genas dea fugit, ut altae
Accipitrem fugiens rupis tremefacta columba
Cum volat in latebram, cui non fatale cruento
Ungue capi fuerat: ſic longe diva relictis
Aufugit levibus jaculis pulchraque pharetra.
  Latonam at divûm compellans nuncius, infit:
Non ego congrediar tecum, dea: triſte ſupremi
Uxores contra Jovis eſt pugnare. deorum,
Ut lubet, in coetu jactato, me tibi victum.
  Haec ille: at curvoſque arcus, volucreſque ſagittas
Diva legens, paſſim putri tellure jacentes,
Suſtulit, arma parens victae infelicia natae.
Illa fugam celerans, late fulgentis Olympi
Venerat in ſedes, Jovis aurea tecta, patriſque
Inſedit genibus, perculſo corde; tremebat
Ambroſius circum peplus. riſitque, puellam
Et pater ad ſeſe excepit, dehinc talia fatur:
  Quis te, nata, auſus divûm eſt ſic plectere, ceu ſi
Patraſſes aliquid manifeſto in lumine probri?
  Haec genitor paucis: paucis cui filia contra
Virgineis gaudens vittis, nemorumque tumultu.
  Juno, pater, tua me conjux pulſavit, & omnes
Una deûm incendit veſana in praelia mentes.
  Haec illi alterno miſcent ſermone. Scamandri
Interea campo longe digreſſus Apollo
Ilion ingreditur ſacram. nam corda premebat

Homer. v. 515.

Cura ingens olli, manibus ne ſtructa deorum
Urbs, praeter fatum Graja ſub gente periret,
Illo capta die, verſis & ſubruta muris.
Aſt alii ad ſedes venere ingentis Olympi
Caelicolae, hi tumido volventes pectore fluctus
Irarum, hi parta praeſtanti laude ſuperbi;
Atque omnes magno taciti aſſedere Tonanti.
Haud minus interea Troas dabat acer Achilles
Exitio, ſternens pariter curruſque, viroſque.
Vaſtus ut incenſa late furit ignis ab urbe
Fumiferam glomerans nubem; quem ſuſcitat ingens
Ira deûm: cunctiſque labor, multiſque ſuprema
Ingruit actutum clades: ſic atque labores
Atque mala Iliadis Peleïus intulit heros.
  At Priamus (ſacra in turri nam ſtabat) Achillem
Territus ingentem agnovit; cui Troica pubes
Terga dabat, nuſquam conſiſtens, robore vique
Caſſa omni. ergo altae plorans faſtigia turris
Deſerit, ac ſenior, portas ubi venit ad ipſas,
Cuſtodes trepide compellans, talia mandat.
  In manibus, juvenes, portas retinete patentes,
Dum pavidi cives veniant: (verſa agmina, Achilles
Inſtat enim turbans: clades heu foeda propinquat)
Verum ubi ſe feſſum portis immiſerit agmen,
Continuo firmos juncto apte robore poſtes
Claudite. nanque urbi dirus ne ſe inferat una
Vir metuo. Haec ſenior dederat mandata: recludunt
Illi continuo portarum clauſtra, remoto
Objice; quod miſeris tam nigro in turbine lucem
Attulit. Arcitenens tum Phoebus moenia linquens
Evolat, ac ſeſe fert obvius, arceat hoſtem
Ut Teucris, clademque extremo in tempore ſiſtat.

v. 540.

Illi urbem rapido curſu, murumque petebant,
Arenteſque ſiti, collecto & pulvere foedi:
Verſa virûm dius Pelides terga premebat,
Ingentique haſta pubem ſternebat. acerba
Uſque truci rabies gliſcit ſub corde; decuſque
Eximiae cupit uſque referre & praemia laudis.
Illo ſacra die cepiſſent moenia Graji
Ipſe Antenoriden ni Phoebus Agenora praeſens
Excitet egregium bello. cui corde ſub alto
Indidit audaces animos deus; & ſtetit, atrae
Ipſe manus inhibens praeſtanti numine Mortis,
Haud procul a Fago, circum denſo aëre ſeptus.
Is, tergo inſtantem non longe ut vidit Achillem,
Conſtitit, & curis ingentibus anxius altum
Dat gemitum, & tacito ſecum haec ſub corde volutat:
  Me miſerum! fugiam dirum tremefactus Achillem
Si turbae immixtus fugientum ad moenia Troum,
Sic quoque me capiet, ferroque invadet acuto
Imbellem obtruncans. Quid ſi verſa agmina dira
Caede ſinam hic foede ſternat; celer ipſe capeſſam
Iliacum at fugiens campum, ſaltuſque virentes,
Et dumeta Idae ſubeam; dehinc veſpere ſero,
Feſſus ubi abluero ſudorem in flumine, furtim
Dardanios redeam ad muros? ſed inania ſtulte
Haec mihi cur fruſtra mens alto in pectore verſat?
Heu metuo, in campum ne me divertere ab urbe
Sentiat, ac rapidis pedibus citus occupet heros,
Nec mihi jam liceat mortem & crudelia fata
Effugere. invictis nam longe viribus omnes
Ille viros animiſque unus praeſtantibus anteit.
Quin potius contra gradior, pro moenibus & ſto
Obvius? illi etiam corpus violabile ferro,

v. 568.

Una & ineſt anima ; utque ferunt mortalis & ipſe eſt,
Jupiter uſque virum magno licet auctet honore.
Sic ait, inque gradu manet hoſti adverſus eodem,
Fortem animum pulchro pugnae ſuccenſus amore.
Ac veluti denſos frutices, luſtra horrida, linquens,
Venantem contra fert ſe panthera, periclum
Nec metuit, nec verſa fugae dat terga, nec uſquam
Clamore, atque canum latratu exterrita cedit;
Eminus ac telo, vel cominus icta, furori
Haud parcit confoſſa tamen, nec deſinit acri
Ire animo contra, dum vel ſaevum arripit hoſtem,
Vel cadit ipſa ſuo ſe fruſtra in ſanguine verſans:
Sic magni proles Antenoris, altus Agenor,
Verſa negat dare terga fugae imperterritus ante,
Collata ſaevo dextra quam pugnet Achilli.
Ille gravem prae ſe clypeum gerit; & quatit haſtam
Ingentem librans; magno & clamore profatur:
Hac te luce urbem ſperabas, inclyte Achilleu,
Everſurum altam Priami, Troaſque daturum
Exitio. demens! haec longus moenia circum
Reſtat adhuc labor, & duro ſub Marte dolores.
Multa intus pubes, nec bello ignava, tuemur,
Pro ſe quiſque, urbem, cariſque parentibus omnes,
Conjugibus natiſque omnes dura omnia contra
Adſumus auxilio. ſed tu tua fata ſubibis
Jam, reor, heic, quamvis ſaevus bellator & audax.
Sic ait, ac telum dextra contorſit acutum
Ingenti. ſtridens auram ſecat haſta, ſub ipſum
Acta genu, adverſum crus certo & perculit ictu,
Ocrea quod circum ſtanno ingens ducta recenti
Horrendum inſonuit: longe tamen haſta retrorſum
Pulſa iit, aerata ſubiit nec cuſpide corpus.

v. 594.

Do-

Dona etenim obſtiterunt denſo Vulcania textu.
Pelides tum deinde furens in Agenora dium
Irruit: eximiam cupido ſed magnus Apollo
Invidit laudem; rapiens & Agenora, tectum
Nube cava longe deus abſtulit, atque pericli
Securum bellique immunem juſſit abire:
Ipſe dolo a Teucris ignarum abducit Achillem.
Nanque, arma & vultum mentitus Agenoris, ipſos
Pelidae ſtetit ante pedes. citus irruit ille,
Praecipiti curſu fugientem pone ſecutus.
Dum fugit hic, dum terga premit Peleïus heros
Arva ſecans, Xanthi retro & converſus ad amnem
Uſque brevi ſpatio praeeuntem attingere ſperat
(Nanque dolo captum ſpe Phoebus lactat inani):
Interea trepidi venere ad moenia Troës;
Atque intus laeti ſe condunt agmine denſo,
Confertimque urbem complent; nec ſiſtere curſum
Quiſquam audet muros extra, ſocioſque manere;
Quaerere nec pugna quis raptus, quiſve reverſus
Incolumis: plenis cupidi ſed condere in urbem
Certant ſe portis, curſu quoſcunque volucri
Ereptos leto ſervarunt genua pedeſque.

HOMERI ILIADOS

LIBER VICESIM. SECUNDUS.

SIc trepido hi curſu ſuſi per moenia, quales
Hinnulei, terguntque artus ſudore madentes,
Atque ſitim potu reſtinguunt, membraque longo
Feſſa opere acclinant ad propugnacula. Grajûm
Interea pubes muro clypeata propinquat.
Hectora ſed vinctum duri vis efferа fati
Extra urbem tenuit, Scaeaeque ad limina portae.
Parte alia Aeaciden compellat Phoebus Apollo:
Nam cur me inſequeris celeri pede fretus, Achille,
Mortalis divûm? nec ſentis, quem premis audax,
Eſſe deum; ſtultuſque furis ſine fine modoque.
Non tibi jam cordi eſt turbatos perdere Troas.
Quos urbs tuta ſinu condit: tu devius erras
Incaſſum. nec enim leto me ſtraveris, aevo
Natum immortali, Parcarum & lege ſolutum.
Huic celer immani Pelides concitus ira:
Laeſiſti male me Arcitenens, teterrime divûm,
Huc muro avertens. multi nanque, ante ſubirent
Quam muros, ſtrati jacuiſſent pulvere in atro.
Eximia nunc me fraudaſti laude; fugacem
Servaſti & pubem ex facili; quod ſcilicet ullum
Haud metuis facti ultorem. mihi nanque facultas
Si foret ulciſci, non hoc impune tuliſſes.
Haec ait; atque animis ingentibus efferus urbis
Iliacae ruit ad muros. per nota ſonantem
Ut rapiens currum plani volat aequora campi

v. 22.

Vi-

Victor equus curſu facili : ſic genua movebat
Atque pedes alacer, curſu nec laſſus Achilles.
Hunc Priamus longe agnovit, campoque volantem,
Fulgentemque armis, clarum ceu ſidus, in aeſtu
Quod primo autumni exoritur, lateque coruſcis
Aſtra inter claret radiis, fulgetque ſub alta
Nocte ; canem dicunt quem nimbiferi Orionis ;
Igne ardens claro ſidus, verum omine diro
Triſte, ſitim morboſque ferens mortalibus aegris :
Sic pectus circa Pelidae ſaeva micabant
Aera, furens rapido curſu dum fertur ad urbem.
At ſenior triſteſque alto de pectore plorans
Rumpebat gemitus, manibus pulſabat honeſtum
Et caput elatis alte, moeſtoque ululatu
Clamabat, dulcem exorans inflectere gnatum
Si poſſet. Scaea ſtabat nil territus ille
Pro porta, opperiens venientem immotus Achillem,
Veſano & pugnae mentem ſuccenſus amore.
Cui ſenior tenditque manus, moeſtaque morantem
Voce vocans, lacrimis haec ſupplex fatur obortis:
Hector, dulce caput, ſanguis meus, huc ades, iſtum
Nec ſolus, nullo Troum ſtipante, maneto ;
Confeſtim ſubeas fatum ne triſte cruento
Stratus ab Aeacida : multo eſt nam fortior ille.
Improbus o utinam dîs tam carus foret aequis,
Quam mihi. jam leto domiti, campoque jacentis
Membra canes rabidae traherent, diraeque volucres;
Linqueret ac ſaevus mihi tunc praecordia moeror.
Ille orbum fecit multa me prole bonaque
Efferus ; atque alios mihi gnatos morte peremit,
Venum alios capiens longinquas miſit in oras.
Quin & nunc Teucros inter tuta urbe receptos,

v. 46.

(Me

(Me miſerum !) haud video, fruſtra quaerens, Polydorum
Dìs forma ſimilem, clarumque Lycaona, dia
Quos mihi Laothoë peperit. ſed, lumine dulcis
Hi vitae in caſtris Danaûm ſi forte fruuntur,
Aere queant redimi, atque auro: nam plurima nobis
Gaza domi eſt, gnatae quam praebuit inclytus Altes.
Quod ſi morte jacent, Orcum & ſubiere, dolebo
Ipſe quidem, & mater, quorum de ſanguine creti:
Luctus erit populo brevior tamen, ultima ſi non
Tu quoque fata feras Pelidae ſtratus ab haſta.
Murum, gnate, ſubi: fer greſſum in moenia, Troas
Ut pavidos ſerves, & Troadas; ut decus ingens
Victori ne des Pelidae, neu tibi dulcis
Flos aevi pereat miſero. Me reſpice ſaltem,
Gnate, mala preſſum aerumna, ſenſuque vigentem
Mentis adhuc: feſſum extremae ſub fine ſenectae
Quem ſorte in miſera perdet Saturnius, urbem
Captam. hoſti, ac dirae cladis genus omne videntem:
Mactari ferro gnatos, mea viſcera, gnatas
Raptari, thalamos everti, corpora terrae
Infantum allidi puerorum, dum fera gliſcit
Ira, nurus manibus vexari dira furentum
Grajorum. haec paſſum ſpectacla horrenda cruenti
Me fortaſſe canes ipſum mandentque trahentque
Pro foribus; (jaculove aliquis, vel figet acuto
Poſtquam enſe imbellem, vique hanc de corpore pellet
Dura animam) ipſe alui quos intra regia fidos
Tecta canes, veſci ad menſam, ſervareque ſuetos
Limina: large, hauſto domini qui ſanguine primam
Ante domum tepida ſatiati caede jacebunt.
Non foedum eſt juveni, duro in certamine pugnae
Cum cecidit ferro confoſſus membra, jacere

v. 72.

Nu-

Nudatumque artus, largoque cruore madentem,
Morte tamen pulchrum florenti corpore in ipſa:
At ſenis incanumque caput, barbamque, retectum
Et ventrem ſaevo ore canum ſi turba perempti
Dilacerat, nullum mortali hoc foedius uſquam eſt
Spectaclum, atque magis miſerum & lacrimabile. Tales
Fundebat ſenior queſtus, canamque trahebat
Caeſariem vellens manibus: verum Hectora nullo
Quibat, multa rogans ploranſque, inflectere pacto.
Nec minus & mater plorabat perdita luctu;
Atque ſinum laxans dextra, laevaque papillam
Exſertam oſtendens, tales dabat anxia voces:
Hanc cernens reverere Hector. miſerere parentis
Longaevae. puero ſi quando, haec ubera praebens,
Triſtem ſedavi fletum, nunc mente recurſet,
Gnate, precor memori. ſaevum arce a corpore clauſus
Urbe hoſtem: demens, ne ſta pro moenibus olli
Obvius. heu, leto ſi te dabit, haud ego molli
Te impoſitum lecto, carum, mea viſcera, germen,
Inclyta nec tua te conjux deflebit: at altas
Grajorum longe ad naves diſcerpta jacentis
Membra canes avidi crudeli dente vorabunt.
Hectora ſic ambo fletu precibuſque parentes
Aggreſſi orabant: neuter ſed flectere mentem
Evaluit. manet impavidus pro moenibus ille,
Uſquam nec cedens, venientem exſpectat Achillem.
Magnus uti coluber, paſtus mala gramina, ſervat
Trux ſua luſtra, virum opperiens; atque aeſtuat ira,
Horrendoque oculos micat igni; tectaque circum
Convolvit ſeſe impavidus pugnaeque paratus:
Hector magnanimo ſic vim ſub pectore condens
Indomitam, nuſquam cedebat, nixus eodem

Ille gradu; & clypeum procurvae ad grandia turris
Saxa gravem acclinans. curis tamen aeſtuat intus,
Atque haec ſolicito ſecum ſub corde volutat:

Me miſerum! ſubeo ſi portas, moenia & urbis,
Polydamas primus dictis me inceſſet amaris.
Ocyus ad muros Troas qui ducere juſſit
Nocte hac, heu miſeros quae perdidit; acer in arma
Qua rediit Trojae clades ac terror Achilles:
Aſt ego contempſi monſtrantem vera, monenti
Cum foret utilius multo ſubmittere mentem:
Nunc, populum indocilis poſtquam nil tale merentem
Exitio ſtravi, pudet ora ſubire meorum;
Et vereor Troaſque & Troadas: hoc mihi nequis
Olim deterior tamen exprobret: Ipſe ſuorum
Exitio pubem dedit Hector robore fretus.
Sic dicent. fuerit mihi tunc optatius acri
Depugnaſſe animo, inque urbem rediiſſe perempto
Aeacida, aut pulchra cecidiſſe heic morte peremptum
Aeacida a magno patriae pro moenibus urbis.
Quod ſi deponam clypeum, galeamque relinquam;
Et muro acclinans haſtam, dehinc ipſe profectus
Magnanimo occurram ſupplex & inermis Achilli,
Argivamque Helenam, quamcunque in puppibus altis
Et Paris huc vexit gazam, quae triſtis origo
Prima fuit belli, dicam aequa mente daturum
Atridis; tum quidquid opum latet urbe, ſeorſum
Pollicear Grajis ultro partirier; omnes
Inde adigam Troas teſtari numina divûm,
Nil fore, quod celent, rerum, quas continet amplo
Urbs gremio; nil, quod non partes, fraude remota,
In geminas tribuant, cedat quarum altera Grajis.
Sed quid ego haec autem nequidquam vana voluto?

v. 122.

Quid

Quid ſi, cum veniam ſupplex, genibuſque furentis
Advolvar, me nil miſerans ferus ille, precantem
Nec veritus, ferro armatus invadat inermem;
Tam facile & perimar, mulier quam neſcia belli?
Non eſt qui poſſit blando ſermone moveri,
Nec quicum liceat garrire ac vana jocari:
Garrit ut a quercu interdum ſaxoque puella
Et juvenis. praeſtat pugnare, ac noſcere tandem,
Eximiam laudem cui Jupiter annuat aequus.

Dum tales dubio mutabat pectore curas
Hector, in adverſum curſu tendebat Achilles.
Fulmineus veluti Mavors in vertice criſtas
Concutiens per bella ruit, ſic ille ruebat,
Sublatamque humero quatiebat concitus haſtam
Fraxineam, ingentem. totum cui corpus ahena
Luce micat; qualem fundit vel flamma, vel ipſe,
Ardet ubi eoo ſurgens de gurgite, Phoebus.

Non tulit horrendam ſpeciem, non Hector eodem
Suſtinuit manſiſſe loco, Scaeamque reliquit
Immemor a tergo portam. mora nulla, fugacem
Aeacides pedibus melior premit. Ille volantes
Ut quondam ante alias longe pernicior omnes
Accipiter viſam aeria de rupe columbam
Inſequitur lapſu facili: raptim volat illa,
Obliquatque viam fugiens tremefacta; ſuperſtat
Hoſtis atrox, promitque ungues, & clangit acutum;
Dira fames avidum exacuit, praedaeque cupido:
Sic celer Aeacides planta pernice volabat
Igneus; obliquo curſu vitare volantem
Sic fruſtra optabat patriae ſub moenibus Hector
Genua levis jactans. Et jam poſt terga relictus
Agger erat, ſurgenſque altas caprificus ad auras,

Hac rapidi muro ſubter venere per amplae
Strata viae, gravibus qua preſſa eſt orbita plauſtris,
Ad ſcatebram, geminus pulchri fons unde Scamandri
Proſilit; ille quidem calidus fumique vaporem
Efflans, ſubjecto veluti ſi ferveat igne;
Aeſtate hic gelidus media, ceu grandine conſtet,
Atque nivem glaciemque algenti devehat alveo.
Hos duo ſtructa manu niveo de marmore labra
Excipiunt; ubi, dum quondam pax alma vigeret,
Nec Danaûm Phrygias exercitus iſſet ad arces,
Iliades puro veſtes in fonte lavabant.
Troius hac Hector ſimul & Peleïus heros,
Hic fugiens, hic tergo inſtans fugientis, anheli
Tranſcurrere. fugit fortis, ſed fortior illum
Inſequitur; nimbo ſimiles celerique ſagittae
Ambo. non etenim vel pellis rapta juvenco,
Vel pecus eſt pugnae pretium; quae praemia vulgo
Curſor habet: magni ſedenim de ſanguine certant
Hectoris, hic cupiens ſervare, hic perdere leto.
Ac veluti Eleo quondam in certamine metam
Se circum rapidi flectunt, ſpumiſque madeſcunt
Alipedes palmae ſtudio; queis munus opimum
Vel mulier captiva, tripus vel ponitur aureus:
Sic magnam Priami variis ter curſibus urbem
Luſtravere viri. quos deſuper omne deorum
Concilium ſummo celſi de vertice Olympi
Spectabat. Rex in mediis haec Jupiter orſus:
  Caelicolae magni, carum caput Hectora pelli
Dardanios circa muros, fruſtraque pericli
Velle fugam, video; curiſque ingentibus angor.
Nam ſaepe Idaei ſinuoſo in vertice montis,
Atque urbe in ſumma tauros mactavit ad aras

v. 172.

Ille

Ille meas ; curſu quem nunc premit acer Achilles.
Verum agite, atque animo quae nunc ſententia ſurgat
Dicite, ſeu dirae juvenem ſubducere morti,
Seu victum placeat manes demittere ad imos.
Jupiter haec. reddit contra ſed talia Pallas:
O pater, o nutu cogis qui nigra potenti
Nubila, & horriſonas torques per inania flammas,
Mortalem, dura fatorum lege teneri
Quem noſti, ſerves, certaque a morte reducas?
Tu major: factum ſed non laudabimus omnes.
Cui pater omnipotens: Dulcis Tritonia, pone
Corde metum; non haec animo ſententia noſtro
Certa ſedet. quid, non ſimulata mente locutum
Senſiſti? mitem certe facilemque futurum
Me tibi, polliceor. tu quae fert corde voluntas
Exſequere, atque metu coeptis ne abſiſte. Volentem
His gnatam exacuit dictis pater. ilicet auras
Diva ſecans, alto venit de vertice Olympi,
Hector ubi ingenti gyro fugit uſque, nec ullam
Dat feſſo requiem celeri pede fretus Achilles.
Qualis venator cervum canis urget in altis
Montibus expulſum latebris, perque horrida dumis
Teſqua, per & valles; altum hic ſe condere certat
In nemus: ille ſagax quaeritque, erratque, latentemque
Invenit: argutis reſonant latratibus agri:
Talis fruſtra optat latebram, nec fallit Achillem
Hector. nam quoties ad muros flectere curſum
Tentavit, turrique altae ſuccedere, ſi quis
Laſſo ferret opem jaculans, hoſtemque fugaret
Miſſilibus; toties tentantem ad litora vertit
Pelides ſubito praecurrens, moenibus ipſe
Et proprior longe ſecluſum abſterruit urbe.

v. 197.

Ac

Ac veluti nocte obſcura , cum ſomnia mentem
Vana cient , alter cedentem urgere videtur
Fruſtra , alter celerare fugam , nec poſſe : ruebant
Sic ambo ; fugientem avido non prendere curſu
Hic poterat : non ille fuga vitare ſequentem .
Nec leto eriperet ſeſe , ni , fine ſub ipſo
Occurrens , habilem juveni per membra vigorem ,
Et celerem afflaſſet pedibus vim Phoebus Apollo .
Flammeus ergo volat campo . Proceſſerat agmen
Myrmidonum interea . ſocios at parcere ferro
Ipſe procul juſſit , dextraque & vertice toto
Abnuit Aeacides currentem inceſſere telis .
Quippe timet ne forte prior quis vulneret : ipſe
Poſt veniat , primae referat nec laudis honorem .
Jam geminos quartum ad fontes & labra Scamandri
Ventum erat . Ipſe manu lances tum Jupiter aureas
Suſtulit , impoſuitque amborum triſtia fata ;
Hectoris hinc : aſt hinc , Pelidae . pondere ſedit
Preſſa ſuo , nigrumque gravis deſcendit ad Orcum
Hectoris atra dies . hunc liquit Phoebus Apollo
Suſpirans : illi placido Tritonia vultu
Miranti ſtetit ad latus , & ſic ore locuta eſt :
Aeacida armipotens , magni cui rector Olympi
Ille favet , clarum nunc te ad tua caſtra reducet
Gloria . tempus adeſt , fortis quo concidat Hector .
Non illum adverſae fortunam evadere pugnae
Fata ſinunt ; lacrimans non ſi procumbat Apollo
Ante Jovem , genua amplectens , genibuſque volutans .
Verum age , tu paullum interea conſiſte , laboris
Eſto aliqua & longi requies : huc ipſa doloſis
Priamiden verbis ad praelia dura vocabo .
Sic ait ; ille deae , promiſſo munere laetus ,

v. 224.

Par-

Paruit, & longa nitens ſtetit arduus haſta.
Deïphobi at ſimulans inceſſum atque arma Minerva,
Omnia Deïphobo ſimilis, vocemque, habitumque,
Hectora conſequitur, fictoque ita pectore fatur:
  Heu, frater venerande, nimis curſu acer Achilles
Te premit. audendum dextra. conſiſtere contra
Tempus adeſt, atque arma viro mecum obvia ferre.
  Haec fanti, haec contra reddit Mavortius Hector:
Deïphobe, haud neſcis longe ut te fratribus unum
Praetulerim cunctis, Priamo quicunque creati
Atque Hecuba: poſthac multo ſed carior idem,
Frater, eris; tutos extra procedere muros
Optaſti quando ſolus, fratrique tuliſti
Auxilium: manſere alii. Tritonia contra:
  Multa quidem lacrimans genitor, venerandaque mater,
Et flentum circa comitum me plurima turba
(Tantus habet cunctis mentes & pectora terror)
Conata eſt patriis retinere in ſedibus: at me
Ingens aſſiduo pulſabat cura dolore
Te ſuper, atque animos ſtimulis figebat acutis.
Verum age tempus adeſt tela obvia ferre, nec haſtis
Pacere. nunc ferro cernendum, noſtra ne Achilles
Arma ferat tepido rorantia ſanguine victor,
An victus ſpolia ampla ſuo det foeda cruore.
  Haec ubi dicta dedit, fallax praeceſſit: at Hector
Pone ſubit magnum gradiens, hoſtique propinquat.
Tum prior has alto fudit de pectore voces:
  Non te, Pelide, fugiam velut ante; ſat urbem
Ter magnam circa fugi, nec territus uſquam
Stare loco, & ferro potui decernere. ſed nunc
Stat conferre manum, ſtat vinci aut vincere. divûm
At memores, firmant foedus qui numine, pugnae

v. 254.

Di-

Dicamus legem. ſi te demittere ad umbras,
Ut reor, annuerit caelo pater ille; jacentem
Non ego te ſaevus foedabo; fortia tantum
Arma legam; Danai referent exſangue cadaver.
Tu nunc ſponde eadem, tua ſi fors coepta ſecundet.
  Torvus at ille: Mihi quas leges, fidaque narras
Foedera? nulla viris fulviſque leonibus unquam
Foedera ſunt, ſaevo mollis nec jungitur unquam
Agna lupo; non ullus amor, nec foedera nobis
Eſſe queant, fuſo alteruter dum ſanguine Marti
Spectaclum torvo jaceat. nunc roboris eſto,
Virtutiſque memor, ſaevis nunc acer in armis.
Nulla fugae ratio. Pallas te ſcilicet haſta
Ipſa mea jam tranſadiget; jam dira meorum
Funera morte lues merita, Danaûmque labores.
  Haec memorat, vibranſque haſtam contorſit: at Hector
Praevidit contra venientem, & corpore paullum
Subſedit flexo: ſupra caput aerea ſtridens
Horrendum volat haſta, ſolo & defixa tremebat
In viridi, poſt terga viri. Tritonia Pallas
Quam ſubito evulſam (nil ſenſerat Hector) Achilli
Reddidit ipſa ferens. vitata morte ſuperbus
Cui ſic Priamides laetanti pectore fatur:
  Erraſti, vana ſpe luſus ſcilicet: at me
Ab Jove cognoras moriturum. certe ita mendax
Dixiſti; mendax, & garrulus, & vafer idem;
Territus ut pavida languerem ad fortia mente.
Non tamen indecorem ſternes, haſtamque licebit
Ingerere in tergum fugientis: tela ferenti
Obvia ſed pectus, ſi quis deus hanc tibi laudem
Annuit, adverſum perrumpe. hanc ipſe viciſſim
Nunc devita haſtam, tenues quae tranſilit auras

v. 285.

Ac-

Aerea; totam utinam defixam in corpore geſtes.
Hoc levius Teucris bellum ſuat, improbe, caeſo
Te, miſeros gravius quo nemo & acerbius urget.
Haec fatus, magna longam vi conjicit haſtam,
Et clypei umbonem medium ferit. irrita cuſpis
Retro abiit vacuas longe ſed pulſa per auras.
Hector at ingemuit, quod fruſtra fugerat ingens
Emiſſum dextra telum; incertuſque dolenſque
Dejecit vultum; haud aliud, quod mittere poſſet,
Nanque aderat telum. magna tum voce vocatque
Deïphobum, poſcitque haſtam: dilapſus at ille
Ceſſerat in tenues ventos. tum denique fraudem
Senſit; & has gemitu fudit de pectore voces:
Heu miſerum huc divi me ad mortem nempe vocarunt.
Quippe ego Deïphobum mihi fratrem adſtare putabam:
Urbe ſed incluſus muro eſt ſuper ille: Minerva
Me ſpecie captum fallax deluſit inani.
Nunc mihi mors inſtat miſero mala; nunc mihi triſte
Imminet exitium: nuſquam fuga. ſcilicet olim
Servari caput hoc Phoeboque Jovique placebat,
E mediis ultro qui me rapuere periclis
Incolumem facileſque bonique: immania nunc me
Fata premunt, urgentque inimico numine Parcae.
Non tamen ignavus moriar, laudemque decuſque
Oblitus. contra ſtat niti, & morte ſub ipſa
Magnum aliquid patrare, aetas quod poſtera laudet.
Haec ubi ſic fatus, vagina diripit enſem
Ad latus haerentem, magnum, ferroque rigentem
Indomito; adverſumque furens incurrit in hoſtem.
Qualis ubi altivolans obſcura e nube virentem
Seſe aquila in campum praeceps demittit, & agnum
Aut pavidum leporem pedibus levis involat uncis:

Homer. v. 310.

Sic enſem vibrans torvus ruit Hector acutum.
Nec minus Aeacides contra volat igneus, altum
Incenſus furiis pectus; laevaque micantis
Praeportat clypei textum admirabile; nutat
Quatuor inſignis conis in vertice caſſis,
Aurataeque tremunt moto circum aere criſtae,
Quas apici denſas aptarat Mulciber alto.
Multa intempeſtae ceu veſper noctis in umbra
Luce micat; nullum quo caelo eſt pulchrius aſtrum:
Sic multa Aeacidae cuſpis tum luce micabat
Fulgens. quam dextra librans fatale parabat
Priamidae vulnus; pulchrum acri & lumine corpus
Luſtrabat; ferro quae pars mage pervia. totum
Aerea, Patrocli exuviae, circum arma tegebant:
Colla humerumque inter parva modo parte patebat
Guttur, ubi eſt animae leto via proxima. longam
Hac haſtam ſubito incurrens celer egit Achilles.
Trans abiit teneram cervicem cuſpis ahena,
Nec tamen aere gravis praecidit fraxinus udae
Vocis iter, verbis alterna ut reddere poſſet
Verba. Heros jacuit collapſus pulvere in atro:
Haec ſuper at, victo inſultans, jactavit Achilles:
  Hector, poſt ſaeva Patroclum morte peremptum
Tu fore te incolumem ſperabas; nec metus ullus,
Ulla mei nec erat ratio. veſane, relictus
Ultor ego ad naves fueram, praeſtantior armis
Haud paullo; tibi qui nervos & genua reſolvi.
Nunc tua membra caneſque trahent avidaeque volucres
Strata ſolo foede: Patroclo at juſta frequenti
Perſolvent pompa mecum funebria Graji.
  Haec ille: aſt Hector languens jam morte propinqua:
Per caput obteſtor ſupplex, per genua, parentes

v. 338.

Perque tuos, canibus ne foedis linque vorandum.
Accipe ſed magnum pondus fulvi aeris & auri,
Quae tibi dona dabunt genitor meus, & mea mater,
Corpus & exanimum redde, ut me rite ſupremo
Defletum imponant Troëſque ac Troades igni.
Olli torva tuens contra ſic fatur Achilles:
Improbe, ne fruſtra ſupplex per genua, parentes
Perque meos ora, crudos cui dentibus artus
Ipſe velim, ſi fas, lacerans abſumere de me
Tam male promerito. canibus data praeda jacebis;
Non erit ut Troum tibi dedecus arceat ullus.
Non, decies mihi tanta ferant ſi dona, daturos
Plura etiam dehinc polliciti: non, quantus es, auro
Si te Dardanides Priamus compenſet, in alto
Non erit ut poſitum te lecto defleat unquam
Mater, quae genuit; foedi ſed nuda vorabunt
Membra canes, rapientque avido dirae ungue volucres.
Haec ait: ille animam vix ducens talia reddit.
Noram ego te; precibus nec flecti poſſe putabam
Cui duro conſtat mens & praecordia ferro.
At tibi ne quondam ſim poena, & juſta deorum
Ira, vide; qua luce Pariſque & Phoebus Apollo
Te tamen ad Scaecae mactabunt limina portae.
Sic fantem nox atra gravi caligine texit:
Aſt animus volucri ſe lapſu ex artubus Orco
Abdidit, ipſe ſuam ſortem viridiſque juventae
Amiſſum plorans florem, vireſque relictas.
Quem tamen exſtinctum ſic eſt affatus Achilles:
Tu morere: aſt olim fatum aequa mente ſubibo
Ipſe meum, quemcunque dabunt mihi Jupiter & dî
Finem alii. Haec dicens frigenti e corpore traxit
Haſtam heros. hanc deinde manu ſeponit, & arma

Ipſe viri ex humeris largo perfuſa cruore
Detrahit . interea Grajûm ſe plurima circum
Affundit pubes. mirantur grandia membra ,
Mirantur formam attoniti , figuntque jacentem
Pro ſe quiſque : abiit nemo non vulnere adacto .
Atque aliquis ſocium compellans talia fatur :
Pro ſuperi ! quanto eſt nunc tactu mollior Hector ,
Quam ſaevo incendit naves cum turbidus igni .
Haec aliquis Grajûm dicebat , cuſpide figens
Hectoreum propior corpus . Tum dius Achilles ,
Exſtinctum raptis poſtquam ſpoliaverat armis ,
Grajorum ſtans in medio , ſic ore profatur :
O ſocii , Argivae gentis regeſque duceſque ,
Hunc domuiſſe virum quando mihi numina divûm
Annuerunt , mala qui genti plura omnibus unus
Intulit Argolicae : bello tentemus & armis
Urbem etiam , aggreſſi circum ; noſcamus ut , hoſti
Incluſo quae nunc ſurgat ſententia . foeda
Num linquent arcem capti formidine , rapto
Hectore ; an , hoc etiam ſublato morte , manere
Audebunt . ſed cur vana haec ſub pectore verſo ?
Ad naves jacet heu lacrimarum & funeris expers
Patroclus ! cari non me lux ulla ſodalis
Immemorem arguerit , donec vitalibus auris
Veſcar , genua vigor nec prorſum deſeret omnis .
Imos quin etiam ſi forte oblivia manes
Caeca tenent , dulcis non obliviſcar amici .
Ipſe tamen , quamvis obſcuro conditus Orco .
Nunc agite , o juvenes , laetum Paeana canentes
Vertamus greſſus ad naves ; atque trahamus
Hoc ſimul exanimum longe hinc ad litora corpus .
Gloria parta ingens : noſtro jam Marte peremptus

v. 393.

He-

Digitized by Google

Hector; quem divis aequabant, vota ſolebant
Cui facere, ut ſuperis, & ſacra indicere Troës
  Sic ait: ac dium converſus ad Hectora, foedum
Aggreditur facinus. ferro transfodit acuto
Ambos nanque pedum nervos, a calce recludens
Ipſum uſque ad talum; taurino e tergore lorum
Dehinc intro inſeruit, curru & religavit ab alto;
Cervicemque trahi, reſupino corpore, ſivit
Atque comas. currum poſt inſilit, armaque eodem
Imponit, caeſi exuvias; laetuſque flagello
Admonuit bijugos. curſu hi pernice volabant:
Excitus Hectoreo pulvis ſub vertice ad auras
Ibat, caeſaries circum turbata fluebat,
Formoſumque caput totum atro in pulvere foede
Stratum erat; heu quondam formoſum: at Jupiter hoſti
Tum ſaevo dederat turpandum ante ora parentum,
Tellure in patria. luctu quem perdita cernens
Mater, vellebatque comam, capitiſque decorum
Velamen longe abjecit, lamentaque, & altos
Effudit moeſto plorans de pectore queſtus.
Nec minus & genitor flet moerens, fundit & imo
Corde graves gemitus infelix; totaque circum
Singultu, queſtuque, & foemineo ululatu
Urbs reſonat: ſummo ceu ſi de culmine celſa
Ilios in cineres Argivo corruat igni.
Vix cives Priamum retinent, luctuque furentem,
Dardaniiſque ultro conantem erumpere portis.
Ille ſolo ſeſe abjiciens, & nomine ſupplex
Quemque ſuo appellans orabat: Parcite, amici;
Ne retinete. unus ſinite hinc egreſſus Achaeas
Ipſe adeam ſolus, nullo comitante, carinas.
Advolvar ſupplex genibus, ſaevumque trucemque.

v. 418.

Ora-

Orabo. aetatem veritus, miſeranſque ſenectam
Si flecti poſſit. qualis ſum, talis & illi
Eſt genitor Peleus; ſatus unde atque altus, ut eſſet
Exitio Teucris, meque ut male perderet unum
Praecipue. cui tot florenti aetate peremit
Heu miſero gnatos. quos luctu merſus acerbo
Non tamen una omnes tam ploro, quam Hectora ſolum.
Hic me orbum, ſaevus dolor hic me trudet ad Orcum.
Ille meis ſaltem in manibus, quando ultima fata
Urgebant, auras jucundi & lumina Solis
Liquiſſet moriens! fletu quiſſemus amaro,
Mater & ipſe, animum, longaque explere querela.
Haec ululans flebat ſenior, flebantque frequentes
Trojugenae; moeſto gemitu circum aura ſonabat.
Aſt Hecube luctum ſic orſa eſt Troadas inter.
Nunc ego cur vivam, quam ſors te, gnate, perempto,
Perdidit heu miſeram? te propter magna ſerebar,
Totam & laudabar nocteſque dieſque per urbem.
Tu ſpes, tu patriae columen, ſemperque paratum
Civibus auxilium; qui te ceu numen Olympo
Delapſum laeti votis precibuſque ſolebant
Excipere: incolumis quibus eſſes nunc decus ingens.
Parca ſed immanis te ſaevo heu funere merſit.
Talia jactabat lacrimans. Super Hectore conjux
Nondum etiam audierat quidquam; nec nuncius olli
Venerat, ante urbem Scaeaeque ad limina portae
Manſiſſe. ergo, domus tacitae in penetralibus altis
Abdita, purpuream ſtudio texebat inani
Ipſa manu chlamydem, vario fulgentia pingens
Texta opere. interea ſamulas circumdare multo
Juſſerat igne amplum tripodem, tepidamque parare
Lympham, molle viro reduci ad ſua tecta lavacrum.

v. 444.

De-

Demens! necdum etiam norat procul inde lavacri
Expertem a magna crudeli morte Minerva
Aeacidae manibus domitum. ſed miſſus ab alta
Plorantum fremitus turri, luctuque furentum
Confuſus clamor miſerae pervenit ad aures.
Intremuere artus perculſa mente, remiſſi
Exciderunt manibus radii: tum protinus alta
Voce vocans famulas turbato haec pectore fatur:
  Feſtinate duae comites mihi: noſcere factum
Quid ſit enim trepidat mens anxia. certe ego diae
Audivi ſocrus vocem; tremefactaque corda
Subſultant, ſegni torpent ac frigida ſubter
Genua gelu. Priami gnatis certe ingruit, eheu!
Triſte aliquid. ſuperi longe hoc avertite ab aure,
Quod dicam: ſedenim timeo, ne dius Achilles
Audacem a muro ſecluſerit Hectora ſolum
In campos, curſuque agitet per plana relictum
A ſociis. timeo ne leto denique ſternat,
Imponatque orſis ne finem audacibus, & quam
Uſque habuit, nimiae virtuti; qua male fretus
Non Troum in turba tutus mediiſque manebat
Ordinibus: longe ſed primos ante volabat
Procurrens, nullique virûm vi cedere certus.
  Haec effata, furens luctu celſa evolat aede,
Maenas ut, incenſum trepidans cor: pone ſequuntur
Quam famulae, atque pari celerant veſtigia greſſu.
Verum ubi perventum ad turrim turbamque virorum,
Conſtitit, & muro campos proſpexit ab alto.
Atque illum videt ante urbem raptarier, & jam
Axe trahi rapido celſa ad tentoria Grajûm.
Ergo oculos miſerae nox contegit atra: retrorſum
Labitur exanimis, longe redimicula, vittae.

v. 467.

Re-

Reticulum ; crines cohibet quod plectile vinclum ;
Fuſa ſolo , capite a pulchro delapſa , jacebant.
Velum, quod dederat Venus aurea, qua bonus illam
Hector luce altis ex aedibus Eetionis
Duxit, multa dedit poſtquam ſponſalia laetus
Munera : languentis frigentia membra ſorores
Hectoreae, atque nurus Priami collapſa tenebant
Inter ſe, luctu attonitae; dulcemque timebant
Vitam exhalaret ſaevo ne abſumpta dolore.
Ut rediit tandem ad ſeſe, mentemque recepit,
Crebra gemens inter moeſtas haec Troadas infit:
  Hector , me miſeram ! fato ergo nos ſumus ambo
Nati uno ; ſacris Trojae tu in moenibus, aede
In Priami ; Thebis ego Hypoplaco in ſilvoſa ,
Inque domo , parvam qui nutriit , Eetionis .
Nutriit heu miſeram miſer ipſe. optatius eſſet
Nunc certe, ſi me nunquam genuiſſet ; acerbo
Quam viduam in luctu linquis longe abditus altum
In barathrum inque domum caecam illaetabilis Orci.
Quid puer ille infans, laevo qui numine fruſtra eſt
Progenitus miſeris? cui non tu mortuus uſu
Hector eris, non ille tibi. qui gentis Achaeae
Effugiet ſi forte manus, lacrimoſaque belli
Exitia: aerumnae miſero tamen atque labores
Haud aberunt. patrios turbatis finibus agros
Quippe adiment alii puero. qui nanque parentem
Infelix puer amiſit, jam non habet ullos
Se circa aequales ; dejecto ſolus at uſque
It vultu, lacrimiſque rigat manantibus ora ;
Fert & egens ſeſe ad patrios pudibundus amicos,
Atque hunc accedens laena trahit anxius, illum
Apprendit ſupplex tunica. ſi forte precantis

v. 493.

Quem

Quem miſeret, praebet cyathum vix parcus, & ora
Prima rigant, ſiccum nec tangunt vina palatum.
Hunc aliquis vivo florens utroque parente
Menſa abigit plagiſque puer, probriſque: Recede,
Non tuus heic pater eſt nobis conviva. repulſus
Ille redit matrem ad viduam rorantia fletu
Ora madens. meus Aſtianax! cari ante parentis
In genibus niveumque adipem, ſolamque medullam
Veſci qui ſolitus; ludo & cum feſſus ocellos
Claudebat, ſomnum dulci nutricis in ulna
Carpebat ſtrato in molli, puerilia plenus
Pectora deliciis. at nunc duram feret idem
Aerumnam infelix, orbatus patre perempto;
Aſtianax: puerum ſic Troës nomine dicunt.
Quod celſos illis muros tu ſolus & urbem
Servabas, Hector. nunc primo in litore curvas
Ad naves tua membra, parentibus atque propinquis
Heu procul a caris, vermes paſcentur edaces,
Dira canum ſi quid rabies ſatiata reliquet:
Membra heu nuda! tibi at veſtis tenuiſque decenſque
Multa domi, Iliadum vario perfecta labore.
Quam certum eſt omnem flagrantibus urere flammis.
Uſus erit nullus; nec in illa veſte cubabis,
Quam dedero: aſt inter Troaſque & Troadas eſto
Hic tibi honos rapto crudeli morte ſupremus.
Hos dedit Andromache moeſto de pectore queſtus;
Et moeſtae Iliades circum adgemuere gementi.

HOMERI ILIADOS

LIBER VICESIM. TERTIUS.

SIc Troës gemitu complebant moenia. Graji
Parte alia poſtquam laetum paeana canentes
Venere ad naves, & fluctiſonum Helleſpontum,
Sparſi quiſque ſuas alii petiere carinas:
Solos at ſpargi nequaquam eſt paſſus Achilles
Myrmidonas; pubemque inter ſtans talia fatur
Belligeram: O ſocii dulces, bello inclyta pubes,
Myrmidones, ne quis mihi nunc de more volucres
Curru ſolvat equos. ſic ut ſumus, ocyus alto
Curru invecti omnes Patrocli ad triſte cadaver
Fundamus lacrimas, is quando eſt lumine caſſis
Unus honor. triſti ſatiati denique luctu
Solvemus bijugos, atque heic coenabimus omnes.
Sic ait: illi aegro ploratus corde frequentes
Dant juſſos: luctumque viamque praeibat Achilles.
Ter circa exanimum bijugos egere comantes
Luctifico moeſti gemitu. Thetis alma dolore
Atque gravi cunctis incendit pectora luctu.
Terra madet lacrimis, lacrimis maduere profuſis
Arma virûm. talem plorabant, morte cruenta
Abſumptum bellique ducem pugnaeque magiſtrum.
Princeps ante alios plorat Peleïus heros;
Caede virûm horrendas & ſupra pectus amici
Imponens palmas, haec moeſto ex ore profatur:
Salve, dulce ipſo caput o Patrocle ſub Orco.
Cuncta equidem actutum ſolvam, quaecunque perempto

v. 20.

Sum

Sum tibi pollicitus: pertractum huc Hectora ſaevis
Crudum epulas canibus triſtes dare; deinde flagrantem
Ante pyram, ipſe manu ferro mactare coruſco
Biſſenos claro juvenes de ſanguine Troum,
Efferus, & furiis te ob caeſum immanibus ardens.
Sic ait; ac rurſus foeda atque indigna cadaver
Saevus in Hectoreum molitur. nanque jacentis
Ante Menoetiadae lectum tellure locavit
In gelida pronum, porrectum pulvere in atro.
Interea circum ſocii pulchra aere coruſco
Arma ſolo exuti ponunt: altumque frementes
Abjungunt curru alipedes: tum deinde carinam
Juxta Pelidae, turba ingens, ordine longo
Conſedere. epulo ferali dius Achilles
Accepit cunctos, menſa & ſolatus amica eſt.
Multa boum paſſim ſternuntur pinguia ferro
Corpora; multae & oves, balatuque omnia moeſto
Complentes caprae; multi albis dentibus apri,
Denſo florentes pingui, torrentur in igne,
Vulcani extenti per flammas; ſanguis obibat
Plurimus at medium rivo ſpumante cadaver.
Tum primi Danaûm proceres tentoria ad alta
Atridae coetu Aeaciden duxere frequenti,
Vix longis victum precibus, magnoſque ſodalem
Ob caeſum irarum volventem pectore fluctus.
Hi poſtquam regis venere ad limen amici,
Continuo multa ingentem circundare flamma
Vocales tripodem praecones juſſit Atrides;
Orando Aeaciden poſſint ſi flectere, lymphis
Abluat ut tabo ſquallentia membra cruento.
Abnegat; atque, Jovem teſtatus, talia fatur:
Haud faciam, teſtis mihi Jupiter, ille deorum

Maximus atque idem longe optimus, ante liquentem
Non opus huic capiti, non fas, affundere lympham,
Patroclum extremos quam ponam triſtis in ignes,
Et ſtatuam tumulum, ſectamque a vertice donem
Rite comam. huic alius nunquam dolor ingruet ullus
Nam ſimilis, miſero infelix dum vita manebit.
Nunc tamen ingratae reddamus tempora menſae.
Mane novo ſilvam, rex, caedi & ſecta jubeto
Robora conferri, praeberi & plurima; habentem
Quanta virum par eſt nigras hinc ire ſub umbras;
Ocyus ex oculis hunc ut longe auferat ignis
Indomitus: redeant ſua quiſque ad munia Graji.
  Haec ille. haud quiſquam dictis non paruit. ergo
Omnes conſidunt pariter, raptimque paratis
Veſcuntur dapibus feſtini, & vina coronant.
Poſtquam epulis ſeſe explerunt, dulcique lyaeo
Quiſque ſuas abeunt ad ſedes, feſſaque ſuavi
Corpora dant ſomno ſepta intra Martia. curvo
Pelides poſuit defeſſa in litore membra,
Stratus humo in pura, fluctus qua rauca ſonantes
Allabi ſoliti. plorans heic ille frequentes
Inter Myrmidonas jacuit. cui protinus omnes
Diſſolvitque animi curas, & corpora circum
Se blandus fudit ſomnus: laſſaverat artus
Namque viro pulchros durus labor, Hectora longo
Dum ſequitur curſu ventoſae ad moenia Trojae.
Huic infelicis Patrocli flebilis umbra
Advenit, vivo ſimilis parque omnia, corpus
Mole ingens, pulchroſque oculos, vocemque ſonoram,
Induta &, quales nuper geſtarat, amictus.
Sic ſtetit Aeacidae ſupra caput; atque ita fatur:
  Dormis, heu dormis, noſtri ſecurus, Achille?

v. 69.

Cu-

Curabas vivum certe: nunc negligis idem
Exſtinctum. tumulo conde ocyus, oſtia Ditis
Ut ſubeam; manes nunc me, ſimulacra carentum
Luce, abigunt, arcentque aditu, nec flumina me trans
Ire ſinunt, umbramque aliis miſcerier umbris;
Sed latas vagor ante fores, & limen ad Orci,
Fruſtra. Nunc flenti dextram da, obteſtor; ab alto
Nunquam Erebo huc reducem adſpicies poſt juſta ſoluta,
Extremumque ignem; nobis nec, ut ante, licebit
Secretis turba, caſtrorum in parte remota
Conſulere, alternoque diem ſermone morantem
Condere; fatum hauſit quando me triſte, quod olim
Obtigerat dias venienti lucis in oras.
Et tibi, quem ſuperis virtus exaequat, Achille,
Fatum eſt Iliacae perdi ſub moenibus urbis.
Hoc tibi praeterea dico mandoque, ſodali
Si caro parere velis: fac ne mea ſeorſum
Oſſa tuis, ſimul at jaceant; ſimul aedibus olim
Ut ſumus in veſtris alti ambo, tempore quo me
Impubem pater ipſe Menoetius ex Opoënte
Deduxit veſtras ad ſedes caede fugatum
Patrata, leto qua imprudens Amphidamantis
Luce dedi gnatum, ob talos male percitus ira.
Cum bonus excepitque ſuo me limine Peleus,
Atque aluit laetus, fidumque ad praelia juſſit
Eſſe tibi famulum comitemque. haec propter utrunque
Idem habeat locus exſtinctos, urna aurea, munus
Eximium tibi quam dedit olim diva creatrix.
  Haec ubi ſic fatus, Pelides dicta viciſſim,
Pauca refert: Curnam, carum caput, huc mihi noctu
Veniſti; atque iſtaec mandas mihi ſingula? nil non
Exſequar actutum peragens tua juſſa: ſed adſta

v. 97.

Me

Me propius, quaeſo, complexi ut moeſta parumper
Corda gravi gemitu, luctu & paſcamus amaro.
  Haec ait, ac palmas collo protendit; inanem
Nec tamen eſt umbram complexus. fumus ut, altam
Illa abiit ſtridens ſub terram: dius Achilles
Excitus attonito ſimilis conſurgit, &, inter
Se plauſis manibus, lugubri haec voce profatur:
  Sunt certe obſcuri caecis in ſedibus Orci,
Sunt animae tenues hominum, ſimulacraque vana.
Nam mihi Patrocli ſuperadſtitit umbra gemenſque
Et plorans tota, quam longa eſt, nocte; deditque
Multa orans mandata, ipſi vultuque habituque
Patroclo ſimilis. Pelides talia fatus
Incendit luctu ſocios. hi triſte cadaver
Dum circa plorant, Aurora inceſſit ab ortu,
Et roſeis lucem digitis pulchra extulit almam.
  Continuo Atrides totis jumenta viroſque
Excitat e caſtris, multam & jubet undique ſilvam
Convehere. Idomenei ante omnes it belliger ipſe
Meriones famulus, ſocioſque hortatur & urget
Strenuus; in ſaltus fert ſe ingens turba, bipenne
Et gerit in manibus ferrum, contortaque lino
Vincula: praecedunt oneri jumenta ferendo.
Jamque iter emenſi per prona atque ardua, longos
Tranſgreſſi & flexus, tandem ſubiere virentis
Irriguos Idae ſaltus. heic omnis acuto
Aggreſſa eſt ferro proceras caedere quercus
Continuo pubes. vaſto illae pondere terram
Plangebant ſonitu ingenti; quas deinde jacentes
Findebant Graji, conſtrictaque robora magnos
In faſces valido mulorum imponere dorſo
Certabant: agiles illi celeri pede terram

v. 121.

Car-

Carpebant, denſis per luſtra horrentia dumis
Quamprimum optantes noto ſe reddere campo.
At juvenes truncos ingenti mole ferebant,
Quiſque ſuum (Idomenei ſic regis juſſerat acer
Meriones famulus): quos, ut venere, virenti
Abjecere ſolo defeſſi, & rite locarunt
Litore in undiſono ſtructos, ubi juſſit Achilles
Patroclo atque ſibi fieri commune ſepulcrum.
Hi, poſtquam reduces ingentem in litore ſilvam.
Depoſuere, illic denſi aſſedere frequenti
Coetu omnes: pubem at Peleïus imperat heros
Myrmidonum cingique armis, & jungere curru
Cornipedes. parent omnes, atque aere coruſco
Incluſere artus, pulchriſque in curribus adſunt
Aurigaeque & heri. praeit oſtro inſignis & auro
Turma equitum; peditum ſubit ingens nimbus: at ipſum
In medio ſocii Patroclum rite ferentes
Incedunt, ſectamque comam de vertice flavo
Injiciunt, totumque inſternunt crine cadaver.
Pone caput manibus gelidum ſuſtentat Achilles
Moerens, nigra Orci mittens in regna ſodalem.
Hi, poſtquam venere locum, quo juſſerat ire
Pelides; corpuſque toro poſuere, pyramque
Confeſtim ingentem ſtruxerunt robore ſecto.
Heic aliud caro deſignat munus amico
Aeacides. buſto ſecedens nanque parato,
Ipſe comam ferro ſecuit ſibi, pulchra nitentem,
Sperchio ſacram fluvio quam intonſus alebat.
Dehinc pontum adſpectans moerenti haec pectore fatur:
Sperchie, incaſſum Peleus pater, hanc, tibi vovit,
Me patrias reducem ad ſedes poſt bella, daturum
Sectam rite comam, magnorum & pinguia centum

v. 146. Sa-

Sacra boum; atque mares nivei dehinc velleris agnos
Quinquaginta ipſos mactantem ex, ordine puros
Jacturum in fontes, ubi multo fragrat odore
Ara tibi, atque ſacer multa viret arbore lucus.
Haec ſenior vovit: votum ſed fugit inanes
Neglectum in ventos. dulcem nunc triſtia quando
Fata negant reditum, deciſum hunc vertice crinem
Patroclo extremos praeſtat dare munus in ignes.
Sic ait; atque comam caris deponit amici
In manibus, luctuque omnes incendit Achivos.
Ante, modus fieret quam fletu, conderet almam
Sol pelago praeceps lucem: ſed dius Achilles
Majorem petit Atriden ac talia ſatur.
Atride (Grajûm populus te nanque jubentem
Audiet ante omnes) mentem ſatiare licebit
Triſti alias etiam luctu: ſecedere Grajos
Hinc alios, oro, coenamque parare jubeto.
Nos, propius tangit quos hic dolor, omnia rite,
Quae reſtant, ſoli curabimus. heic tamen opto
Nobiſcum reges maneant. Haec ſatus Achilles.
Ille autem dicto confeſtim paret, Achivos
Et curvas jubet ad naves coetu ire ſoluto.
Queis curae funus, manſerunt. nec mora, magnam
Certatim ſtruxere pyram, quae ſe ardua partem
In centum porrecta pedes tendebat in omnem.
Hac moeſti in ſumma poſuere exſangue cadaver.
Ante pyram tauroſque immanes, atque bidentes
Lanigeras mactant: direpto & tergore coſtis
Rite parant curantque. adipem queis dius Achilles
Omnibus exemptum ſumpſitque, & corpus amici
A capite uſque pedes totum contexit ad imos.
Tum nudata boum congeſſit corpora circum

v. 169.

At-

Atque ovium, accumulans; melliſque, & pinguis olivi
Urnas, acclinans feretro, locat; inde ſuperba
Eximios cervice pyram conjecit in amplam
Bis duo cornipedes feſtinus: pectore moeſtos
Interea plorans gemitus fundebat ab alto.
Ille novem menſae adſuetos regalia habebat
Intra ſepta canes. horum duo caedit acuto
Enſe, pyrae injiciens; biſſenos denique Troum
Egregios mactat juvenes male percitus ira;
Immiſitque ferum, cuncta ut depaſceret, ignem.
Poſt haec ſuſpirans dulcem his compellat amicum:
Salve ipſis nigri, Patrocle, in ſedibus Orci.
Cuncta tibi ſolvi, fueram quaecunque perempto
Pollicitus: bis ſex juvenes de ſanguine claro
Trojugenum, ferro mactatos, en vorat ignis
Tecum omnes. dare nanque vorandum non placet igni
Hectora, ſed canibus. ſaeva furiatus ab ira
Tales ille minas jactabat: nec tamen artus
Hectoreos tetigere canes. Venus aurea, magni
Nata Jovis, longe ipſa canes nocteſque dieſque
Arcebat; liquidoque virum perduxit olivo
Ambroſiis fragrante roſis; ne per ſola terrae
Aſpera Pelides poſſet lacerare trahendo.
Phoebus at obſcuram caelo demiſit ab alto
In campos nebulam, nigra & caligine texit
Nil aliud, praeter ſpatium quo exſangue cadaver
Stratum erat; igniferi ne Solis flammeus ardor
Siccaret nudoſque artus nervoſque jacenti.
Patrocli interea ſegni ſuccenſa nequibat
Igne pyra abſumi, in cineres & vertier atros.
Ergo aliud ſecum tacitus molitur Achilles.
Quippe rogo paullum ſeceſſit; flamina ſupplex

Homer. v. 194.

Et duo, Threïcium Boream Zephyrumque, vocabat,
Sacraque pollicitus, pateraque liquentia libans
Vina, iterumque iterumque obteſtans blandus, adeſſent
Confeſtim ut faciles, igni congeſtaque ſilva
Ut celeri arderet, gliſcens & flamma cremaret
Continuo poſitum ſuprema in parte cadaver.
Talibus orantem pernix e nubibus Iris
Audiit; atque tulit ventis pia vota duobus.
Illo forte die graviter ſpirantis in aede
Aëria Zephyri convivia laeta frequentes
Ducebant venti: celeres cum lapſa per auras
Venit, marmoreoque in limine conſtitit Iris.
Hanc ſimul atque oculis venti videre, relictis
Surrexere alacres dapibus, divamque vocabant
Ad ſe quiſque ultro. menſae conſidere at illa
Abnuit; ac roſeo ſtans haec tantum edidit ore.

Non vacat heic, venti, conſidere: quippe revertor
Oceani ad fluvium longe, ſedeſque remotas
Aethiopum; faciunt nam dîs ſolemnia ſacra;
Ipſa etiam in partem ut veniam: verum ocyus ire
Pelides orat Boream, Zephyrumque ſonorum;
Sacraque promittit, veſtro ſi munere gliſcat
Flamma rogi, poſitus jacet in quo ſcilicet olli
Patroclus, plorat quem nunc gens omnis Achivûm.

Haec effata, leves abiit dea lapſa per auras:
Illi autem magnoque ruunt ſtridore frementes,
Aëriaſque urgent nubes. jam caerula ponti
Alta ſuper flantes volitant, ſurguntque ſonori
Vi flatus undae ad caelum; jam litora Trojae
Prima tenent, vaſtoque pyram ſe murmure in ipſam
Intulerunt: ſtridunt flammae, furit aeſtus ad auras.

Hi flammam tota jactabant nocte furentem

v. 217.

Ingenti huc illuc fremitu : perſtabat Achilles
Nocte vigil tota ; cratere & moeſtus ab aureo
Vina cavo hauribat cyatho ; fundebat & uſque
Multa ſolo, terramque rigans, miſerique ſodalis
Dulcem voce vocans animam. pater, oſſa ſupremo
Igne urens nati, ut plorat, qui morte hymenaeos
Mutavit, merſitque ſuos moerore parentes:
Oſſa urens cari ſic tum plorabat amici
Pelides, juxtaque pyram reptabat, & altas
Rumpebat lacrimans ſera ſub nocte querelas.
Lucifer at poſtquam Solis praenuncius almi
Venit, quem crocea fulgens in veſte ſecuta
Aequoreas late fundit ſe Aurora per undas;
Languit igne rogus collapſo, & flamma quievit.
At Boreas, Zephyruſque abeunt, ſua tecta petentes,
Per mare Threïcium; vaſto quod murmure ſubter
Ingemuit, fluctuque fremens immane tumebat.
Tunc & Pelides paullum digreſſus ab igni
Procubuit; dulciſque viro languentia membra
Irrigat, ac toto fundit ſe corpore ſomnus.
Interea Atriden circa procerum manus ingens
Affluit. horum una gradientûm denſus Achillem
Excitat e ſomno ſtrepitus. ſeſe erigit ergo,
Hiſque ſedens viſos compellat vocibus ultro:
Atridae, atque alii primores gentis Achaeae,
Ante pyram affuſo mihi totam exſtinguite baccho,
Qua ſe cunque ignis fudit vis: deinde legamus
Oſſa Menoetiadae ſeorſum. internoſcere magnus
Nec labor: in media ſolus nam rite jacebat
Ille pyra: extremis congeſti in partibus una
Cornipedeſque virique ardebant. oſſa reperta,
Lectaque, moerentes phiala ponemus in aurea,

Atque adipe in duplici: donec mea fata ſub Orcum
Me quoque condiderint. nec magna mole ſepulcrum
Nunc fieri, at modicum quiddam, placet: edite in auras
Quod celſum, lateque ingens extendite, poſt me
Exſtinctum fuerit quicunque ſuperſtes, Achivi.
Sic ait: hi celeres Pelidae juſſa capeſſunt:
Purpureoque pyram primum exſtinxere lyaeo,
Qua vis flammae ierat. cinis altus corruit: illi
Oſſa legunt mitis ſocii candentia, flentes
Aurata & condunt phiala, pinguemque ſuperne
Atque inferne adipem ſternunt: tentoria in alta
Inde ferunt, niveoque tegunt velamine, lino
E tenui. poſt haec ſulcoque includere buſtum
Feſtinant, circaque pyram monſtrata ſepulcro
Fundamenta locant, collatoque aggere, ſtructo.
Et tumulo, redeunt. Coetum heic non paſſus Achilles
Diſſolvi; at populos tenuit, magnoque frequentes
In circo juſſit conſidere. puppibus ipſe
Continuo e celſis profert ingentia dona,
Victori pretium, tripodas, fulvoſque lebetas,
Et mulos, & equos, valida & cervice juvencos,
Captivaſque, aurumque, incani & robora ferri.
Principio rapidis praeſtantia munera ponit
Aurigis. primo captivam ducere forma
Inſignem, atque operum doctam; latumque, tumentemque,
Inſtructumque anſis tripodem. tum deinde ſecundo
Ponit equam, indomitae cui ſextus fluxerat annus,
Quaeque notham gravida prolem geſtabat in alvo.
Eximium ſtatuit dehinc, tertia dona, lebetem
Intactumque igni, niveo & candore nitentem.
Quarto auri ponit duo magna talenta; recentem
At phialam quinto duplicem. tum ſurgit, Achivûm

v. 270.

Et medius placido tales dat pectore voces:
‹ Atridae, Grajique omnes, Mavortia pubes,
Haec circo ſtant in viridi jam dona, manentque
Aurigas. alium ſi quem nunc propter Achivi
Certarent, ferrem celſa ad tentoria munus
Primum ego. nanque mei quam cunctos robore vincant
Scitis equi; leti expertes maris arbiter alti
Quos Peleo patri Neptunus tradidit, ille
Deinde mihi ſenio feſſus conceſſit habendos.
Ipſe tamen maneo, caeleſti & ſemine creti
Alipedes; moerent ſaeva qui morte perempto
Auriga miti atque bono, qui ſcilicet illis
Curabatque jubas oleo, puraque lavabat
Corpus aqua. haec propter lugent, terraeque profuſo
Crine, gemunt alto perfixi corda dolore.
Verum agite, & rapido vos laeti accingite curſu,
Quiſquis equis fidit levibus curruque volucri.
  Haec ubi ſic fatus Pelides, haud mora, ſurgunt
Aurigae. princeps, Admeti regia proles,
Eumelus celerum ſolers agitator equorum.
Poſt hunc magnanimi Diomedes inclyta Tydei
Proles oſtendit ſeſe, Phrygioſque ſonanti
Curru jungit equos, magno quos abſtulit heros
Aeneae, aſt ipſum leto ſubduxit Apollo.
Poſt hunc Atrides ſurgens flavus Menelaus
Sub juga cogit equos celeres Aethenque Podargumque,
Illam Agamemnoniam, proprium hunc. Aethen Echepolus
Olim Anchiſiades majori munus Atridae
Praebuit, Iliacas iret ne miles ad arces,
Segnis at in patria vitam oblectaret inertem
Sede manens. magnas dederat nam Jupiter olli
Divitias, laetuſque amplam Siciona colebat.

v. 299.

Hanc

Hanc junxit, rapido ardentem ſe immittere curſu.
Quartus equos parat Antilochus, Mavortia proles
Magnanimi Nelidae. olli currum duo ducunt
Cornipedes Pylii. cui tum pater adſtitit, & ſic
Sponte ſua doctum monuit, quod profore poſſet.
Antiloche, florentem aevo te Jupiter altus,
Neptunuſque pater magno dilexit amore,
Atque ambo docuere artes aſtuſque regendis
Curribus omnigenos. haec propter voce doceri
Nil opus eſt noſtra doctum ultro. flectere metas
Nam bene ſcis circa. ſed equi tibi currere non tam
Sunt, quam aliis, celeres. hoc ne obſit, gnate, timendum eſt.
Hi rapidos agitant bijugos, molirier ipſi
Plura tamen quam tu ſolerti mente nequibunt.
Ergo age, conſilia atque artes nunc injice menti
Omne genus; palmae ne ſpes te ludat inanis.
Arte faber melior, quam viribus; arte magiſter
Jactatam ventis puppim regit aequore in alto;
Arte bonus vincitque alios palmamque capeſſit
Auriga. eſt agili qui curru fretus equiſque,
Huc atque huc lato metam circumvolat orbe,
Nec bijugos retinet campo ſine more vagantes:
At ſapiens qui verſat equos auriga volucri
Non adeo curſu celeres, metam uſque tuetur,
Et gyrum flectit propior; nec tendere neſcit
Lora apte, intentuſque animi praeeuntibus inſtat,
Nunc metam, facile ut poſſis pernoſcere, dicam.
Aridus attollit ſe campo ſtipes in ulnam,
Aut piceae aut quercus, nullo & putreſcit ab imbri.
Hinc atque hinc lapides duo ſtant candore nivali,
Trita ubi ſe anguſtis arctat via faucibus: ampla
Circum planities curſu patet omnis in orbem:

v. 331. Seu

Seu priſci monumenta viri, ſeu meta priori
Haec fuerit ſaeclo: curſu nunc dius Achilles
Hoc ſtatuit ſignum poſtremo; proximus huc tu
Flecte rotas, bijugos juxta & compelle ſiniſtram
Acclinis paullum in partem curru ſuper: urge
Saevus equum interea dextrum clamore, volanti
Et manibus da lora: ſiniſter ſe magis uſque,
Atque magis metae admoveat ſic, axis ut ipſam
Praeteriens metam poſſit ſtrinxiſſe videri.
At ſaxum interea ne attingas, nate, caveto;
Ne laedantur equi, currus frangantur & ipſi,
Laetenturque alii, doleas tu irriſus ademptum
Omne decus: cladem hanc ſolers vitare memento.
Nam propior metae ſi praelabere, ſequentum
Non erit ut quiſquam te praevolet, aut tibi ſeſe
Par ferat; a tergo non ſi vel Ariona dium
Pellat, equum Adraſti, divino e ſemine cretum,
Vel quos Laomedon olim his nutrivit in oris
Eximios. Poſtquam ſic gnato ſingula Neſtor
Praecepit, viridi rediens conſedit in herba.
Quintus Meriones inſignes crine comanti
Egit equos. ſcandunt currus, curſuque parati
Conjiciunt ſortes, conjectas dius Achilles
Quaſſabat. ſors Neſtoridae prima exit in auras
Antilochi. dehinc Eumelo ſors obtigit: inde
Belligero Menelao: hunc fortis deinde ſecutus
Meriones. poſt hunc poſtremus prodiit, omnes
Optimus ante alios bello, Tydeïus heros.
Ergo alacres capiuntque locum, ſtantque ordine. plano
Tum longe in campo metas oſtendit Achilles;
Atque bonum appoſuit Phoenicem, qui comes olim,
Armiger & fuerat Peleo; juſſitque notare

v. 361. Cur-

Curſum oculis, memorique animo, quae geſta, referre.
Hi, ſigno audito, ſimul omnes ecce flagellum
Extollunt, flagriſque invadunt terga frementum
Alipedum, varioque inſtant clamore. carinas
Hi fugiunt curſu rapido, longeque patentes
Tranſmittunt campos celeri pede: pulvis ad auras
Subter pectoribus volat excitus, ille procellae
Aut nigrae ſimilis nebulae. quatit uſque volantum
Aura jubas: currus nunc terram tangit, in auram
Nunc vacuam fertur ſubſultans: corpore ſtantes
Aurigae prono pendent; trepidantque micanti
Corda ſinu palmae cupidis; blandique minaceſque
Exhortantur equos: illi Zephyrumque Notumque
Antevolant; fulvae ſe tollit nimbus arenae.
Poſtremo ſedenim curſus in fine, retrorſum
Cum ſeſe ad litus verterunt, quiſque valeret
Quid virtute ſua perſpectum eſt denique, equorum
Et fuga ſe intendit magis & magis uſque. volabant
Tum Pheretiadae prae cunctis, turbinis atri
Inſtar, equae. poſt has Trojani deinde feruntur
Tydidae Diomedis equi: nec longius abſunt,
Sed prope jam tangunt currum, ſcandentibus uſque
Aſſimiles. terga Eumeli latique calebant
Flatu humeri, capite inſtantes quem pone volabant.
Jamque virum vel praetereat prior ipſe, vel aequet,
Ambiguam & faciat laudem: ſed Phoebus Apollo
Iratuſque olli eſt ſubito, excuſſitque flagellum
E manibus. doluit Diomedes; atque tepentes
Ex oculis fudit lacrimas, fugiſſe volantes
Eumeli quod vidit equas: ſibi lentius ire
At bijugos, nullo & monitos languere flagello.
Tydiden ſedenim fallax qui laeſit Apollo

v. 388.

Frau.

Fraude mala, magnam haud latuit Tritonida, caro
Quae ſubito regi occurrens dedit ipſa flagellum;
Vique dea inſpirans complevit pectus equorum.
Dehinc adit Admeti natum, diffringit ahenum
Atque jugum ipſa manu miſero. fugere ſolutae
Cornipedes, temoque ſolo gravis incidit: ille,
Ante rotas curru excuſſus, cubitumque cruentat,
Oſque ſimul nareſque & frontem allidit; obortis
Complentur lacrimis oculi; vox faucibus haeret.
Tydides laxas dat praeter laetus habenas,
Et longe ante omnes victor volat, acre Minerva
Quando & equis robur facilis dedit, & decus ipſi.
Tydiden ſpatio ſequitur poſt deinde relicto
Atrides; hunc Antilochus; notaque paternos
Hortans voce monet bijugos: Incumbite; curſum
Nunc o, nunc celeres intendite. non ego equorum
Eſſe pares jubeo Tydidae, praebuit ipſa
Queis celerem Pallas vim praeſens, & decus olli
Eximium. Atridae bijugos pertingite, curſu
Haud paſſi vinci rapido; ne foemina vobis
Aethe ingens probrum offundat. cur, viribus omnes
Ante alios validi, languetis? ſic ego dico,
Sic & erit: non vos Neſtor, velut ante, benigne
Accipiet curans reduces: at ſaevus acuto
Mactabit ferro actutum, ſi forte remiſſo
Praemia nunc ſegnes animo pejora feramus.
Ite igitur, curſuque alacres celerate volucri.
Haec mihi erit curae interea molirier, aſtu
Tramite ut elabar (ratio nec fallet) in arcto.

Dixerat: hi, dominum veriti tam dura minantem,
Intendere acres non longo tempore curſum.
Continuo Antilocho viſa eſt via faucibus arctis,

Homer. v. 419.

Atque cavo non aequa ſinu, qua turbidus imber
Tellurem ingenti ſulco proſciderat, amplae
Atque viae partem rumpens, effoderat omnem
Amne locum hiberno. currum hac Menelaus agebat,
Concurſus celerum devitans ille rotarum.
Nec minus Antilochus flectitque ac devius urget
Alipedes, curſumque ſequax obliquat eodem.
Atrides timuitque, & clamans: Quo ruis, inquit,
Quo demens? currus inhibe: nimis arcta duobus
Eſt via. mox, expers ſpatio in majore pericli,
Praeterages: currus nunc curru impactus utrunque
Laeſerit evertens. Menelaus talia fruſtra
Dicta dabat. ſtimulat magis & magis ille volantes
Acer equos, vox nulla velut veniſſet ad aures.
Quam longus diſci jactus, quem torſit in auras
Vir valido experiens robur juvenile lacerto,
Tam longe Antilochi bijugi effugere: retrorſum
Traxit equos retinens Atrides. ſponte remiſit
Ille ſua curſum, metuens ne offenſus equorum
Mutuus & currus utrique everteret, ipſos
Sterneret excuſſos & foedo in pulvere, pulchrae
Dum nimium celerant ſuccenſi laudis amore.
Iſque adeo Antilochum tumido ſic increpat ore:
Antiloche, o hominum, quotquot ſunt, peſſime, dî te,
Ut meritus, perdant; falſo quem dicere Graji
Prudentem ſoliti. ſed certe praemia victor
Haud referes, fraudem ni ejures. talia fatus,
Hortatur bijugos alacri ſic voce morantes:
Ne mihi, ne ſegnes conſiſtite: cura dolentes
Ne teneat. genua ante illos defeſſa pedeſque
Deficient, quam vos. ambo illi namque juventae
Expertes, longum nec gnavi ferre laborem.

v. 445.

Dixe-

Dixerat: hi regem veriti ſugere volucri
Praecipites curſu, & Pyliis, mora nulla, propinquant
Rurſus equis, tergoque inſtant, juxtaque feruntur.
Interea Danai circo, ingens turba, ſedebant
In viridi, ac volucres ſublato in pulvere currus
Spectabant longe defixi lumina. primus
Idomeneus Cretum ductor caligine denſa
Offuſos agnovit equos, ut forte ſedebat
Turbam extra, terrae ſublimis in aggere. vocem
Ille hortantis equos vel longe agnovit amici
Ante alios, & equum vidit, cui, corpore toto
Spadici, mediam frontem macula alba notabat,
Luna velut, candens, omnique ex parte rotunda.
Ergo alacer ſubito exſiluit, laetuſque profatur:
O ſocii, Argivae gentis regeſque duceſque,
Solus equos cernens noſco? noviſtis an una
Vos quoque? certe alii bijuges, aliuſque videtur
Nunc auriga prior. medio ſunt, ut reor, illae
Paſſae aliquid campo, primae quae praepete curſu
Advenere illuc; quas circumflectere metam
Vidi equidem primas. oculis nunc omnia luſtrans
Haud uſquam video. miſerum fluitantia lora
Aurigam fugere, feros retinere jugales
Nec potuit, metamque rota vitare volucri,
Sicut opus. curru excuſſus, credo, excidit illic
Diffracto infelix, & equae in diverſa ſolutae
Diffugere, furor cum dirus pectora cepit.
State, aciem arrecti contendite vos quoque: non ſat
Diſpicio ipſe quidem: aſt, alios qui nunc volat ante
Omnes, Aetolus vir gente videtur & Argis
Regna tenens, Tydei proles, fortis Diomedes.
Haec ſantem increpuit celer Ajax natus Oileo:

Idomeneu , properas cur fari haud nota ? patentem
Illae at equae longe campum volucri pede tranant.
Nec tanto in Danais natu es minor omnibus ; acres
Nec tibi , quae Danaûm nemo videt , ex capite uni
Proſpiciunt oculi : ſed ſtultus inania garris ,
Uſque loquax , contra quam te decet , heic ubi multi
Sunt alii , qui te regnoque & robore vincunt .
Eumeli Pheretiadae nam , quae prius , & nunc
Ante feruntur equae , lora & victor tenet ille .
Idomeneus contra objurgans : Nugator , Achivum
Optime rixari & maledicere , caetera nullo
Non pejor , ſaevuſque animis & moribus aſper,
En age vel tripodem , vel , ſi vis forte , lebetem
Ponamus ; litemque ut judicet , eſto Agamemnon
Arbiter ambobus , videatque & dicat equorum
Utri utros praeeant , damno ut rem denique noſcas
Ipſe tuo . haec fudit Cretum rex percitus ira .
At celer exſiluit rurſum Ajax , aſpera verbis
Verba parans contra : lis & magis ac magis atrox
Gliſceret ; at ſurgens Pelides talia fatur :
Parcite , nec ſaevis ultra contendite verbis ,
Ajax , Idomeneu : non vos decet ; at foret aequum
Iraſci , ſi forte alius quis talia peccet .
Verum ambo in circo taciti conſidite , equorum
Et curſum ſpectate . ipſi huc ad praemia greſſu
Feſtino venient ; cunctis & noſſe licebit
Argivis , quiſnam ſit primus , quiſve ſecundus .
Sic ait : at ſpatio ſeſe propiore ferebat
Tydides urgens bijugos ac terga flagello
Uſque gravi pulſans . curſu pernice volabant
Alipedes , alteque elato corpore campum
Carpebant agiles ; ſublatus pectora pulvis

v. 502.

Au-

Aurigae petit uſque ; auro ſtannoque coruſcans
Currus equos raptim ſequitur ; vix preſſa rotarum
In tenui linquit veſtigia canthus arena.
Tum circo ſtetit in medio, (manabat ab alta
Sudor equis cervice, amploque a pectore, ſpargens
Multus humum) curruque e pulchro deſilit heros
Ad terram, atque jugo fulgenti accline flagellum
Deponit: Sthenelus nec fortis multa moratur;
Verum alacer pugnae pretium capit, atque puellam
Ducere, & auratum tripodem dat ferre vocatis
Continuo ſociis ; curru celer ipſe calentes
Solvit equos, vincliſque levat fumantia colla.
Poſt hunc Antilochus Nelides acer agebat
Cornipedes, flavum vaſro praegreſſus Atriden
Aſtu, non celeri curru: Menelaus adurget
Quem tamen, atque viro magis & magis uſque propinquat.
Quam parvo diſtat ſpatio volventis ab aereo
Orbe rotae ſonipes, rectorem qui vehit, acri
Contendens alacer niſu, currumque ſonantem:
(Nanque extrema pilo contingit cauda comante
Huic canthum, juxta qui volvitur, atque puſillo
Tractu abſtat, pernix campo dum currit aperto)
Tam prope Neliden fertur Menelaus, & urget
Uſque virum ; ille prius longe poſt terga relictus,
Quanto per vacuum tractu volat aëra diſcus;
Antilochum at juxta venit cito, pulchra comantis
Aethes dum curſu gliſcit vis auctior ipſo.
Quin, ſpatium ſi majus adhuc reſtaret utrique,
Ambiguum nedum linquat, ſed provolet ante.
Meriones, magni fidus comes Idomeneos,
Atriden ſequitur longe, quantum levis haſta
Miſſa volat ; quod equos ſegnes magis omnibus egit ;

v. 530. Cer-

Certare & curru norat minus omnibus ipſe.
Extremus pulchros moerenti corde trahebat
Filius Admeti currus; curruque revinctas
Rurſus equas, aegre pellebat. dius Achilles
Quem miſerans viſum, in mediis haec ſatur Achivis:
  Poſtremus redit hic longe optimus. ergo ſecundum,
Ut par eſt, olli tribuamus munus Achivi:
Prima ſibi victor Tydeïus auferat heros.
  Sic ait: hi laeto dictum clamore probarunt.
Munus equam Eumelo ſed ne daret, obſtitit acer
Antilochus, clamans laedi ſua jura, fidemque
Polliciti: magnum qui ſic affatur Achillem:
  Iſtud ſi facies, tibi certe iraſcar, Achille.
Donum adimis mihi nempe meum, quod laeſerit olli
Fors currus & equas celeres fortique bonoque.
Debuerat magnos at rite in vota vocare
Ille deos; non tunc extremus nanque rediſſet.
Quod ſi te miſeret, ſi fert ita corde voluntas,
Eſt auri tibi multa intra tentoria & aeris
Copia, ſunt pecudes, famulaeque, armentaque equorum.
Horum aliquid tollens, olli da poſtmodo munus,
Continuo vel nunc, coram ut lauderis Achivis.
Hanc ego equam haud ulli dedero: mecum illius ergo,
Si quis vult, ſumptis pugnet licet ocyus armis.
  Sic ait: arriſit, gaviſus mente, ſodali
Pelides caro ante alios; dehinc talia fatur:
  Antiloche, Eumelo munus me promere quando
Vis aliud; promam, tibi nec parere negabo.
Munus erit thorax, quem magnanimo Aſteropaeo
Detraxi aere gravem ſolido, cui fulgida ſtanno
Candenti vario flexu circum nitet ora,
Mirum opus, & magni quod, credo, fecerit heros.

v. 562.   Dixe-

Digitized by Google

Dixerat ; & fidum jubet ocyus Automedonta
Ire , & loricam penetrali e ſede nitentem
Ferre . citus volat ille ; atque aerea texta reverſus
Eumelo in manibus poſuit , quae pectore laeto
Accepit juvenis , duri ſolatia caſus .
Heic Grajûm in medio ſurgit Menelaus , acerbo
Ille dolens animo , flagranti & fervidus ira
Neliden contra Antilochum . regale paranti
Dicere tum praeco ſceptrum dedit ; atque loquentis
Verba audire omnes , ac voci parcere juſſit .
Heros dehinc tales prompſit de pectore voces :
Antiloche , o prudens dudum & cordate , repente
Nunc alius , quidnam patraſti ? meque pudore
Indecorem afficiens , & equos mihi fraude volucres
Impediens curſu in medio , pejoribus actis
Ante tuis ; victor non tu virtute , ſed aſtu ?
Verum agite , Argivûm quotquot regeſque duceſque ,
Aequum heic ambobus jus dicite ; gratia neutri
Proſit ; ne Grajûm quis dicat : vicit Atrides
Antilochum vana fingens mendacia lingua ,
Et ſibi equam ducens abiit ; non curribus , at vi
Atque opibus melior magnis : vel , ſi placet , aequum
Ipſe ego jus dicam , quiſquam reprehendere Grajûm
Quod merito nequeat ; quo nil pote rectius eſſe .
Huc ades , Antiloche , atque manu , quo nuper agebas
Laetus equos , ſtans pro curru ſuſtolle flagellum ;
Tange & equos , jura & Neptuno teſte , volentem
Non tenuiſſe meos vaſro molimine currus .
Antilochus contra prudens cui talia fatur :
Parce irae : multo mihi nanque infirmior aetas ,
Quam tibi , rex Menelaë . prior tu ſcilicet aevo es ,
Et melior . juvenum ſcis ut mens devia recto

v. 589.

Sae-

Saepe abeat calle, in praeceps ut ſaepe feratur,
Conſilio tenuiſque ac futilis. ergo, quod actum,
Fer patiens: at equam tibi ſum nunc ipſe daturus
Sponte mea, curſu quam cepi. quin, tibi poſcas
Rerum aliud ſi quid, quae ſunt mihi cunque, libenti
Cuncta animo dederim potius, quam tempus in omne
Exciderim, rex, corde tibi, magniſque ſceleſtus
Diſpliceam divis. Dehinc, fatus talia, pulchram
Duxit equam, tradens Menelao. protinus illi
Mens riſit. ceu laeta ſeges horrentibus arvis
Ros ubi creſcentes perfudit multus ariſtas:
Sic tibi mens riſit gaudens, Menelae, ſub alto
Pectore. Tum juveni dictis haec fatur amicis.
  Ultro equidem tibi nunc cedam, Nelida, vel ira
Incenſus. nec enim certe levis eſſe ſolebas
Ante hac ventoſuſque animi; nunc ſtulta juventa
Incauto vicit mentem. non nectere fraudem
Majori, meliuſque & cautius. alter Achivûm
Nec quiſquam e facili me nunc flexiſſet: at ipſe
Me propter paſſus multa es; duroſque tuliſtis,
Tuque, paterque tuus pro me, fraterque labores.
Idcirco & precibus flectar; curruque volucri
Quam merui, tibi equam donabo; ſentiat omnis
Ut Danaûm pubes, non me ſaevo atque ſuperbo
Eſſe animo. Haec fatus dedit ipſe Noëmoni pulchram
Ducere equam, Antilochi ſocio: ſibi tertia dona
Accepit, multo clarum fulgore lebetem.
Meriones auri quartus duo magna talenta
Abſtulit, ad palmam quo venerat ordine. quintum
Reſtabat munus, phiala ingens: parte ab utraque
Hanc habilem donat Pelides Neſtori Achivûm
Conſeſſu in medio portans, & conſtitit ultro

v. 616. An-

Ante ſenem, ac tales expromit pectore voces:
Sume, pater, ſervaque domi quod tempus in omne
Te Patrocli admoneat, donum ferale, ſepulti;
Quem raptum heu nuſquam, velut ante, videre licebit
In Danais. munus do gratis. nam neque caeſtu,
Nec lucta, aut jaculo certabis, nec pede curres
Impiger: urget enim tibi triſtis membra ſenectus.
Sic ait; inque manus tradit: laetatus at ille
Accepitque datum, dulcique haec ore profatur:
Vera iſtaec, venerande puer, quaecunque locutus.
Non mihi firmi artus, non pes, non brachia utroque
Ex humero, atque manus agiles, o amice, moventur.
Atque utinam nunc membra, aevo florente, vigerem!
Qualis eram, tumulo intulerunt Amaryncea Epei,
Bupraſio in magno, quo regem tempore; gnati
Et regis poſuere viris certamina. nemo
Par mihi vel ſimilis venit; non gentis Epeae
Quiſquam, non Pylius, non, quos Aetolia miſit,
Praeſtantum quiſquam juvenum. nam caeſtibus audax
Enopiden vici Clytomedea, deinde profectum
Pleurone Ancaeum lucta; rapidiſque praeivi
Iphiclum pedibus celerem; tum Phylea miſſa
Et Polydorum haſta. duo me vicere ſed unum
Actoridae curru. qui, ne pulcherrima ferrem
Victor, quae curſu reſtabant praemia equeſtri,
Conſcendere axem gemini; tractabat & alter
Lora, alter bijugis caedebat terga flagello.
Talis eram: juvenes at nunc juvenilia tractent;
Ipſe, olim heroum in numero qui clarus habebar,
Jam triſti enervis cogor parere ſenectae.
Verum age, quae reſtant, indic certamina, totum
Funeris & munus caro perſolve ſodali.

Homer. v. 645.

Hoc mihi ego accipioque lubens, & laetor amantem
Quod redamas, memor uſque mei, nec te latet, inter
Grajugenas quanto Neſtor ſit dignus honore.
Haec propter tibi dî faciles dent omnia, quae vis.
  Sic ait: ille, ſenis laudem poſtquam audiit omnem,
Rurſus abit, Grajûm ingrediens ante ora frequentum;
Ac triſtis pugnae, ſi quis decernere duro
Forte velit caeſtu, duo ponit praemia. mulam
Sexennem, longos aptam durare labores,
Indomitam ſed adhuc, multa & vix arte domandam,
Ipſe manu adductam ſtatuit, circoque revinxit
In medio, pretium victori. deinde rotundo
Orbe cavum ponit calicem, ſolatia victo.
Tum medios inter ſtans haec effatur Achivos:
  Atridae, Grajique omnes, Mavortia pubes,
Horum ergo duram nunc caeſtu invadere pugnam
Praeſtantes virtute duos, atque arte jubemus.
Annuerit Phoebus cui laudem, & victor Achaeo
Agnitus a coetu fuerit, ſibi laetus ad altas
Hanc agito naves mulam, validamque, laborem
Et quae ferre queat longum. qui victus abibit,
Hunc referet callcem duri ſolatia caſus.
  Dixerat. aſt acerque animis, & corpore vaſto
Ingens, immani caeſtu & pugnare peritus,
Continuo, proles Panopeïa, ſurgit Epeus;
Injecitque manum mulae; dehinc talia fatur.
  Huc veniat, calicem qui vult ſibi tollere: mulam
Non etenim, credo, quiſquam hinc ſibi ducet Achivûm,
Me victo, caeſtu qui glorior optimus eſſe.
Non ſatis, inferior quod ſum, Mavortia quando
Praelia miſcemus? cunctis excellere eidem
Non licet in rebus, nuſquam nec ferre ſecundas.

v. 671.

Quip.

Quippe hoc edico, re quod praeſtabitur ipſa:
Diſcindamque artus feriens, atque intima frangam
Oſſa. adſint propius, queis cura eſt cunque, ſodales;
Ocyus atque meis properent efferre ſubactum
Hinc manibus. tales jactabat pectore voces,
Dira minans. Graji circum obſtupuere ſilentes;
Nec quiſquam contra ſe tanto ex agmine tollit,
Euryalum praeter, Talaionides Meciſteus
Quem genuit ſimilem praeſtanti corpore divis;
Meciſteus Talaionides, qui ſe tulit olim
Oedipodae ad funus Thebas, proſtravit & omnes
Cadmeos, quicunque auſi confligere caeſtu.
Hunc ſtudio ingenti curabat maximus armis
Tydides, acuens dictis; corpuſque revinxit
Campeſtri medium velans, dehinc taurea lora
Induxit manibus. Jam, pugnae accinctus uterque,
Procedunt circum in medium, validoſque lacertos,
Brachiaque extollunt pariter, pugnamque furentes
Invadunt, miſcentque manus. ſub vulnere malae
Horrendum crepitant; magnis fluit undique ſudor
Artubus exundans. ſubito cum dius Epeus
Irruit, Euryali &, trepidus dum lumina volvit,
Veſtigatque oculis feriat qua parte, ſonore
Perculit ingenti malam: nec tempore longo
Ille ſtetit; planxit collapſo at corpore terram.
Turbidus ut Boreas valido cum flamine pontum
Horrificans, piſcem ſubito projecit in actam,
Inde iterum algoſo tegit idem ab litore ſorbens:
Sic plagaque virum dejecit, rurſus & idem
Magnanimus dextra dejectum attollit Epeus.
Aſt olli fidi adſtiterunt hinc inde ſodales,
Confeſſu & medio ducunt; aegroſque trahentem

Pone pedes, caput & jactantem, atque ore cruorem
Craſſum ejectantem, confuſum & mente ſuique
Ignarum denſi exportant; calicemque reverſi
Accipiunt, triſti moerentes corde, relictum.
  Tertia tum Danais certamina ponit Achilles,
Et pulchra oſtendit praedurae praemia luctae.
Igni aptum tripodem victori, amploque locavit
Ventre, boves pretio bis ſex qui poſſe mereri
Eſt viſus Grajis: at victo ſerva locata eſt
In medio mulier, multorum docta Minervae
Illa operum, pretio bubus par viſa quaternis.
Tum coetu in Danaûm ſtetit heros, atque ita fatur:
  Surgite, & hoc conferte gravem de mnnere luctam.
Haec ait. exſurgunt ingens Telamonius Ajax,
Ac rerum ſapiens, fraudum & conſultus Ulyſſes
Praecinctique ambo, ante oculos, atque ora virorum
Procedunt circum in medium, validiſque viciſſim
Implicuere artus manibus, vinxitque virum vir:
Hinc atque hinc arrecta duo ceu tigna domorum,
Quae faber aptavit ventorum flamina contra.
Terga, crepant firmis amborum attracta lacertis;
Humidus ad terram ſudor fluit; atque rubentes
Apparent paſſim vibices per latera ampla,
Perque humeros: inſtant longo certamine anheli,
Quis tripodem referat, primos & victor honores.
Non Laërtiades magnum ſubvertere quibat
Ajacem: contra obnixum non ſternere Ulyſſem
Vi Telamoniades ulla duroque labore.
Inde, ubi ſpectantes ceperunt taedia Grajos,
Sic Ithacum prior alloquitur Telamonius Ajax:
  Progenies divum, ſolerti pectore, Ulyſſe,
En age ſublimem vel tu me tolle, vel alte

v. 724. Tol-

Tollam ego te ; dederit quem finem cunque ſupremus
Jupiter alterutri ; cui coeptum cunque ſecundet.
  Sic ait ; ac terra ſublimem attollit : at artes
Atque dolum ſolers non eſt oblitus Ulyſſes ;
Poplitis & flexum percuſſit pone : ſupinus
Ille, genu, cecidit confeſtim in terga, ſoluto :
Aſt Laërtiades olli ſuper incidit amplum
In pectus : populos circum ſtupor altus habebat,
Spectaclo attonitos ingenti, ac denſa frementes.
Inde iterum recti ſteterunt ; magnumque viciſſim
Ajacem Laërtiades tollebat : at alte
Tollere conatus fruſtra., vix denique terra
Dimovit paullum ; atque genu ſubſedit ; & ambo
Tellurem planxere una, & jacuere propinqui,
Strataque foedabant ſimul atro in pulvere membra.
Tertia quin etiam inſtaurent certamina rurſus
Erecti : ſedenim conſurgens dius Achilles
Continuit cupidos ; placidoque haec pectore fatur :
  Parcite jam ; durum nec fruſtra urgete laborem ;
Victor uterque, pari donati munere, abite ;
Ut jam alii certent aliud certamen Achivi.
Sic ait : illi ambo parentque, & pulvere foedos
Abſtergunt ſumptiſque involvunt veſtibus artus.
  Pelides curſu confeſtim dona pedeſtri
Collocat ante oculos, magnum cratera nitenti
Perfectum argento, forma quo pulchrius uſquam
Nil erat. eximia caelarant Sidones arte
Mirum opus : hinc vectum Phoenices trans vada ponti,
Et portu in Lemni expoſitum, regale Thoanti
Obtulerant munus ; tum deinde, Lycaone capto
Priamida, pretium juvenis dedit eſſe redempti
Patroclo heroi Iaſonides Euneus.

v. 747.

Hunc

Hunc quoque Pelides, dum ſolvit juſta ſodali,
Conſtituit circo in magno, memorabile donum
Primo, qui celeri fugiens pede praevolet omnes.
Ingentem taurum poſuit multaque ſecundo
Victori praepinguem adipe, extremoque talentum
Auri dimidium. tum ſic ſtans ore profatur:
Surgite, queis cordi eſt certando haec dona referre.
Sic ait Aeacides. Ajax tum ſurgit Oilei,
Et prudens Laërtiades, & Neſtore natus
Antilochus, juvenum ante alios pernicior omnes.
Nulla mora eſt; cepere locum, ſtantque ordine. Achilles
Dehinc metam oſtendit: vento ſimul ocyus illi
Corripiunt ſpatium, primoque ab limite longe
Praecipites fugere. ante omnes concitus Ajax
Emicuit. ſequitur confeſtim dius Ulyſſes
Tergo inſtans, propiorque viam ſecat alite planta.
Quam prope habet radium textrix operata Minervae,
Inter longa manu tranſverſum ſtamina ducens
Subtemen; ſolers nec pectore dimovet unquam:
Tam prope ſeſe Ithacus curſu fert uſque volucri,
Atque viri, poſitis pedibus, veſtigia pulſat,
Ante, levis quam ſe fundat circum aëre pulvis.
Nec mora, nec requies; afflat caput acer & udae
Cervici Laërtiades incumbit, anhelam
Ore animam adſpirans. magno clamore ſequentem
Inſtigant; palmaeque avidum, plauſuque ſecundo,
Vocibus & laetis omnes hortantur Achivi.
Jamque adeo extremo in ſpatio, jam fine ſub ipſo
Currebant: ſubito ſatus at Laërte vocavit
Sub tacita ſecum, nec fruſtra, mente Minervam:
Audi, & opem pedibus facili fer numine, diva.
Haec ait: orantem caelo Tritonia Pallas

Audiit; atque habilem fudit per membra vigorem,
Ipſa levans ſubterque pedes, palmaſque ſuperne.
Ac, prope confecto dum curſu praemia uterque
Involat, ecce Ajax, magna impellente Minerva,
Labitur, inque fimum taurorum, dius Achilles
Quos modo mactarat Patrocli ad funera, pronus
Concidit, ac nares infelix oraque turpat.
Ergo abit, & pulchrum craterem tollit Ulyſſes:
Poſterior taurum ſibi moerens accipit Ajax.
Quem cornu arreptum dextra tenet, atque ita fatur;
Ore fimum poſtquam multo expuit haud ſine riſu;
Pro ſuperi! dea magna pedes mihi laeſit, Ulyſſem
Quae juvat, atque viro propior ſtat, ceu bona mater.
Haec ait: ingenti ſonuerunt cuncta cachinno.
Tertia Neſtorides cepit ſibi dona, virorum
Et medio in coetu ſubridens talibus infit:
Dicam equidem, ſocii, quae vobis nota: deorum
Cura viros natu majores auctat honore.
Ajax nam paullo eſt aevo me grandior: iſte
Natus at eſt aetate alia ſecloque parentum;
Cui tamen eſſe ajunt viridem crudamque ſenectam,
Ut pedibus nullum non vincat, praeter Achillem.
Sic ait Antilochus, celerem & laudavit Achillem.
Pelides contra: Non iſthaec irrita, dixit,
Laus erit, Antiloche: integrum, pro parte, talentum
Auri nanque feres. Haec dicens, munus adauctum
In manibus poſuit: laeta mente ille recepit.
Poſt haec Aeacides praelongam collocat haſtam,
Ipſe ferens, circo in medio, clypeumque nitentem
Et galeam, queis Patroclus Sarpedona dium
Exuerat: ſtans in mediis dehinc talia fatur:
Haec ut dona ferant ſibi nunc virtute, jubemus

v. 802.

Reges Marte duo praeſtantes cingier armis,
Vulnificumque manu adverſos attollere ferrum
Heic Grajûm ante oculos. tum, qui prior aerea texta
Pervadet, ſummum deguſtans cuſpide corpus
Sic, eat ut ſanguis, proprium ſibi munus habebit
Threïcium hunc enſem; multo quem pulchra nitentem
Argento cepi, victi ſpolium Aſteropaei:
Aſt haec arma ferant ambo communia; & ambos
Accipiam dapibus intra tentoria opimis.
  Hae ubi dicta, ingens ſurgit Telamonius Ajax,
Et proles Tidei ſurgit fortis Diomedes.
Hi, ſimul atque artus ferro incluſere coruſco
Secreti a turba diverſa in parte, theatro
Intulerunt ſeſe medio, tentare periclum
Ardentes, torvumque tuentes. at ſtupor omnes
Spectaclo ingenti attonitos defixit Achivos.
Atque illi, ut propius venerunt, mutua ter ſunt
Congreſſi, ter ſe petierunt cominus haſtis.
Tunc Ajax clypeum fulgenti ex aere rotundum
Perfodit: ſedenim corpus contingere ferro
Haud valuit; medius nam thorax obſtitit haſtae.
At, ſcutum ſupra craſſam Tydeius heros
Cuſpide cervicem tentabat figere acuta,
Uſque obiens lambenſque haſta. tum vulgus Achaeum
Omne, bono metuens Ajaci, parcere pugnae
Juſſit, & aequa ducem ſibi praemia tollere utrumque:
At pulchrum Tydidae enſem donavit Achilles,
Vagina incluſum, loro & fulgente revinctum.
  Inde rudem ſtatuit veſano pondere diſcum,
Eetion valido quondam jactare lacerto
Quem ſolitus: regem ſed laeto ſtravit Achilles,
Cumque alia curvis avexit puppibus orbem

v. 829.

Hunc

Hunc etiam immanem gaza. quem rite locavit
Ante oculos: Grajûmque acuit ſic pectora dictis:
  Surgite; & hoc aliquis certet de munere. quiſquis
Nam tulerit; quamvis ingentia devius arva
Poſſideat; vel quinque habeat volventibus annis,
Quod ſat erit, ne ferri unquam cogatur arator
Indigus, aut paſtor campis diſcedere ad urbem.
  Sic ait. exſurgunt bello clarus Polypoetes,
Et Telamoniades Ajax, magnumque Leontei
Robur, & immiti caeſtu modo victor Epeus.
Utque pari ſpatio ſteterunt ex ordine, Epeus
Suſtulit atque rotans projecit in aëra diſcum.
Poſt hunc fulmineo prognatus Marte Leonteus.
Tertius inde manu valida Telamonius Ajax
Contorſit, finemque amborum propulit ultra.
Magnum ubi ſed fortis diſcum cepit Polypoetes;
Aura quam longe baculum ſtridente bubulcus
Projicit; armentum ſupra volat ille rotatus:
Tam longe omne ultra ſpatium projecit. Achivûm
Clamore, & magno ſonuerunt omnia plauſu.
Conſurgunt alacres ſocii fortis Polypoetae,
Ac laeti regale ferunt ad litora munus.
  Tum, qui forte velint miſſa certare ſagitta,
Bis quinas poſuit ferro nigrante bipennes,
Dimidias totidem forma breviore ſecures.
Inde procul malum fulva defixit arena,
Et pavidam tenui ſuſpendit fune columbam,
Tendere quo juſſit ferrum. qui fixerit acto
Primus avem calamo, cunctas ſibi ferre bipennes;
Attigerit quod ſi miſſo quis vincula ferro
Laude minor, ſibi dimidias hunc ferre ſecures.
  Haec ubi ſic fatus, Teucer bonus, Idomeneos

Homer. v. 860.

Et famulus magno Grajûm ſe murmure tollunt.
Nulla mora eſt, geminas aerata in caſſide ſortes
Concuſſere: prior Teucro locus exiit: ille
Ocyus adducto telum vi miſit ab arcu;
Nec grege de intacto vovit ſolemnia Phoebo
Munera, primitias agnorum. rite ſagitta
Ergo ipſam haud potuit (laudem hanc invidit Apollo)
Figere avem: fixit, queis nexa volabat, ad ipſum
Linea vincla pedem, ferroque abrupit acuto.
Illa levis fugit ſuperas exterrita in auras:
Vincla infra cecidere ſolo delapſa: virorum
Laetifico circum ſonuerunt litora plauſu.
Meriones Teucri e manibus capit ocyus arcum,
Et calamum celer imponit, quem jam ante pararat;
Dehinc grege de intacto vovit ſolemnia Phoebo
Munera, primitias agnorum; &, nube ſub alta
Ut ſeſe curvos flectentem vidit in orbes,
Stridentique petit calamo, mediamque ſub ala
Figit avem; rapido telum quam trajicit ictu,
Et redit, atque pedes lapſum defigitur ante
Merionae, terra in viridi. trajecta columba
Inſedit malo rurſus; tum languida collum
Demiſit: fluxere alae, membriſque ſoluta
Fugit vita levis: malo at delapſa volucris
Subter planxit humum: Graji obſtupuere tuentes.
Meriones denas victor tulit ergo bipennes:
At parvas Teucer, non laeta mente, ſecures.
Haſtam dehinc longam ſtatuit, pulchrumque lebetem
In medio Aeacides, intactumque igne, mereri
Atque bovem pretio qui poſſet. nec mora, ſurgunt,
Ambo haſtam jactare boni, regnator Achivûm
Atrides, magni & comes impiger Idomeneos

v. 888. Me-

Meriones. quibus exſurgens haec fatur Achilles:
Atride, ſcimus valido quam robore, & haſtae
Miſſu omnes vincas. quare hoc tibi munus habeto,
Victor & i celſas ad puppes: demus at haſtam
Merionae heroi, tibi ſi placet, optime regum.
Talia Pelides: hortanti paruit ille.
Meriones haſtam bonus abſtulit: aſt Agamemnon
Talthybio pulchrum ad naves dat ferre lebetem.

Digitized by Google

HOMERI ILIADOS

LIBER VICESIM. QUARTUS.

UT coetum ſolvere, ſuas & quiſque carinas
Digreſſi petiere; alii ſtruxere paratis
Coenam epulis, dulci optantes languentia ſomno
Membra dare: at ſolus fletu indulgebat Achilles,
Uſque memor ſocii dulcis; nec lumina regi
Condit, qui rerum late domat omnia, ſomnus:
Sed verſat ſeſe huc atque huc vigil; imaque fervet
Mens deſiderio Patrocli; vimque, animoſque
Ingentes, rerumque ſimul quae plurima geſſit,
Quoſque ſimul paſſus conſtanti mente labores,
Bellaque, & emenſi tot ſaeva pericula ponti,
Cuncta miſer tacito verſat ſub pectore; fletu
Et madet; &, nuſquam conſiſtens, ſaepe ſiniſtrum
Saepe latus jacet in dextrum, pronuſque, ſupinuſque.
Interdum ſtrato exſurgit, moeſtuſque vagatur
Fluctiſonum praeter litus. nec caerula ſupra
Stagna maris ſeſe attollens Aurora latebat
Inſomnem: curru ſed poſtquam junxerat alto
Cornipedes, retro Hectoreum vincire ſolebat
Raptandum foede corpus: tum deinde, ſodalis
Poſtquam ter circa tumulum raptaverat, alta
Ingreſſus rurſum tentoria, membra quieti
Feſſa dabat: prono porrectum at pectore in atro
Pulvere Priamiden linquebat. Phoebus Apollo
Quem tamen haud ulla foedari ſorde ſinebat,
Ille vel exanimum miſerans; atque aegide circum

v. 20.

Ipſe

Ipſe tegens totum aurata ; ne ſaxa decorum,
Dum raptim trahitur, lacerarent aſpera corpus.
Hectoreum ſic ille, ira gliſcente, cadaver
Dedecorat. patris quod clara ex aede frequentes
Caelicolae viſum miſerati, hortarier acrem
Majugenam cepere, cato ſubduceret illinc
Ut furto avectum. mens omnibus una deorum
Haec aliis: obſtat ſedenim Saturnia Juno,
Neptunuſque pater, virgo & Tritonia. Trojam,
Et Priamum, & Priami gentem gravis utraque diva
Oderat, inviſam, malus olim laeſerat ambas
Quod Paris, & ſpretas damnarat; ſede relicta
Cum ſuperûm ad juvenis caulas venere; duabus
Praetulit ille deam, quae menti objecit amores
Foemineos, triſtique uſſit praecordia flamma.
Dehinc lucem duodena polo quando extulit almam
Aurora, in coetu divûm ſic fatur Apollo:
  Dura nimis, ſuperi, vobis atque effera mens eſt.
Non pingues Hector tauros, lectaſque bidentes,
Caprigenumque pecus veſtris adolevit in aris?
Quem non vel caſſum vita ſervare, ſuaeque
Uxori, & gnato vultis, miſeraeque parenti,
Et Priamo patri, cupidis & reddere Teucris;
Ut corpuſque urant, & ſolvant juſta perempto:
Uſquè ſed (indignum) juvat indulgere cruento
Aeacidae, cui nil rectae ſub pectore & aequae
Mentis ineſt; animus cui trux, & neſcius uſquam
Inflecti. agreſtis veluti leo nil niſi ſaevum
Corde agitat, vique exultans, animiſque ſuperbis,
Paſtorum ruit in caulas, objectaque tentat
Saepta ovium, explerique epulo feſtinat opimo:
Sic ferus eſt, animum ſic mitem abjecit Achilles;

v. 45. Nec

Nec pravi rective ullus veſana remordet
Corda pudor . Jam ſaepe aliquis mage dulce ſodali
Morte caput raptum luxit, fratremve parente
Cretum una, aut gnatum : ſed fletu expletus amaro
Impoſuit finem lacrimis, luctumque remiſit.
Quippe mali eſt patiens animus mortalibus aegris.
Hic contra furit uſque, & caſſum lumine bigis
Priamiden raptat dilecti ad buſta ſodalis:
Demens ! nec famam curat, nec triſte veretur
Exitium capiti, ſi nobis moverit iram
Quantumvis bello fortis, qui corpus inane,
Ac terram vexat vita ſenſuque carentem.
  Haec Phoebus : contra Juno Saturnia : Quid ni,
Arcitenens, faciant dî, quae vis, Hector honore
Judicio divûm ſi magno aequatur Achilli ?
Hectora lactavit mulier mortalis ; Achilles
Natus matre dea eſt ; quam ſcilicet ipſa ego quondam
Nutrivi educens, & ſacri foedere divam
Conjugii junxi Peleo, dîs omnibus unus
Prae cunctis qui carus erat mortalibus . illis
Defuit haud quiſquam divûm de gente hymenaeis ;
Tuque etiam citharam geſtans conviva ſedebas,
Nulli fide unquam, fautorque comeſque malorum.
  Sic Juno : altitonans contra ſic Jupiter infit :
Parce deis, Juno, iraſci. non Hectora dium
Pelidenque uno ſuperi dignamur honore.
Caelicolis inter Teucros at carior omnes
Hector erat ; carus mihi certe : dona ferebat
Semper enim praeclara ; ullo nec tempore egebat
Ara mihi dapibus pingui & nidore, liquentis
Nec large fuſo Bacchi libamine ; ſolus
Hic quando ſuperis honor eſt. ſed tollere corpus

v. 71.

Vel-

Digitized by Google

Velle viri furto parcamus (poſſit Achille
Haud etenim ignaro tolli) cui caerula mater
Semper adeſt cuncta obſervans noctesque dieſque.
Sed Thetin huc divûm ſi quis vocet; ipſe ego nympham
Alloquar ut coram, & jubeam regalia dona
Ut Priami accipiat, nec reddere corpus Achilles
Abnuat Hectoreum. Sic fatus Jupiter: Iris
Confeſtim ſurgit ſtridentibus ocyor auris,
Inter & horrentem praeruptis ſaltubus Imbrum
Atque Samum ſeſe nigrum dejecit in aequor.
Unda gravi gemuit caſu: ſubit illa profundum,
Ut pila cornu haerens, pontum quae fertur ad imum,
Plumbea, mortem avidis ut portet piſcibus. illic
Adveniens Thetin eſt ingenti nacta ſub antro;
Quam nymphae circum aequoreae de more ſedebant.
Illa, ſui fatum gnati plorabat, obortis
Uda genas lacrimis; magnis virtutibus omnes
Vincentem heroas, patria procul urbe manebat
Exitus Iliacas miſerum quem triſtis ad arces.
Adſtitit huic Iris, roſeoque haec edidit ore:
  Surge, Theti, aeternis qui temperat omnia late
Conſiliis, ſuperas te acciri juſſit ad arces.
  Cui Thetis: Acciri cur me jubet ille deorum
Maximus? heu! vereor coetu me inferre beato
Uda genas fletu, gravibus mentem anxia curis.
Verum ibo, quidquid, dicet parere parata.
  Haec ait, atque caput nigranti obnubit amictu.
Sic iter ingreditur: praeit Iris: ſciſſa deabus
Dat maris unda locum. dehinc ſcandunt litus & altas,
Caeleſtum ad ſedes vaſtum per inane feruntur.
Quas ſimul ingreſſae, magnum invenere Tonantem
Aurato medium in ſolio, circumque beatos

v. 98.

Cae-

Digitized by Google

Caelicolas . divûm patri tum proxima (ceſſit
Ultro Pallas enim) ſedit Tethis : ipſa deorum
Cui Juno regina ferens dedit aurea rite
Pocula , & affatu divam demulſit amico .
Oblatum illa bibit nectar , dehinc pocula rurſus
Reddidit . interea ſic fari eſt Jupiter orſus :
Veniſti aetherei celſum huc ad limen Olympi ,
O Theti , moeſta animi , luctuque exercita mentem
Ingenti : ſedenim dicam , dea , ſedibus huc te
E patriis curnam caeli ad convexa vocarim .
Nona dies haec eſt , divis cum jurgia gliſcunt
Hectoreum corpus , bellacem & Achillea propter .
Hectoris hi furtim frigentia membra jubebant
Majugena tolli a vafro : decus ipſe reſervo
Hoc ingens , o diva , unam te propter , Achilli ,
Quam vereorque animo , & cupio mihi ſemper amicam .
Nunc age , caſtra ſubi Danaûm , gnatumque moneto .
Dic , omnes olli divos , praeque omnibus ipſum
Praecipue iraſci me ſcilicet , Hectora ſaevus
Quod retinet , nec Trojugenis Priamoque redemptum
Reddit adhuc . metuet me forſitan , atque cadaver
Reſtituet , ponetque feros de corde furores .
Ipſe Irin mittam Priamo , gnatumque jubebo
Oblato redimat pretio , Grajûmque profectus
Ad naves , immitem animum queis placet , Achilli
Secum dona ferat , gazae non parcus avitae .
Jupiter haec : paret juſſu Themis alma , ſupremo
Et celeri ſeſe lapſu demiſit Olympo ;
Et gnati mater ſubiit tentoria . moeſtos
Quem nacta eſt gemitus fundentem pectore ab imo .
At circum ſocii celerabant prandia , longis
Horrentem & villis , praegrandem & corpore pingui

v. 125.

Ma-

Mactarant agnum. juveni tum proxima ſedit;
Permulſitque manu, & blanda ſic voce locuta eſt:
  Ecquis erit finis fletus longique doloris,
Nate? tuum quando parces jam denique triſti
Excruciare animum luctu menſaeque torique
Oblitus? curam ſeclude, ac triſtia laetis
Verte, precor. nec enim tibi vitae longa ſuperſunt
Tempora; mors at adeſt miſero, viſque ultima fati.
Nunc animo haec hauri. venio tibi nuncia magno
Ab Jove; qui ſuperos tibi nempe iraſcier, & ſe
Prae cunctis dicit, retines quod lumine caſſum
Priamidem, nec Trojugenis, Priamoque redemptum
Reddis adhuc. agedum corpus jam redde parenti
Exanimum, accipiens dederit quae ditia dona.
  Dixerat. huic paucis reſponſum reddit Achilles:
Huc veniat, pretium qui det, ſecumque cadaver
Avehat, id quando fieri vult rector Olympi.
  Sic illi ad naves, gnatuſque & caerula mater,
Multa inter ſeſe alterno ſermone loquuntur:
Jupiter aſt Irin Trojanas mittit ad arces.
  Surge, ait, Iri; alti linquens & culmen Olympi,
I Phrygias Trojae ad ſedes Priamumque jubeto
Ire altas Danaûm ad naves & litora, natum
Ut pretio redimat genitor. dic regia ſecum
Dona ferat, mentem irato queis placet Achilli.
Solus eat, nullo Troum ſtipante: miniſter
Unus at e numero praeconum, jam gravis aevo
Ipſe etiam atque annis effoetus, flectat habenis
Qui mulas rhedae inſiſtens, ſupraque cadaver
Impoſitum ad muros revehat, comitetur euntem.
Fidere mente jube, nec mortem aut triſte putare
Quidquam animo; talem caeli de vertice mittam

Homer. v. 135.

Olli ego nanque ducem, leto qui perculit Argum,
Majugenam. ille ſenem cuſtos deducet, & ipſum
Pelidae ad limen ſtatuet : nec Martius heros
Ingreſſum penitus celſa in tentoria ferro
Mactabit, ſinet aut ſociûm mactarier ulli.
Non fatuus praecepſve animi, non immemor ille eſt
Officii : at miti poſſit qui parcere mente
Supplicibus, & jura deûmque hominumque vereri.
  Jupiter haec : Iris celeri pede fugit, & auras
Certa ſecans, altas Priami pervenit in aedes.
Heic alti gemitus plorantum, atque omnia luctu
Plena. patrem circa gnati moeſtique ſedebant,
Spargebantque ſinum lacrimis: jacet ipſe ſuorum
In medio, vili contectus corpora laena,
Cervicemque caputque immundo pulvere foedus,
Quem terra ſeſe verſans injecerat amens
Ipſe ſuis large manibus: gnataeque nuruſque
Lamentis, miſero & queſtu regalia complent
Tecta, virûm memores, tantis virtutibus auctos,
Tot numero, dederat quos leto Argiva juventus.
Nuncia tum Priamo Jovis adſtitit ; atque ita, vocem
Submittens, regem dictis affatur amicis:
(Ille deam agnovit ; metuenſque exhorruit artus)
  Dardanide, confide animo, gelidumque pavorem
Mitte : malae haud venio tibi nanque huc nuncia fortis,
Sed bona ut apportem, miſsu Jovis, qui procul abſens
Te curat tamen atque animo miſeratur amico.
Nunc dium redimi jubet Hectora, donaque Achilli
Ferri digna, animum quae placent. te jubet illuc
Solum ire, haud ullo Troum ſtipante: miniſter
Unus at e numero praeconum, jam gravis aevo
Ipſe etiam atque annis effoetus, flectat habenis

v. 179.

Qui mulas rhedae inſiſtens, ſupraque cadaver
Impoſitum ad muros revehat; comitetur euntem.
Aude animo fidens, nec mortem aut triſte putare
Quidquam mente velis; talem de vertice Olympi
Mittet nanque ducem, leto qui perculit Argum,
Majugenam. qui te cuſtos deducet; & ipſum
Pelidae ad limen ſtatuet; nec Martius heros,
Ingreſſum penitus celſa in tentoria ferro
Mactabit, ſinet aut ſociûm mactarier ulli.
Non fatuus praecepſque animi, non immemor ille eſt
Officii, at miti poſſit qui parcere mente
Supplicibus, & jura deûmque hominumque vereri.
  Haec ait; eque oculis dilapſa evanuit: ille
Confeſtim gnatos juſſit currumque parare
Et mulas; curru dehinc arcam aptare. ſuperbum
Hinc cedro aeterna conſtructum, ſuaveolentem
In talamum ſenior deſcendit. clauſa jacebat
Multa ubi praedives, ſpectari & digna ſupellex.
Huc Hecubam ſenior vocat ocyus; atque ita fatur:
  Infelix conjux, alto mihi nuncia venit
Ab Jove; meque jubet Grajorûm ad litus, & altas
Ire rates, gnatum ut redimam; & regalia ferre
Dona, quibus dirus placari poſſit Achilles.
Dic, tibi quid placeat fieri. mihi mens animuſque
Ardet enim puppes inimicaque caſtra ſubire;
Nec metus eſt noctu hoſtili me credere turbae.
  Sic ait: altum ululans conjux cui talibus infit:
Hei mihi! quonam abiit tibi mens? ſapientia quonam
Fugit pulſa; olim quam propter clarus haberi
Conſueras late in populis, quique extera longe
Regna colunt, quos & juſti regis aequus habenis
Imperii? ſolus Grajas tu accedere puppes

Audebis? coramque viro te ſiſtere, totque,
Tamque bonos miſero qui gnatos miſit ad Orcum?
Dura tibi ferro conſtant praecordia. ſi te
Ceperit, aut oculis te vir ſi viderit ille
Saevuſque infiduſque; tuam non ille dolebit
Fortunam miſerans, non parcet, ſceptra, tuamque
Canitiem veritus. tuta ergo heic praeſtat in urbe
Flere una exitio ſemotos. Hector at (olim
Parca gravis puero quod primo nevit in ortu,
Infelix miſerum peperi quo tempore) paſcat
Nempe canes, oculis longe amplexuque parentum,
Regem apud immitem. cujus diſcerpere adhaerens,
Atque vorare utinam poſſim jecur! aequa rependat
Poena mei ſaevam gnati ſic denique caedem.
Quem cur dedecorat? nec enim virtutis egentem
Nec bello ſegnem occidit, ſed moenibus urbis
Pro patriae ſtantem Troaſque & Troadas ante,
Nec vitare hoſtes certum, nec vertere turpi
Terga fugae. Has Hecube dedit aegro e pectore voces.
  Tum ſenior: Ne me, certum ilicet ire, retenta.
Ominibus jam parce iſtis, nec triſtis eunti
Eſto avis intra aedes. nequidquam flectere mentem
Hanc ſperas, conjux. mortalis nanque juberet
Si me quiſquam illuc, aut vates ire, ſacerdos
Aut divûm, pecudum vel fibras doctus aruſpex;
Mendacem veluti, ſpreviſſem. nunc, mora nulla
(Ipſe deum vidi nam coram, atque auribus hauſi
Ipſe meis vocem) celer ibo, & juſſa capeſſam.
Quod mihi ſi ad Grajas fatum eſt occumbere puppes,
Haud renuo. complexum ulnis mea pignora, largo
Explero ut mentem fletu, vel mactet Achilles.
  Sic ait; atque arcas aperit, biſſenaque promit

v. 228.

Pepla, leves totidem laenas, totidemque tapetas;
Dehinc totidem tunicas; totidem dehinc pallia viſu
Pulchra; decem profert dehinc auri tota talenta,
Atque duos tripodas fulgentes aere, lebetas
Et quatuor, pateramque, nihil qua pulchrius: olli
Quam Thraces dederant, donum ingens, cum Ilio ab alto
Olim Threïcias orator venit ad urbes.
Hanc quoque tum ſenior, nil parcens, protulit. acri
Imum pectus enim flagrabat amore, redemptum
Gnati ferre domum quavis mercede cadaver.
Hic thalamo egreſſus Teucros abſterret ab altis
Porticibus, dictiſque furens objurgat acerbis.

Ite, mali, indecores, ſceleroſi; abſcedite. luctus
Nilne domi eſt vobis, quod me lugere frequentes
Veniſtis? juvat anne, malis quod Jupiter urget
Hoc caput, & miſero mihi gnatum perdidit omnes
Eximium ante alios? ſedenim noſcetis & ipſi,
Jam faciles Danais vinci perdique, perempto
Hectore. me nigras adiget mors ante ſub umbras,
Spero equidem, videam quam vaſta everſaque Grajis
Pergama, & horrendam cladem excidiumque meorum.

Haec fatur; ſceptroque viros incurſat: at illi
Dilapſi fugere ſenem. male percitus ira
Hic gnatos verbis ultro inceſſebat amaris
Increpitans, Helenumque, Parinque, Agathonaque clarum
Pamonaque, Antiphonumque, & fortem ad bella Politen,
Deiphobumque, atque Hippothoum, Diumque: novenos
Hoſce ſenex onerat probris; ac talia mandat:

Feſtinate, mali, ſegnes, expendere poenas
Digni omnes. utinam cunctos mactaſſet Achilles
Hectore pro ſolo. fatis heu natus iniquis
Eximios genui gnatos, columenque decuſque

v. 255.

Trojugenum ; quos Parca mihi jam ſuſtulit omnes:
Meſtora dîs ſimilem , curſuque & curribus acrem
Troilon , utque deum mortales inter agentem ,
Hectora , quem poſſes divino ſemine cretum ,
Non hominis dixiſſe genus . mihi perdidit illos
Impius heu miſero Mavors: haec probra ſuperſunt
Omnia , mendaces , agnorum inſtare rapinae
Haedorumque , choros ductare ac ludere ſueti .
Statis adhuc , necdum currumque paratis ituro,
Et rhedam haec celeres imponitis omnia ſupra ?
  Sic ait : hi patris veriti convicia rhedam
Extulerunt agilem curſu , pulchramque , recentemque ;
Atque arcam ſuper impoſitam vinxere : nitenti
Inde jugum flavens buxo , mediaque tumeſcens
Parte , ambit multo firmans quod circulus aere ,
Detraxere citi paxillo , unaque jugale
Prompſerunt lorum ter ternis haud minus ulnis .
Poſthaec rite jugum ſummo in temone locarunt ,
Anulus ut clavum exciperet , nexuque ligarunt
Hinc atque hinc triplici ; lori pars ultima flexu
Suppoſita eſt apto . thalamo dehinc munera ab alto ,
Corporis Hectorei pretium , regalia promunt ,
Et curru imponunt pulchro , cumulantque . jugales
Hinc mulos junxere , olim , non vilia dona ,
Quos dederant Myſi Priamo ; nutribat & ipſe
Rite ſenex cura ingenti , praeſepe revinctos
Ad nitidum . hos curru jungebant , aedibus altis
Nondum etiam egreſſi , rex aevo feſſus & una
Idaeus , cordati ambo , rerumque periti .
Quos juxta ſtetit adveniens , mentem anxia curis ,
Fulgentemque auro pateram , plenamque Lyaeo
Ipſa manu portans Hecube , libanda ſupremo

v. 285.

Do-

Dona Jovi ante abitum ; bijugos quae ſedula propter
Conſtitit , ac tales fudit de pectore voces :
Sume , Jovi & liba patri ; ſupplexque rogato ,
Hoſtibus e mediis ut te in tua tecta reducat
Incolumem ; quando , me fruſtra obſtante , carinas
Ire juvat , miſer , hinc ad Grajas . at ſedet iſtud
Quando animo , venerare Jovem , qui conſpicit omnem
Aëriis celſae Trojam de rupibus Idae ;
Atque roga , veniat velox tibi nuncius ales ,
Jupiter omnigenas quem diligit ante volucres ,
Quique alias omnes vi longe ac robore vincit .
Hic roga, ut adveniat dextra de parte , volantem
Conſpicias ut tute oculis , fretuſque ſecundo
Omine belligeras Grajorum inviſere puppes
Haud dubites . talis quod ſi tibi nuncius alto
Ab Jove non veniet , Grajûm ad tentoria , celſas
Atque rates hinc ire equidem non horter , abire
Quanquam animus geſtit , menſque illuc incita fertur .
Tum Priamus : Renuam haud equidem parere monenti ,
O conjux . orare Jovem , caeloque ſupinas
Ferre manus pulchrum eſt ; genitor ſi forte precantem
Reſpiciat miſerans . Dixit , promamque liquentis
Juſſit aquae manibus puros invergere rores .
Adſtitit haec , laeva pelvim & ſubjecit : aquai
Humorem at purum dextra extulit . hinc ubi lavit
Rite , datam accepit pateram , ſaeptoque domorum
In medio ſtans vina ſenex libavit , & altum
Suſpiciens caelum haec effudit pectore dicta :
Jupiter , aëriae celſis de rupibus Idae
Qui populis late imperitas , ſumme , optime divûm ,
Da , veniam ut gratus Pelidae ad regia ſepta ,
Aut certe miſerandus . avem tu mitte volucres

v. 310.

Ante alias caram, genitor, tibi, robore & omne
Vincentem genus alituum; quam parte volantem
Ipſe oculis videam a dextra, fretuſque ſecundo
Omine belligeras, Grajorum inviſere puppes
Haud dubitem. Haec ſenior lacrimis fundebat obortis.
Jupiter ex Ida bonus audiit, atque nigrantem
Olli aquilam, Percnon quam dicunt nomine, praedae
Adſuetam, augurio nullus quo certior ales,
Continuo miſit. thalami quam janua late
Ampla patet domini praedivitis, ales utrinque
Ingentes tam late alas pandebat, & urbem
Supra agili dexter lapſu volitabat: amicum
Illi omen videre., & cunctis gaudia laetum
Complerunt pectus. Pulchro tunc membra locavit
In curru ſenior feſtinans, egit & amplum
Extra veſtibulum, reſonantiaque atria junctos
Certus equos. muli praeeunt,· quos nixa trahentes
Plauſtra rotis quatuor prudens Idaeus agebat:
Pone at equi ſubeunt, longo quos ipſe flagello
Rex agit, hortaturque urbis per compita. cari
Una omnes multo gemitu lacrimiſque ſequuntur,
Ipſe velut certae properet ſe opponere'morti.
Jamque adeo hi celſae progreſſi e moenibus urbis
Suppoſitos ambo in campos venere: paternas
At gnati & generi ad ſedes rediere. meantes
Interea campo rexque Idaeuſque ſupremum
Haud latuere Jovem. viſum hic miſeratus amica eſt
Mente ſenem; & Majae prolem non multa moratus
His pater alloquitur dictis; ac talia mandat:
Nate, (viris nam te mortalibus ire ſodalem,
Atque audire preces facilem juvat) i celer, altas
Et Priamum ad naves Danaûm ſic ducito, Achivûm

v. 337. E nu-

E numero nemo ut videat vel ſentiat ante,
Aeacidae ſubeat quam ſepta ingreſſus Achillei.
Sic ait: ille patris laetus mandata capeſſit.
Continuo levibus nectit talaria plantis
Pulchra, aeterna, auro fulgentia; queis vada ſupra
Caerula, & ingentes terrarum flammeus oras
Carpit iter ſublime, levi non ſegnior aura.
Corripit hinc virgam, blando qua tacta virorum
Lumina demulcet ſomno, ſomnoque jacentes
Excitat. hanc manibus geſtans volat ille, ſub arces
Et venit Iliacas ad fluctiſonum Helleſpontum.
Tum juveni incedit ſimilis, cui, ſanguine creto
Regali, prima pubent lanugine malae
Florentes; homini qua nulla venuſtior aetas.
Ili jam veteris Priamus praecoque ſepulcrum
Tranſierant. illic poturos flumen uterque
Ad placidum tenuit bijugos. nox humida terras
Interea late nigro velarat amictu.
Ecce autem Idaeus ſubluſtri vidit in umbra
Majugenam contra venientem; ac talia fatur:
Dardanide, quid opus facto ſit conſule: magni
Res eſt conſilii. video huc ſe ferre citato
Nanque virum greſſu: qui nos leto dabit ambos.
Quare age, vel celeri curru fugiamus ad urbem;
Vel, genua amplexi, conemur flectere, flecti
Si potis eſt, precibus. tremefacto has pectore voces
Ille dabat. confuſa ſeni eſt mens; corda micabant;
Arrectaeque comae, corpuſque exhorruit omne;
Stabat & attonito ſimilis. deus ipſe propinquans
At pavido dextramque bonus porrexit, amico
Atque, manum apprendens, vultu ſcitarier infit.
Quo pater ambroſia currum ſic noctis in umbra

Homer. v. 363.

Dirigis, ignavo late dum corpora ſomno
Strata jacent ? non tu ſpirantes robur Achivos,
Qui prope ſunt, metuis ? qui teque odere tuoſque
Infenſi. quorum nigra te nocte vehentem
Si tot opes aliquis videat, quidnam tibi, quaeſo,
Mentis erit ? nec enim juvenis tu; debilis aevo eſt
Et comes iſte tuus; nequeat deprenſus utervis
Ut pugnare virum contra, qui vim prior ultro
Intulerit: ſed ego nec te laedam, o bone; ſi quis
Et laeſiſſe velit, propulſem: nanque parentem
Ceu carum te, magne ſenex, veneror que coloque.
  Haec ille: at contra reſpondit Troius heros.
Vera iſtaec, fili, fateor quaecunque locutus.
Me quoque divûm aliquis dextra tamen aequus amica
Protegit, atque animo curat; qui miſerit ultro
Huc mihi te, fauſtum comitem, vultuque decoro
Mirandum, atque habitu; ſapienti & mente; beata,
Credo equidem, ſuperûm natum de gente deorum.
  Suſcipit ille: Senex, recte iſtaec: ſed mihi verax
Dic age, conſilium nec cela. mittis ad urbes
Hinc procul externas aliquo rerum optima, captam
Ut tibi poſt urbem maneant ſervata ? pavore
Deſeritis ſacram perculſi anne Ilion omnes ?
Talis enim leto periit vir, ſanguine cretus
Ille tuo, nulli Grajûm virtute nec armis
Impar. Haec ſantem miratus, talia rurſus
Laomedontiades: Juvenum longe optime, quiſnam es ?
Unde tibi genus eſt ? gnati cui fortia facta
Nota mei, & letum, quod perdit meque meoſque.
  Huic iterum Majae proles: Regum optime, tentas
Tu me nempe, rogans ſuper Hectore. ſaepe ego vidi
Hectora magnanimum claro in certamine pugnae.

v. 391.

Cum-

Cumque rates actos ad curvas victor acuto
Caedebat ferro Danaos, ſtragemque ciebat
Horrendam. immunes belli nos dira frementem
Stabamus taciti mirantes. arma ſinebat
Non etenim tractare Atridae iratus Achilles:
Hujus ego ſum nanque comes; rate vectus eadem
Unus Myrmidonum veni huc de gente. Polyctor
Me genuit praedives opum, nunc ille ſenecta
Languens, atque tibi ſimilis. ſex, prole beatus
Pulchra, habet is gnatos; ego ſeptimus. huc mihi, ductis
Sortibus, Iliacum comitari ad litus Achillem
Obtigit. in campum veni ſpeculator ab altis
Nunc ratibus. Danai nam cras, ubi fulſerit Eos,
Omni veſtra parant invadere moenia opum vi.
Arma fremit pubes, ardetque in bella; furentem
Nec poſſunt regum cohibere, ac ſiſtere juſſa.
Tum ſenior: Quando Pelidae fidus Achilli
Es comes, hoc, oro, dic verax: nunc meus altas
Hector adhuc jacet ad puppes? an frigida membra
Concidit ferro, & canibus projecit Achilles?
Ille refert: Non ſaeva canum vis, atque ferarum
Alituum, venerande ſenex, diſcerpta voravit
Membra: ſed abjectus prope curvas ille carinas
Aeacidae jacet in ſeptis. duodena jacenti
Haec lux: necdum etiam putreſcit: ſeda minuta
Necdum etiam, bello caeſos quae ſueta vorare,
Vulneribus innata, vorant exſangue cadaver.
Illum Pelides immiti corde ſodalis
Ad tumulum primo raptat ſurgentis in ortu
Aurorae: ſedenim non turpat. mente vel ipſe
Mirere attonita adveniens, ut roſcidus artus,
Ut pulcher jaceat; ſiccato membra cruore

Ut niteat; nuſquam ut ſordeſcat; plurima, totum
Queis fuerat corpus confoſſum, vulnera nuſquam
Cernantur. gnatum tibi ſic poſt ipſa beati
Funera caelicolae examinem curantque foventque.
  Sic ait: at ſenior gaviſus talia reddit:
Aeternis, fili, perſolvere debita divis
Dona, bonum; nec enim meus unquam munera ſanctis
Reddere caelitibus neglexit natus, avitas
Dum coluit ſedes. ergo illum & morte peremptum
Dî memores curant. agedum nunc, accipe pulchrum
Hunc calicem; ſervaque tibi; duc ocyus & me,
Ut veniam auſpicibus dîs ad tentoria Achillei.
  Talia dicebat. ſubridens ille viciſſim:
Tentas me, ſenior, juvenem. tua munera Achille
Non erit ignaro ut capiam; quem ſcilicet unum
Ante omnes veneror; metuo & mihi ſumere quidquam
Detractum regi; ne quid mihi poſtea triſte
Contingat. gratis ego te, vel puppe per undas,
Vel terra pedibus, medium quoque ducere in Argos
Haud renuam; quiſquam nec vir te invaſerit uſquam,
Me duce contempto. Dixit; currumque citoſque
Scandit equos, & lora celer tortumque flagellum
Corripuit manibus; vimque ipſe in pectus equorum,
Mulorumque habilem duros aſflavit in artus.
  Jamque adeo ad foſſas, & propugnacula Grajûm
Advenere. illic vigiles in gramine coenam
Curabant: quibus adveniens Cyllenius una
Omnibus infudit placidum per membra ſoporem.
Ipſe manu portaſque aperit, vecteſque retrudit
Oppoſitos, Priamumque infert, rhedamque ſequentem.
Dehinc, ubi Pelidae venere ingentia tandem
Ad ſepta, eximio quae, ſectâ ex abiete, regi

v. 449.

Myr-

Myrmidones fecere, horrenti & deſuper ulva
Inſtravere altum culmen, valloque frequenti
Ingentem duxere aulam tentoria circum.
Stabat firma ingens abiegno janua vecte,
Quem terni obdebant connixi veſpere primo
Myrmidones, totidem reſerabant mane recenti:
Solus at ipſe manu valida impellebat Achilles.
Ille ſeni hos aperit poſtes, praebendaque Achilli
Dona intro ducit: curru tum laetus ab alto
Deſilit; ac Priamum compellans, talia fatur:
Rex, tibi ego celſo veni delapſus Olympo
Mercurius, divûm e coetu, deus ipſe, parentis
Imperio ſummi ductor tibi miſſus: ad arces
Nunc abeo ſuperas; coram nec ſiſtar Achilli
Conſpicuus. nec enim facilem mortalibus aegris
Uſque adeo decet eſſe deum. tu ingreſſus, adito
Aeaciden ſupplex, genibuſque advolvere, & ora,
Per patrem rite, ac gnatum, divamque parentem
Obteſtans; blanda & permiſcens corda loquela.
Sic ait; atque altas longe ſeceſſit Olympi
Protinus in ſedes. curru deſcendit ab alto
Ad terram ſenior; mulas & juſſit ibidem,
Aeripedes & equos fraenis retinere manentem
Idaeum: ipſe gradum celerans ſeſe intulit intra
Tecta, ubi Pelides ad menſam forte ſedebat.
Nactus ibi ſaevum regem videt ille. ſodales
Seorſum alii: ſoli e ſociis at pocula regi
Praebebant ſtantes juxta Automedonque, cruenti
Alcimus & Martis clarum genus: atque peracta
Omnis erat jam coena viro, ſed menſa remota
Nondum etiam. hos Phrygiae magnus regnator ut illuc
Ingrediens vidit, propior ſtetit, eſtque repente

v. 477.

Ge-

Genua feri Aeacidae complexus; deinde madenti
Caede virum horrenda, qua tot mactaverat olli
Heu gnatos, ſeſe acclinans, dedit oſcula dextrae.
Ac veluti noxa implicitus cum caede patrata
Extorris liquit patriam vir, fugit in urbem
Et procul externam, dominique exterritus aedes
Divitis ingreditur; circum ſtupet inſcia turba:
Sic Priamum obſtupuit cernens Peleius heros,
Obſtupuere alii, converſique ora tenebant
Atque oculos inter ſe cuncti. exorſus at ille
Suppliciter tales fudit de pectore voces:
  Magne vir, & ſuperis non impar, patris, Achîlle,
Nunc memor eſto tui; qui durae in fine ſenectae,
Sic ut ego, degit feſſuſque ac debilis aevo.
Quem fortaſſe premunt inſenſo pectore circum
Finitimi, nec adeſt qui cladem ac triſte repellat
Exitium. ille tamen tete audit vivere, ſalvum
Et gaudet; ſperatque dies noctesſque reverſum
Litore ab Iliaco complecti ac cernere coram,
Quem genuit: miſero mihi ſed ſpes nulla, malorum
Haud ullum ſupereſt ſolamen. quippe ego gnatos
In Troum genui praeſtantes gente. relictum
Horum vix ullum video patriaeque mihique.
Quinquaginta illi numero, veniſtis Achivi
Quando huc, florebant - vicenos edidit, uno
Dempto, Hecube mihi ſola omnes: peperere puellae
Aſt alios aliae tecta intra regia. leto
Hi mihi pene omnes diro ſub Marte perempti
Occubuere: unum, qui noſque urbemque tueri
Perſtabat patriis pugnans pro moenibus, ipſe
Straviſti nuper, dium Hectora. nunc ego veni
Illius huc ergo, ut redimam, praebendaque large

v. 502.

Me-

Mecum dona tuli. quae tu ne deſpice, Achille;
Sed magnos reverere deos; miſerare ſenectam
Hanc, precor, ipſe tui patris non immemor. illo
Certe ego flebilior, magis & miſerandus. adegit
Me fors ferre, hominum quae nemo pertulit unquam;
Atque viri dextram, ferro mactavit acuto
Qui mihi tot natos, admotis tangere labris.
  Sic ait, & cari monitu genitoris Achilli
Confudit moerore animum, penituſque ſub alto
Corde pii magnum fletus incendit amorem.
Ille ſenem dextra apprendit, paullumque removit
Leniter ab ſe arcens. fletu indulgebat uterque;
Eximii Priamus memor Hectoris, ante volutans
Peliden ſeſe genibus minor: ipſe parentem
Carum at Pelides deplorans, atque viciſſim
Patroclum lugens. circum tecta ampla ſonabant
Myrmidonum fletu ſpectantum, & multa gementum.
Verum ubi jam triſti luctu eſt expletus Achilles,
Ac flendo egeſtus liquit praecordia moeror;
Exſurgitque, ſenemque manu, mentumque, verendam
Canitiem incani & capitis miſeratus, amice
Sublevat, ac verbis affatur talibus ultro:
  Heu miſer, heu multos animo perpeſſe dolores!
Auſus es ad naves te ferre huc ſolus Achaeas?
Atque viro coram te ſiſtere, qui tibi totque,
Tamque bonos ſtravi leto inter praelia gnatos?
Firma tibi ferri duro ſtant robore corda.
Verum age, jam conſide. alto ſub pectore curas,
Quae cruciant animum, triſtes reſidere ſinamus.
Quid proſit luctu, & longae indulgere querelae?
Dî fatum hoc miſeris dederunt mortalibus, aegri
Ut curis vivant, curis vacui omnibus ipſi.

v. 526.

Nan-

Nanque Jovis duo ſunt in limine dolia. rebus
Nempe malis plenum hoc: illud melioribus; haurit
Unde, hominum generi tribuit quae munera cunque.
Cui pater altitonans miſcens dedit, ille viciſſim
Adverſiſque dolet rebus, gaudetque ſecundis;
Cui dedit ex uno genitor mala, triſtibus illum
Aſpera ſors fatis exercet; multaque paſſus,
Nec dîs, nec carus mortalibus, uſque vagatur.
Sic Peleo dederunt divi primo inclyta ab ortu
Dona. viros inter nanque omnes claruit olim,
Dives opum, magnaque acres ditione gubernans
Myrmidonas. quin & mortali ſanguine creto
Dî thalami aequoream ſociarunt foedere divam.
Huic etiam ſed triſte malum rex aetheris alti
Addidit, experti ſobolis, cui regia tradat
Sceptra, unam & nacto prolem, cui funus acerbum
Fata parant. longa nec feſſum aetate parentem
Nunc ſaltem praeſens foveo: ſed litore longe
A patrio verſor Trojae ſub moenibus altis;
Teque, ſenex, bello haud ceſſo vexare tuoſque.
Te quoque felicem non mendax fama ferebat,
Florentemque opibus, Macari quot condita Lesbos,
Et Phrygia, atque ingens complectitur Helleſpontus.
Caelicolae at poſtquam noxam hanc cladem que tulere,
Uſque tibi muros circum pugnaeque virorum,
Et caedes gliſcunt, ſaevique incendia belli.
Fer tamen, aſſiduo noli & tabeſcere luctu.
Nam nil proficies, nec gnatum fletibus Orco
Abduces, vitae revocans ad lumina: quin te
Ipſe magis crucies, cumuleſque dolore dolorem.
Tum ſenior, vultus auguſti aequandus honore
Caelitibus: Ne vero, inquit, ne coge ſedere,

v. 552.

Care

Care Jovi Aeacida, indefletus dum jacet Hector,
Juſtorumque expers intra tentoria. redde
Ocyus; ut carum videam caput: at tibi dona,
Quae non pauca tuli, facilis precor accipe; & illis
Dî faciant longumque frui, patriaſque reverti
Incolumi ad ſedes contingat, vivere quando
Me pateris, caelumque finis lucemque tueri.
  Ille ſub haec, torvumque tuens, gemitumque ſub alto
Corde premens: Ne me irrita, longiſque laceſſe
Jam precibus. gnatum quem poſcis, reddere dudum
Eſt animus. nam juſſa ferens mihi venit ab ipſo
Huc Jove, me genuit quae mater, filia Nerei.
Te quoque (nequidquam celas manifeſtus) ad altas
Huc aliquis puppes duxit deus. ire quis hoſtes
Eſſet enim in medios auſus vir quamlibet aevo
Florens? ipſa pedem quis ferre in caſtra; latere
Cuſtodes; ſolus portarum ingentia clauſtra
Quis reſerare manu, vectemque impellere quiſſet?
Ergo ciere animum dictis hunc parce. dolore
In medio; ne forte, ſenex, male percitus ira
Nec te ipſum mittam incolumem; genibuſque trucidem
Affuſum; violemque Jovis mandata ſupremi.
  Sic ait: ille autem timuitque, nec hiſcere quidquam
Eſt auſus contra. tecto ſe turbidus alto
Extulit Aeacides, veluti leo; pone ſecuti
Sunt gemini regem famuli, Mavortia corda,
Alcimus Automedonque, Patroclum ut Parca peremit,
Pelidae ante alios cari acceptique miniſtros.
Confeſtim hi curru ac rheda ſolvere jugales,
Vocalemque ſenis praeconem in regia tecta
Duxere, ac poſita longaevum in ſede locarunt.
Hectorei capitis pretium dehinc ditia dona

Homer. v. 579.

De-

Deponunt: tunicam tantum unam, pallia pulchra
Et liquere duo; veſte hac ut rite cadaver
Traderet ad patrios indutum ferre penates.
Tunc heros vocat ancillas, lymphaque tepenti
Abluere, & pingui perducere corpus olivo
Imperat, ex oculis amotum; cernere poſſet
Ne Priamus gnatum; triſti ne forte dolore
Percitus infelix genitor cohibere nequiret
Iram animo: ſubito furiis accenſus at ipſe
Mactaretque ſenem, & violaret juſſa Tonantis.
Dehinc, ut frigentes lavere oleoque nitenti
Perduxere artus famulae, circumque dedere
Artubus & tunicam, pulchro & regalia textu
Pallia; ſublatum lecto ſuper ipſe locavit
Pelides; gemini & rhedae impoſuere miniſtri.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab alto;
Et fidum hac lacrimans compellat voce ſodalem:
  Parce irae, precor, haec nigro ſi forte ſub Orco
Audieris, Patrocle. ſuo do ferre parenti
Hectora: dona dedit ſed non ſpernenda; tuam tu
Unde feres partem actutum, quam ferre decebit.
  Sic ait, ac ſubiit tentoria rurſus Achilles,
Conſeditque iterum ſolio, quod liquerat ante,
Adverſus Priamo; tum blandus talia fatur:
  Jam tibi ſervitio exemptus, quod nempe rogaſti;
Atque toro in molli poſitus jacet Hector; in ortu
Quem primo Aurorae aſpicias, referaſque licebit
Avectum ad muros. triſtem ſecludere curam
Nunc decet, ac victu vires revocare. nec ipſa
Abſtinuit victu Niobe, biſſena domorum
Septa intra ſubito cui ſtrata eſt funere proles,
Sex nati, ac totidem natae. deus abſtulit illos

v. 605.

Ar-

Arcitenens: aſt has gaudens Dictynna ſagittis,
Irati Niobae prae ſe contemnere pulchram
Latonam haud veritae; geminos dea magna crearat
Quod tantum divos: multam prolem ipſa. ſed omnem
Prolem olli, gemini merſerunt funere divi.
Illa novem pubes jacuit miſeranda diebus
Intumulata. alti populos nam rector Olympi
Verterat in lapidem. decima ſed luce ſepulcro
Caeſam dî ſobolem intulerunt, defeſſaque luctu
Immani genitrix tandem jejunia ſolvit.
Haec Sipyli ſolis nunc longe in montibus; illic,
Eſſe ubi nympharum frondoſa cubilia fama eſt,
Quae ſolitae choreas Acheloia ducere propter
Flumina; inexpleto moeret vel ſaxea fletu;
Egerit & lacrimis quos dî fecere dolores.
Nos itidem, venerande ſenex, accumbere menſae,
Atque dapum meminiſſe decet. poſt flebis in altam
Ilion ingreſſus natum, triſteſque revecto,
Ut lubitum, ſolves lacrimas ſine fine modoque.
Dixerat; ac ſurgens pinguem candore nivali
Mactat ovem: ſocii nudant, curantque, minutim
Et ſectam verubus figunt: ignique ſubactas
Detraxere dapes. Cerealia dona caniſtris
Attulit Automedon; coenam partitur Achilles:
Hi jactantque manus, dapibuſque epulantur opimis.
Poſtquam exempta fames epulis, & vina quierunt,
Dardanides Priamus dîum adſpectabat Achillem,
Admirans qualiſque foret, quantuſque: decora
Nam ſpecie eſt viſus non impar caelitibus dîs.
Aeque Dardaniden Priamum adſpectabat Achilles,
Et faciem admirans auguſtam, & verba diſerta.
Mutua dehinc poſtquam eſt adſpectu expletus uterque,

v. 633.

His prior eſt Priamus verbis affatus Achillem.
Nate dea, placito ſternam da feſſa cubili
Membra, precor; capiam dulcis quo munera ſomni
Quamprimum. nec enim ſomno unquam lumina clauſi,
Perdidit ex quo animam ſub te meus Hector: at uſque
Multa gemo, verſoque graves in pectore curas,
Aedes ante meas me foedo in pulvere ſternens.
Nunc orique dapes admovi, & dulcia tandem,
Ante hac jejunus, tranſmiſi gutture vina.
Sic ait: ille torum juſſit, mora nulla, ſub altis
Porticibus ſocios famulasve locare, ſuperque
Purpureas ſterni veſtes, pulchroſque tapetas,
Mollibus & villis horrentia tegmina, laenas.
Illae abeunt extra limen, claroque coruſcam
Igne facem in manibus geſtant; geminumque ſub altis
Porticibus ſtruxere torum, veſteſque ſuperne
Inſternunt, regiſque alacres praecepta faceſſunt.
Tum, Priamum ille joco terrens, haec fatur Achilles:
Care ſenex, extra ſomnum cape; ne quis Achivûm
Huc veniat regum, qui me nocteſque dieſque
Multi adeunt, mecumque agitant de more frequentes
Conſilia. horum aliquis ſi te de nocte jacentem
Viderit heic, regi Danaûm narrabit Atridae,
Atque moram injiciet, prima ne luce redemptum
Poſſis confeſtim caſtris efferre cadaver.
Dic age ſed verax, forti quot juſta diebus
Perſolves gnato funebria? & ipſe quietus
Ut bello interea parcam, teneamque morando
Magnanimos, ne ſaeva ruant in praelia, Grajos.
Dixerat ille: ſenex contra cui talia reddit:
Hectoreum ſiquidem vis curem funus, Achille,
Quidnam optem, quidnam gratum mihi feceris, audi.

v. 661.

Moe-

Moenibus incluſos ſcis Troas, ſcis procul urbe
Eſſe nemus, vulgi ſcis corda & ſtrata pavore.
Ergo dies plorare novem, dum ſilva cremando
Congeritur, mens eſt carum intra tecta cadaver:
Rite uſtum decima terra dehinc condere luce;
Et populo praebere epulas: undena redibit
Lux ubi, tollemus tumulum ſtructo aggere: claram
At duodena mari cum lucem proferet Eos,
Si pugnare uſus, ſumptis pugnabimus armis.
  Iſta tibi, ſenior, ſic ut vis, omnia fient
(Suſcipit Aeacides): Danaos inhibere furentes
Cura mihi fuerit, durumque avertere Martis
Certamen, quanto dixiſti tempore, Teucris.
  Sic fatus dextram dextrae commiſit, ut illi
Ambiguam certo firmaret pignore mentem,
Eximeretque animo curam trepidumque timorem.
  His actis, praeco & Priamus cubuere paratis
Ante fores ambo in lectis, cordatus uterque,
Et rerum prudens. penetrali in ſede petivit
Ipſe etiam ſomnum Pelides. ad latus olli
Accubuit preſſitque torum Briſeïs eundem.
  Dîque, hominesque alii ſera ſub nocte jacebant,
Languida jam molli devincti membra ſopore.
At non Mercurium ſopor occupat: ille ſub alto
Pectore verſat enim qua regem educere caſtris,
Portarum & ſacros cuſtodes fallere poſſit:
Ergo citus capiti ſuperadſtitit; atque ita fatur:
  Nec metuis, malecaute ſenex? nec cura ſalutis
Ulla tuae mentem pulſat, te dius Achilles
Intactum poſtquam ſivit? ſic hoſtibus audes
In mediis dulcem ſecurus carpere ſomnum?
Hectore pro caro tu multa & magna dediſti.

v. 685.

At

At te pro vivo dederint ter tantaque totque
Gnati qui ſuperant, ſi te jam norit Atrides,
Si Graji norint ad curvas eſſe carinas.
  Sic ait: extimuit ſenior, juxtaque jacentem
Excitat Idaeum. mulas tum junxit equoſque
Ipſe deus curru ac rhedae, medioſque per hoſtes
Duxit agens; quiſquam Grajûm nec ſenſit euntes.
  Verum ubi perventum divini ad ſacra Scamandri
Eſt vada, ſidereas celſi deus ivit Olympi
Ad ſedes: croceis Aurora in veſtibus almam
At lucem terras late diffudit in omnes.
Hi lacrimis gemituque & luctiſono ploratu
Urgebant porro bijugos; corpuſque vehebant
Exanimum ad muros. nec vir, nec foemina ſenſit
Ulla, unam praeter Caſſandram. Pergama pulchrae
Haec ſimilis Veneri conſcenderat: inde parentem
Proſpexit ſtantem in curru, Idaeumque parentis
Praeconem; & fratris, perculſa mente, cadaver
Agnovit lecto impoſitum; lacrimanſque gemenſque
Exululat, magniſque implet clamoribus urbem.
  Ite, ait, o Troëſque & Troades, ite frequentes,
Hectoreum veniens comitari ac viſere corpus:
Si quando laeti victorem in moenia plauſu
Excepſtis reducem poſt praelia. civibus, urbi
Et patriae eximiumque decus fuit Hector, & ingens
Laetitia. Has moeſto jactavit pectore voces;
Nec vir nec mulier tota uſquam eſt urbe relicta
Ulla. omnes ingens invaſit moeror; & arſit
Corde imo dolor indomitus. magno agmine portis
Effuſi occurrunt venienti, ac triſte cadaver
Vectanti. primae conjux atque anxia mater
Vellebantque comas manibus; carumque ruentes

v. 711.

Ad

Ad rhedam caput amplexae, tum cetera circum
Flet turba, & miſeris incendit queſtubus auras.
Illi adeo tota, quam longa eſt, luce ſub urbe
Occaſum ad Solis ploraſſent Hectora dium:
E curru at ſenior clamans ita farier infit:
  Quid circumfuſi ſtatis? decedite, rhedam
Porro ut agam. intulero cum gnati corpus in aedes,
Tum longo mentem ploratu explere licebit.
  Sic ait: at partes diducta eſt omnis in ambas
Turba, viamque dedit rhedae ſemota patentem.
Illi altas poſtquam ad ſedes, regalia tecta,
Advenere, toro componunt corpus in alto,
Cantoreſque locant juxta, queis flebile cura eſt
Ordiri carmen. carmen lugubre canebant
Hi, crebro mixtum gemitu: carmenque ſecutae
Iliades moeſto ſingultim corde gemebant.
Quas inter complexa caput magni Hectoris, orſa eſt
Andromache triſtem ſic moeſta voce querelam:
  O conjux, vita es mihi primo ereptus in aevo,
Meque domi viduam liquiſti; filius infans
Eſt & adhuc; dulces vitae productus in oras
Heu fruſtra: aetatis cui, credo, attingere florem
Pubenti nunquam continget. culmine ab alto
Corruet urbs etiam Grajis everſa. periſti
Nam tu, Hector, ſervare urbem, Troumque pudicas
Infanti cum prole uxores pectore forti
Qui fueras. curvis quas nunc in puppibus hoſtis
Abducet captas; haſque inter me quoque ſaevus
Avehet. ipſe, puer, vel me comitabere ad urbes
Grajugenum, immiti ut domino famulere, labore
Qui terat indecori miſerum; vel te efferus ira
Grajûm aliquis dextra arreptum (miſerabile!) ab alta

v. 735.

Deji-

Dejiciet turri ; cui fratrem ſcilicet Hector
Confodit ferro , gnatumve , patremve ; ſub haſta
Hectorea quando terram petiere cruento
Ore ingens Grajûm numerus . non aſpera mitis
Inter erat nam bella pater tuus : ergo per urbem
Jure illum plorant cives , quibus arcuit hoſtem .
Infando at miſeros , Hector , moerore parentes
Compleſti . mihi ſed prae cunctis triſte relictum eſt
Heu deſiderium , & moeror , ſaevique dolores .
Non etenim lecto affixae ac tua fata dolenti
Porrextique manus abiens , & morte ſub ipſa
Dixti aliquod prudens dictum , quod mente maneret
Fixum alta , & dulcem fletum ſine fine cieret
Noctes atque dies memori . Sic illa querelam
Abſolvit : comites circum adgemuere gementi .
Tunc Hecube miſeros exorſa eſt anxia luctus :

Hector , dulce caput , longe mihi carior omnes
Ante alios , genui Priamo quos tradita natos .
Carus eras & dîs certe , dum vita manebat :
Dîs , qui te curant aequi vel morte peremptum .
Pelides alios me eretos trans mare captos
Vendebat , mittens Samumve , Imbrumve , ſeramve
In Lemnum : poſtquam te ferro ſtravit acuto ,
Improbus ille tuum raptavit ſaepe cadaver
Patrocli circa tumulum , tua dextera leto
Quem dedit : at ſocium nec ſic revocare ſub auras
Evaluit , nec te raptans foedare ; recenſque ,
Roſcidus & patria qui nunc mihi pulcher in aede
Ecce jaces , qualis , miti quem ſtravit Apollo
Arcitenens telo primaevo in flore juventae .
Sic ait ; incenditque gravi circum omnia fletu .

Tertia dehinc Helene triſtem ſic orſa querelam eſt :

v. 761.

He-

Hector care mihi ante omnes, quam numine laevo
Abductam malus Iliacas huc vexit ad arces,
Atque ſibi thalamo junxit, Paris: (ante perire
At ſatius miſerae fuerat) viceſimus & jam
Annus hic eſt patrias liqui cum perdita ſedes,
Et veni ad Teucros infelix hoſpita: nullum
A te unquam ſedenim tam longo tempore verbum
Audivi aſperius. quin ſi me laedere quiſquam
Forte domi audebat frater tuus, aut ſoror, ipſa
Vel ſocrus (ſocer uſque mihi mitiſque bonuſque
Nam fuit, ac patri ſimilis) maledicta procacis
Siſtere tu monitiſque tuis lenique ſolebas
Ingenio. haec propter ploro te, meque, dolore
Saucia cor triſti: cui nemo jam ſuper urbe
In tota eſt comis faciliſque; odere ſed omnes,
Atque male infenſi miſeram averſantur, & horrent.
Sic flevit; Teucri flentem plangore ſecuti
Luctifico; triſti ſonuit domus ampla tumultu.
  Tum Priamus, tota populis ex urbe vocatis,
Ite, ait, ac caeſam conferte ad moenia ſilvam.
Inſidias ne quis metuat, fraudeſque latentum
Grajorûm. mihi nam dimiſſo a puppibus ipſe
Pelides ultro promiſit, nil fore noxae
A Danais Teucrûm cuiquam prius, efferat almam
Quam lucem duodena vadis Aurora relictis.
  Sic ait: hi validis feſtinant jungere plauſtris
Cornipedes; portiſque effuſi ex omnibus, ingens
Turba, ibant late per ſaltus & nemora alta;
Immenſamque novem totis vexere diebus
Materiem. aſt Aurora diem mortalibus almum
Cum decima extulerat rediens, fortem Hectora flentes
Exportant, gelidumque pyra poſuere cadaver

Homer. v. 787.

In ſumma, ſubterque ignem de more coruſcum
Injecere: altis gliſcunt incendia flammis.
Poſtera dehinc Aurora polo cum diſpulit umbras,
Hectoream ante pyram pompa venere frequenti:
Purpureo & primum ſparſerunt buſta Lyaeo
Qua ſe cunque ignis tulerat: dehinc candida fratres
Unanimi, & cari legerunt oſſa ſodales,
Perfuſique genas lacrimis, altumque gementes:
Aurata mox rite urna collecta locarunt,
Mollibus & peplis fulgenti murice tinctis
Contexere; ſolo dehinc infodere cavato,
Et ſtravere ſuper de more ingentia ſaxa;
Hinc tumulum injecto ſtruxerunt aggere. cuſtos
Multus erat circum in ſpeculis, ne quis procul hoſtis
Ingrueret, vulgoque furens ſe inferret inermi.
Structus ut eſt agger tumuli, rediere; frequenti
Et coetu poſitis tecta intra regia denſi
Conſidunt menſis, dapibuſque epulantur opimis.
Hectoreo ſic juſta pii ſolvere ſepulcro.
v. 804.

F I N I S.

JUSSUM OPUS EXEGI. SERVA HAEC, BALTHASSAR, AMAQUE,
NATA SUB AUSPICIIS QUALIACUNQUE TUIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM
MAXIME MEMORABILIUM.

Prior numerus librum, poſterior ejus libri verſum indicat: b littera partem ſecundam libri ſecundi, quae Boetia inſcribitur.

A

ABantes b, 51.

Abidus b, 389.

Acamas b, 373. Promachum occidit 14, 503.

Acheolus rex aquarum 21, 231.

Achilles b, 206. Graecorum fortiſſimus b, 308. Cogit concilium Graecorum 1, 74. Jubet Calchantem augurem aperire cauſſam peſtis ab Apolline Graecis illatae 110. Agamemnonem objurgat 184. Briſeidem a ſe abduci patitur 411. Matrem rogat ut Jovem adeat, atque incitet in Graecos 477. Legatos Agamemnonis convivio excipit 9, 240. Reſpondet Ulyſſi 385. Phoenici 754. Ajaci 803. Patroclum mittit ſciſcitatum de Machaone vulnerato 11, 744. Plorantem Patroclum interrogat 16, 8. Patroclum in praelium mittit, eique praecipit, quae opus ſunt 60. Myrmidonas armat 194. & cohortatur 200. Jovi vinum libat cum precibus 280. ſeſe ob mortem Patrocli affliſtat 18, 27. Thetidi luctum ſuum exponit 97. Patroclum luget 387, & 23, 25. Metuit ne Patrocli corpus putreſcat 19, 28. Concionem convocat 19, 45. quam alloquitur 60. Cibum ſe capturum negat ante praelium 237. Patroclum pertinaciter luget 360. Armatur 430. Aeneam ſibi cedere jubet 20, 214. Aeneam evaſiſſe indignatur 394. Interficit Iphitionem 438. Demoleontem 455. Polydorum 480; & alios multos 524. In Xanto, fluvio multos interficit 21, 23. Capit duodecim juvenes Trojanos mactandos ad ſepulcrum Patrocli 37. Lycaonis preces repudiat, eumque occidit 108. Occiſum Aſteropaeum alloquitur 221. Fugientem Hectorem perſequitur 22, 172. perſequi pergit 238, ac interficit 194. Myrmidonibus luctum indicit 23, 7. Comam Sperchio flumini votam ad Patrocli buſtum radit 180. Ventis ſupplicat 250. Ludos funebres Patroclo inſtituit 330. Neſtori phialam donat 728. Patroclum moerens inquietam noctem ducit 24, 4. Priamum alloquitur 624. Hectoris corpus imponit currui Priami 713. Priamo caenam parat 726. Achilli dona ab Agamemnone portantur 19, 280. Achillis cum Agamemnone reditus in gratiam 19, 60. Geminum fatum 9, 510. Haſta 16, 173. Achillis equi lugent Patroclum 17, 530. Clypeus 18, 590. Ad Agamemnonem reſponſio 19, 169.

Adraſtus b, 381. Captus a Menelao 6, 42.

Aegeon 1, 86.

Aegialus b 410.

Aeneas b 369. Pandarum quaerit 5, 207. & cum eo Diomedem aggreditur 292. Creontem, & Orſilochum interficit 645. cum Achille congreditur 20, 195. Achilli

li reſpondet 240. Ejus genus ; & praelium cum Achille 251.
Aeſcnlapius medicus 11, 639.
Aeſepus fluvins b, 376.
Aetoli b, 155.
Agamemnon b, 89, & 3, 188. Chriſeidem patri remittit 1, 377. Briſeidem ab Achille abducit 390. In concilio ſomnium narrat 2, 60. Machaonem jubet arceſſi ad Menelanm 4, 215. Milites hortatur 262. Ignavos objurgat 270. Idomeneum alloquitur 285. Ajaces adit 302, & Neſtorem 325. Objurgat Meneſteum 373, & Diomedem 407. Suos eohortatus Deicoontem interficit 5, 636. Duces coena excipit 7, 353. Ejus concio ad duces 9, 21. culpam fatetur, & Achilli ſe dona daturum pollicetur 139. Legatos ad Achillem mittit 218. Qui redeunt re infecta 836. Ipſe, & Menelaus aeſtuant incerti 10, 3. Ipſe, & Menelaus inter ſe deliberant 10, 40. Agamemnon Neſtorem adit 93. Armatur 11, 20. Fortiter pugnat 121. Multos interficit 281. Vulnerantur 523. Praelio excedit 345. Fugam ſuadet 14, 78. Objurgatur ab Ulyſſe 97. Jurat ſe Briſeiden intactam ſervaſſe 19, 296. Agamemnonis Oratio, qua jubet milites in Patriam reverti 2, 124. Oratio de Noxa Dea 19, 97. Ad Jovem preces 2, 486. Verba ad Menelaum vulneratum 4, 173.
Agapenor b, 125.
Agenor deliberat utrum cum Achille congrediatur nec ne 21, 700. Congreditur 730.
Ajacum conjunctio 13, 833.
Ajax Oilei b, 35. Ejus contentio cum Idomeneo 23, 570.
Ajax Telamonius b, 69, 305. Sorte deſignatur ad certandum cum Hectore 7, 209. Pugnat cum Hectore 219. Ejus Oratio apud Achillem 9. 778. Fugit 11, 674. Hectorem provocat 13, 953, & ſaxo vulnerat 14, 471. Archilochum interficit 538. Suos cohortatur 15, 623, & 695, & 911. Naves defendit 842. Laborat 16, 123. Menelaum alloquitur 17, 298. Hippothoum interficit 17, 364, & 780. Menelaum hortatur ut Antilochum mittat ad Achillem nunciatum mortem Patrocli 810. Luctatur cum Ulyſſe 23, 840. Haſta certat cum Diomede 964.
Ad Alcatoi cadaver pugnatur 13, 591.
Aleus campus 6, 243.
Alpheus fluvius b, 105.
Alybe b, 6.
Amazones 3, 214, & 6, 224.
Amphimachus b, 427.
Amphius b, 382.
Amyclae b, 98.
Amydon b, 403.
Andromache ignara mortis Hectoris accurrit ad tumultum 22, 530. Ejus luctus 569, & 24, 725.
Anemorea b, 29.
Antenor cenſet Helenam reddendam 7, 392.
Anthedon b, 15.
Antilochus Echepolum interficit 4, 510. Mydonem 688. Menalippum 15, 712. Achilli mortem Patrocli nunciat 18, 20. Equos hortatur in curſu 23, 403. Menelaum cedendo vincit 712.
Antiphus b, 199, & 419.
Antron b, 222.
Apoeſos b, 379.
Apollo peſtem immittit in Graecorum exercitum 1, 65. Trojanos excitat 4, 574. Diomedem reprimit 5, 526. Ficto Aeneae ſimulacro hoſtes eludit 536. Martem concitat 541. Patroclum a Trojae moenibus repellit 16, 966. Hectori mortem Euphorbi nunciat 17, 88. Hortatur Aeneam 407. Hectorem incitat 725. Aeneam concitat in Achillem 20, 106. Hectorem cum Achille congredi vetat 431. Hectorem Achilli ſurripit 513. Cum Neptuno pugnare renuit 21, 588. Agenorem Achilli eripit, atque hunc ludit 753.
Achil-

Digitized by Google

Achilli fraudem detegit 22, 8. Deos objurgat, quod Hectoris corpus crudeliter tractari patiantur 42.
Arcades b, 120.
Archilochus b, 373.
Arene b, 104.
Argiſſa b, 270.
Argivi b, 72.
Argos 3, 89.
Arimae b, 326.
Ariſbe b, 393.
Arne b, 14.
Aſcalaphus, & Ialmenus filii Martis b, 20.
Aſcanius b, 417.
Aſine urbs b, 73.
Aſium pratum 2, 537.
Aſius b, 390. Jovi iraſcitur 12; 188.
Aſpledonenſes, & Orchomenii b, 18.
Aſterium b, 267.
Aſteropaeus cum Achille congreditur, & occiditur 21, 164.
Aſtianax Hectoris filius 22, 590.
Athenienſes b, 56.
Augea b, 42.
Aulis 2, 357., & b, 5.
Automedon & Alcimedon Achillis equos regunt 17, 571. Automedon Aretum occidit 640.
Axius fluvius 6, 403., & 16, 358., & 21, 166.

B

Bellerophon 6, 183.
Boagrius b, 43.
Boebeis 2, 711., & b, 240.
Boeoti b, 1.
Briareus 1, 486.
Briſeis 6, 211. Achilli redditur 19, 269. Patroclum luget 320.
Bryſeae b, 97.
Bupraſiani b, 132.
Bupraſium 11, 937.

C

Cadmei 4, 433.
Caedes variae 15, 514.
Calchas vates 1, 91. ab Agamemnone culpatur 134.
Calydon 9, 647.
Cares b, 423.
Caryſtos b, 49.
Caſtor, & Pollux 3; 261.
Cayſtri cycni 2, 536.
Cebriones frater & auriga Hectoris 16, 905.
Chromis b, 413.
Chryſes filiam repetit 1, 20. ejus preces ad Apollinem 451., & 52, & 543.
Cretenſes b, 162.
Curetes 9, 646.

D

Dardanus 20, 254.
Daulis b 28.
Deiphobus ineaſſum feritur a Merione 13, 183. Hypſenorem interficit 483. Aeneam ſibi adſciſcit, ut Idomeneum aggrediatur 546. Aſcalaphum interficit 620.
Deorum concilium 4, 1. Preces, & Noxa 9, 615. pugna 21, 474.
Dii ſinguli Diis oppoſiti 20, 85.
Diomedes b, 75. Sthenelum objurgat 4, 455. A Pandaro vulneratur 5, 125. Minervam invocat 148. Pandarum interficit 351. Venerem vulnerat 400. Hectori cedit 706. Martem vulnerat 112. Ulyſſem hortatur ad ſuccurrendum Neſtori 8, 105. Neſtori ſubvenit 107. Ejus verba ad Agamemnonem 9; 38. Iturus ad hoſtium caſtra exploranda Ulyſſem ſocium eligit 10; 304. Minervam precatur 354. Incidit in Dolonem 423, quem captum una cum Ulyſſe interrogat 470. Dolonem interficit 560. Dormientium Thracum ſtragem edit 590. Cum Ulyſſe ad naves redit 648. Hectorem ferit 11, 438. Suadet

ut faucii caeteros hortatum eant 14, 150.
Dione Venerem conſolatur 5, 460.
Dius 24, 251.
Dodona 16, 290.
Dolon explorator captus 10, 470. Interficitur 560.
Dulichii b, 142.

E

Elephenor b, 50.
Enienſes b, 282.
Eniſpe b, 123.
Ennomus b, 413.
Ephyre b, 178.
Ephyri 13, 347.
Epiſtrophus b, 411.
Erebus 8, 430.
Eumeli equae b, 299.
Euphemus b, 400.
Euphorbus Patroclum vulnerat 16, 989. Menelaum cedere jubet 17, 13. Occiditur a Menelao 53.
Euryalus b, 77.
Eurypylus b, 268. Vulneratus occurrit Patroclo 11, 1001, qui vulnus curat 1040.

G

Ganymedes 20, 272.
Gargarum 8, 48, & 14, 340, & 15, 189.
Glaucus b, 433. Cum Diomede colloquitur in acie 6, 140. Arma permutat cum Diomede 290. Ejus preces ad Apollinem 16, 630. Trojanos hortatur ut Sarpedonis corpus tueantur 650. Hectorem fugae accuſat 17, 175.
Graeci Apollini ſacra faciunt 1, 549, & 2, 472. Diſceſſum parant a Troja 2, 160. Ad bellum ſe parant 469. Ad bellum coeunt 530. Novem parati ſunt cum Hectore congredi 7, 188. Murum ediſicant circa naves 495. Vinum emunt 536. Occiſum Hectorem vulnerant 22, 446. Graecorum agminis inceſſus 4, 467. Fuga 8, 88. Excubiae 9, 99. Murus 12, 5. Optimates coëunt contra Hectorem, & Trojanos. Naves incenduntur 16, 150.
Guneus b, 281.
Gygea palus b, 420.
Gyrtone b, 270.

H

Haliartus b, 11.
Hector Trojanos ad praelium educit 2, 353 Graecis verba Paridis de ſingulari certamine exponit 3, 100. In Urbem venit ex acie 6, 292. Trojanas hortatur ut Minervae ſupplicent 327. Venit in domum Paridis 381. Uxorem quaerit 451. Cum Uxore colloquitur 480. Graecos provocat ad ſingulare certamen 7, 84. Suos hortatur 8, 200, & 13, 172, & 15, 604, & 17, 268. Ejus verba ad equos 8, 214. Teucrum vulnerat 380. Ejus oratio ad Trojanos 497. Dolonem mittit exploratum caſtra hoſtium 10, 410. Hectoris ſplendor 11, 82. Suos hortatus in hoſtem irruit 359. Polydamantis conſilium ſtulte repudiat 12, 270. Muri portam perrumpit 530. Amphimachum interficit 13, 217. Socios deſiderat 900. Suis coactis, hoſtes aggreditur 930. Ajaci reſpondet 971. Saucius ex acie effertur 14, 494. Ab Apolline confirmatus, atque in Grajos incitatus 15, 308. praelium repetit 319. Lycophronem interficit 534. Menalippum adhortatur 684. Periphetem interficit 797. Puppim prehendit 878. Fugit 16, 452. Cum Patroclo congreditur 897, & eum interficit 1006. Cedit Ajaci 17, 159. Glauco reſpondet 210. Achillis arma induit 240. Cum Aenea Achillis equos perſequitur 600. Patrocli corpus iterum perſequitur 18, 186. Se cum Achille congreſſurum jactat 20, 420. Achillem aggreditur 483. De Achille ſuſtinendo ſecum deliberat 22, 126. Ejus

Ejus pugna cum Achille 310. Mors 434, & funus 24, 952.
Hecuba Hectorem orat ne cum Achille congrediatur 22, 100. Eundem luget 521, & 24, 906.
Helena egreditur ad ſpectaculum certaminis Paridis cum Menelaö 3, 158. Ejus pulchritudinem mirantur Trojani 175. Paridem objurgat 470. Hectorem alloquitur 6, 420. Ejus luctus ſuper Hectore 24, 922.
Helenus Aeneam, & Hectorem monet 6, 87, & 7, 47.
Helleſpontus 9, 451.
Helos b, 98.
Heſperus 22, 386.
Hippomolgi 13, 5.
Hippothous b, 394.
Hiſtiaea b, 47.
Hyades 18, 603.
Hyampolis b, 29.
Hyda 20, 441.
Hyle b, 8.
Hyperea 6, 547.
Hypothebae b, 12.
Hypſipyle 7, 534.

I

Iardanus 7, 155.
Ida 14, 329.
Idaeus Paridis ſententiam Graecis refert 7, 430.
Idomeneus b, 162. & 3, 254. alloquitur Merionem 13, 288. Interficit Othryoneum 422. Aſium 455. Aleathoum 518.
Ilithyiae 11, 341.
Ilii opes 9, 500.
Iris Trojanos armari jubet b 340. Helenae nunciat certamen Paridis & Menelai 3, 139. Achillem jubet ſuccurrere corpori Patrocli 18, 200. Ventos arceſſit ad inſpirandum rogo Patrocli 23, 257.
Ithacenſes b, 149.
Juno Minervam mittit ad diſceſſum Graecorum prohibendum 2, 176. Una cum Minerva ad praelium ſe parat 5, 850, & 8, 448. A Jove pugnandi veniam petunt 5, 898. Ut Jovem decipiat ſe ipſam comit 14, 197. A Venere illecebras poſcit ad Jovem decipiendum 230. Somnum adit, ac rogat, ut Jovem ſopiat 267, & promiſſis perſuadet 310. Jovem adit 340. Negat ſuo impulſu Neptunum adeſſe Graecis 15, 50. Reliquos Deos adit 100. Apollini, & Iridi Jovis mandata refert 180. Caeteros deos alloquitur ſuper Aenea congreſſuro cum Achille 20, 140. Vulcanum mittit in Xantum 21, 401. Dianam vincit 610. Junonis cum Jove jurgium 1, 646, & 4, 27. Verba ad Neptunum 8, 234.
Jupiter Thetidi promittit ſe ulturum Achivos 1, 631. Somnium mittit Agamemnoni 2, 8. Diis interdicit ne utrivis exercituum auxilientur 8, 8. Jovis catena aurea 18. In Idam deſcendit 47. Irim mittit ad cohibendam Junonem, & Minervam a praelio 470. Diſcordiam mittit ad naves Graecorum 11, 3. Irim mittit ad Hectorem, ut eum jubeat ad tempus a praelio abſtinere 243. Sarpedonem in murum Graecorum concitat 12, 337. Jupiter, & Neptunus diverſis favent 13, 400. Jupiter fraude Junonis dormit in perniciem Trojanorum 14, 401. Experrectus Junonem objurgat 15, 7. Junoni mandat ut ſibi Irim arceſſat, & Apollinem 73. Irim ad Neptunum mittit, ut a pugna deſiſtat 196. Mittit Apollinem ad Hectorem 266. Hectorem incitat 754. Moriturum Sarpedonem miſeratur 16, 532. Apollini dat negotium, ut Sarpedoni parentandum curet 820. Hectorem miſeratur 17, 246, & 22, 213. Achillis equos miſeratur 17, 547. Junonem alloquitur de excitato Achille 18, 438. Minervam mittit ad Achillem refocillandum 19, 393. Jubet omnes Deos opitulari utris quiſque velit 20, 30. Thetim mittit ad Achillem, ut corpus Hecto-

ctoris Priamo tradat 24, 139. Irim ad Priamum mittit ut Achillem adeat 174. Mercurium ducem mittit Priamo 405.

L

LAa b, 98.
Lacedaemonii b, 95.
Lapithae 12, 151.
Lariſſa 17, 374.
Leleges 10, 151
Locri b 35.
Lycaon Priami filius ab Achille vinctus 21, 46. Achilli fruſtra ſupplicat 90.
Lycii 12, 382.

M

MAchaon b, 263. Menelaum curat 4, 236.
Magnetes b 291.
Mars vulneratur a Diomede 5, 1002. Saucius apud Jovem expoſtulat 1030, a quo objurgatur 1048. Andita filii morte iraſcitur 15, 145.
Medeon b, 9.
Meges b, 144.
de Meleagro narratio 9, 644.
Menelaus b, 100. Certamen cum Paride ſuſcipit 3, 110. A Pandaro perfide vulneratur 4, 157. Pylaemenem interficit 5, 686. Adraſtum capit 6, 42. Certamen cum Hectore accipere vult 7, 113. ſed prohibetur ab Agamemnone 121. Cum Ajace Ulyſſi opem fert 11, 570. Heleuum vulnerat 13, 707. Piſandrum interficit 733. Antilochum hortatur 15, 706. Euphorbo iraſcitur 17, 22, eumque interficit 53. Hectori cedit 130. Duces cohortatur 310. Incitatur a Minerva 683. Antilochum mittit ad Achillem, nunciatum mortem Patrocli 17, 849. In ludo iraſcitur Antilocho 23, 530, & 678.
Meneſteus b, 63. Miſſo Thoota ab Ajace petit auxilium 12, 342.
Mercurius Priamum convenit 24, 430, & ducit ad Achillem 531. Dormientem Priamum monet 820.
Meriones b, 169. Deiphobum vulnerat 13, 630. Harpalionem interficit 774.
Meſſeis 6, 547.
Meſthles b, 419.
Methone b, 245.
Miles ignavus, & ſtrenuus 13, 320.
Minerva Pandarum adit ad foedus ejus opera violandum 4, 103. Diomedi dat robur 5, 1. Martem educit ex acie 51. Venerem deridet 506. Ad praelium ſe parat 868. A Jove pugnandi poteſtate facta, fert ſe ad praelium 912. Diomedem alloquitur 952, & jubet cum Marte congredi 979. Deliberat cum Apolline de praelio in praeſentia reprimendo 7, 37. Ejus verba ad Jovem 8, 29. Martem cohibet 15, 24. Martem proſternit 21, 496, & Venerem 543. Sumpta Deiphobi forma, Hectori perſuadet ut cum Achille congrediatur 22, 284.
Minyeius fluvius 11, 896.
Mortui ſepeliuntur 7, 467.
Muſarum invocatio 1, 1, & 562.
Mycale b, 426.
Mycenenſes b, 81.
Myrmidones b, 205. In pugnam vadunt 16, 321.
Myſi 24, 339.

N

NAſtes b, 427.
Navium enumeratio b, 1.
Neptuni, & Jovis verba de muro Graecorum 7, 506. Neptuni cum Idomeneo colloquium 13, 253. Neptunus ad ferendam Graecis opem proficiſcitur 13, 20. Ajaces acuit 55. Achivos excitat. Saucios conſolatur, & Achivos incitat 14, 162, & 414. Jovi iraſcitur 15, 184. De Aenea conſervando conſultat 20, 343. Aeneam Achilli ſubducit 370. Achillem conſolatur 21, 350. Apollinem ad pugnam provocat 556.

Ne-

Neritus b, 149.

Neſtor b, 108. Achillis, & Agamemnonis contentionem componere conatur 1, 304. Laudatur ab Agamemnone 2, 434. Hortatur milites 6, 75. Graecos objurgat, qui cum Hectore congredi non audeant 7, 140. In periculo verſatur 8, 91. Fugit cum Diomede 183. Ejus conſilium de excubiis, & coena 9, 80, & de pacando Achille 214. Surgens noctu Ulyſſem adit 10, 177. Diomedem excitat 199. Auctor eſt, ut exploratores in hoſtium caſtra mittantur 258. Antiqua ſua facinora commemorat 11, 829. Prodit audito clamore ad ſpectandum 14, 1. Illi occurrunt ſaucii 27. Jovem precatur 15, 372. Graecos orat ut hoſti reſiſtant 658. De curſu filio praecepta dat 23, 282. Neſtoris oratio ad milites 2, 393. Verba ad Agamemnonem 4, 350. Oratio de ſepeliendis mortuis, & conſtruendo muro 7, 366.

Niobae fabula 24, 727.

Nireus Graecorum formoſiſſimus b, 192.

Nyſa 6, 155.

O

Oechalia b, 262.

Olenia rupes b, 134. 11, 938,

Olenus b, 156.

Oncheſtus b, 13.

Orci galea 5, 1000.

Oreſtiades nymphae 6, 505.

P

Pandarus b, 359. Menelaum perfide vulnerat 4, 118. A Diomede interficitur 5, 359.

Paris in prima acie ſe oſtentat 3, 19, trepide refugit 40, ab Hectore objurgatur 47, cum Menelao ſe congreſſurum dicit 81. Armatur 356. Certat cum Menelao 370. A Venere ex praelio ſurripitur 418. Ab Helena objurgatur 470. Cum Helena redit in gratiam 479. Negat reddere Helenam 7, 407. Diomedem vulnerat 11, 368; & Machaonem 507, & Eurypylum 582. Euchenorem interficit 13, 668.

Parthenius b, 409.

Patera Achillis 16, 278.

Patroclus ad Achillem revertitur 15, 405. Achillem orat, ut ſe ſaltem in praelium mittat 16, 26. Armatur 160. Myrmidonas cohortatur 334. Cum ſuis multos Trojanorum interficit 353, 487, 851. Ajaces hortatur 680. Cebrionem interficit 904. Circa Patroeli corpus fit acre praelium 17, 274, 415, 543. Achilli in ſomnis apparet 23, 85. Rogus illi conſtruitur 178. Patrocli ſepulcrum 320. Ludi editi in funere Patrocli 330.

Pelias haſta 19, 449.

Pelium b, 293.

Peneleus Ilioneum perimit 14, 486.

Percote 2, b, 388, 15, 543.

Pherenſes b, 240.

Phidippus b, 199.

Phocenſes b, 25.

Phoenix Achillem ad pacem hortatur cum Agamemnone 9, 535.

Phorcis b, 417.

Phthia 9, 591.

Pieria 14, 261.

Plejades 18, 603.

Podalirius b, 264.

Podarches b, 234.

Polydamas conſilium dat de foſſa Graecorum tranſeunda 12, 73. Prodigium interpretatur, & conſilium dat 249. Hectorem objurgat 13, 735. Prothenorem interficit 14, 522. Urbem petendam ſuadet 18, 308, cui Hector contradicit 346.

Polypoetes b, 272, & Leonteus 12, 152.

Portentum Draconis, qui paſſeres devoravit 2, 354.

Practium b, 388.

Priamus Helenam interrogat de quibuſdam Graecis, quos videbat 3, 188. A praecone vocatur ad foedus feriendum 275.

In

In Urbem redit 338. Trojanos alloquitur 7, 413. Militibus portam aperiri jubet 21, 675. Achillem conſpicatus Hectorem orat ne cum illo congrediatur 22, 40. Hectorem luget 500. Uxori mandata Jovis de repetendo Hectore refert 24, 237. Dona ſumit, quae ferat Achilli 229. Filios objurgat 247. Jovem orat 308. Achillem convenit 477, eique ſupplicat 486. In Urbem vehit corpus Hectoris 707.
Prodigium 11; 70. 12, 235.
Proteſilaus b, 223.
Prothous b, 291.
Pygmaei 3, 7.
Pylaemenes b, 405. Occiſus 5, 686.
Pylii b, 104.
Pyraechmes 2; 848. b, 402.
Python b, 27.

R

RHeſus 10, 582. A Diomede trucidatur 607.
Rhodii b, 172.

S

SAlaminii b, 69.
Samothracia 13, 12.
Sangarius 3, 212.
Sarpedon b, 433. A Neoptolemo vulneratus Hectoris opem implorat 5, 813. Glaucum ad praelium hortatur 12, 357. Muri pinnam abrumpit 461. Cum Patroclo congreditur 16, 518. Ab eo interficitur 590. Circa Sarpedonis corpus acriter pugnatur 690.
Satniois fluvius 21, 105.
Scamander b, 542.
Scandea 10, 335
Schoenus b, 5.
Scolus b, 5.
Scyrus 9, 835, & 19, 326.
Selli 16, 291.
Simois 5; 922.
Sipylus 24, 741.
Somnus a Junone exoratus Jovem ſoporat 14, 402. Neptunum incitat 406.
Sperchius fluvius 16, 214.
Sthenelus b, 76. Agamemnoni aſperius reſpondet 4, 444.

T

TAlthybius 1, 391.
Tarne 5, 62.
Tenedus Inſula 13, 33.
Teria Mons b, 380.
Teucer poſt Ajacis clypeum latens multos Trojanorum interficit 8, 320. Ab Hectore vulneratur 380. Imbrum interficit 13, 170, & Clitum 15, 444. Ejus arcus divinitus frangitur 462.
Thalpius b, 137.
Thamyris fabula b, 108.
Thaumacia b, 246.
Thebae 10, 286.
Themis Junoni propinat 15, 87.
Therſitae garrulitas 2, 243.
Thetidis verba ad Achillem 1, 500.
Thetis Jovem interpellat pro filio 1, 598. Lugens Nereidas alloquitur 18, 52. Achillem interogat 73. Achilli arma promittit a Vulcano 127. Vulcanum adit 451, & orat ut Achilli fabricetur arma 527. Vulcani arma affert Achilli 19, 11.
Thisbe b, 9.
Thoas b, 155. Pirum interficit 4, 593.
Thracia vini ferax 9, 84.
Thryoeſſa Civitas 11, 710.
Thymbra 10, 532.
Titanes 14, 325.
Titareſius fluvius Peneo non miſcetur b, 285.
Tlepolemus b, 171. Pugnat cum Sarpedone 5, 750.
Tmolus mons b, 422.
Trojanae Mulieres Minervae ſupplicant 6, 360.
Trojani & Graeci foedus paciſcuntur 3, 293.
Trojani Graecorum murum adoriuntur 12, 100.

Digitized by Google

100. Fugiunt 14, 591. Magnam caedem ſaciunt 15, 327. Fugant Achivos 17. 595.
Trojanorum & Graecorum inceſſus in praelium 3, 1. Conflictus 496, & 11, 89. Trojanorum caedes 6, 8. Excubiae 8, 644. Concio 16, 247. Pugna ad naves acerrima 15, 686

V

VEnus Paridem ex praelio ſurripit 3, 411. Heleoam alloquitur 430, & illi iraſcitur 453. Helenam ducit ad Paridem 460. Aeneam protegit 5, 375. Vulneratur a Diomede 395. De eo apud Dionem conqueritur 454. A Minerva deridetur 504. Venus, & Apollo Hectoris corpus a putredine prohibent 23, 236.
Ulyſſes b, 148 & 3, 216. Chryſeiden Patri tradit 1, 531. Achivos a diſcedendo coërcet 2, 203. Therſitae garrulitatem reprimit 281. Milites ad praelium hortatur 330. Agamemnoni reſpondet iratus 4, 385. Ejus oratio ad Achillem de reintegranda pace cum Agamemnone 9, 279. Diomedem hortatur ad praelium 11, 390. Ab hoſtibus circumvenitur 500. A Soco vulneratur 540, at illum interficit 550. Suadet, ut ante praelium milites cibum capiant 19, 180, quod & Achilli ſuadet 245. Cum Ajace Telamonio luctatur 23, 840. Ope Minervae in curſu victor 920.
Vulcanus Junonem admonet 1, 691. Thetidis in ſe beneficia commemorat 18, 482. Thetidem de cauſa adventus interrogat 521. Achilli arma fabricatur 580. Xanthum urit 21, 420.

X

XAotus Achillis equus futurum ei interitum vaticinatur 19, 470.
Xantus fluvius Achillem alloquitur 21, 253. Tumet in Achillem 280. Simoënta vocat auxilio adverſus Achillem 376. Vulcano & Junoni ſupplicat 454.

Z

ZAcynthus b, 151.
Zelia Civitas 4, 114.
Zephyrus ſegetem impellens 2, 65.

F I N I S.

523938

Digitized by Google

I mea nunc Latias tantiſper ſola per urbes
Ilias, adveniat dum tua pulchra ſoror, (a)
Compta mei ſtudio cura & praeſtante Zamagnae.
Illi ego te ſociam jungier inde volo;
Cui pater eſt idem, quam cultu ornavit eodem
Vir mihi Theſea junctus amicitia.

(a) Odyſſea videlicet, alterum poema Homeri, quam V. Cl. Bernardus Zamagna eodem modo eſt interpretatus, & eadem forma imprimi curat Senis in Etruria, qua haec Romae impreſſa ſunt.

Digitized by Google

ACHILLE FIORE
Via Grande ... Napoli
Digitized by Google